v. 1664. δ' ἁμαρτεῖν τὸν κρατοῦντα] In edd. corrupte δ' ἁμαρτῆτον κρατοῦντα. Stanlej. corrigit τ' ἁμαρτεῖν τὸν κρατοῦντα δύσφορον; interpretatus: *moderata a sententia depellere imperantem, non est ferendum.* Verum ἁμαρτεῖν non *depellere*, sed *aberrare* significat. Itaque malim: σώφρονος γνώμης δ' ἁμαρτεῖν τῷ κρατοῦντι δύσφορον.

ΧΟΡΟΣ.

Κόμπασον θαῤῥῶν, ἀλέκτωρ ὥστε θηλείας πέλας.

ΚΛΥΤΑΙΜΝΗΣΤΡΑ.

Μὴ προτιμήσῃς ματαίων τῶνδ' ὑλαγμάτων, ἐγὼ
Καὶ σὺ θήσομεν κρατοῦντε τῶνδε δωμάτων καλῶς.

VARIETAS LECTIONIS.

v. 1671. ὥστε] Vulg. ὥσπερ invito metro. Illud itaque, Pauwio fuaſore, ſubſtituimus.

v. 1672. 1673. Ultimae voces ἐγὼ et καλῶς in edd. exciderant, quae e Scholiaſte ſupplere facillimum erat. Male autem Heathius, veram, quae hic obtinet, verbi προτιμᾶν ſignificationem haud aſſecutus, in animum induxit corrigere με προτιμήσῃς.

C. G.

C. G. SCHÜTZII

IN

AESCHYLI

# TRAGOEDIARUM

VOL. II.

# COMMENTARIUS.

IN

# AESCHYLI

# PERSAS.

IN

# AESCHYLI

# PERSAS.

## ARGUMENTUM TRAGOEDIAE.

Cum Xerxes et mari et terra bellum Graeciae illaturus cum tantis eam copiis invaſiſſet, quantas neque antea quisquam habuerat, neque poſtea habuit, ingentem per omnes imperii provincias juvenum virorumque vaſtitatem effecerat. Quam quidem ſolitudinem primo hujus tragoediae ingreſſu (v. 1 ſqq.) Senes, quibus Xerxes domus rerumque ſuarum cuſtodiam tradiderat, multis verbis queruntur; ac breviter (v. 15 ſqq.) populorum, qui regem ad bellum ſecuti erant, eorumque ducum nomina recenſentes, ſuſpenſos ſibi ac ſollicitos animos eſſe ſignificant, quaenam futura ſit regis fortuna, cogitantibus. Etſi enim (v. 85 ſqq.) tam immenſo exercitui, qui torrentis ritu univerſam Graeciam inundabat, nemo videbatur futurus eſſe, qui obſiſtere poſſet, ſuſpicabantur tamen ſenes, ne divini numinis invidia (v. 91 ſqq.) ma-

gna Perſis clades pararetur. Haec igitur illis animo volventibus, Atoſſa (v. 153.), mater Xerxis, Darii vidua, in ſcenam prodit, cum alias anxia futuri (v. 157 ſqq.), tum heſterna nocte, luculento ſomnio, quod mala regi portendere videbatur, majorem in modum perturbata. Quod cum illa ſenibus narraſſet (v. 174.—212.), hi quidem non id agunt, ut viſum illud reginae oblatum interpretentur, ſed tantum, ut deos ſupplicationibus adeat, terrae inferisque libationes offerat, inprimisque, ut regem Darium, cujus ſpeciem noctu vidiſſet, precibus ſibi benevolum ac propitium reddat, exhortantur (v. 213 — 223 ) Acquieſcit in conſilio regina, et quaedam de Athenarum ſitu, fortuna, viribus exquirit (v. 224 ſqq.). Ecce autem nuntius accurrit anhelans, totumque Perſarum exercitum deletum eſſe clamat (v. 247 ſqq.). Chorus ejus clamoribus ſuos quoque gemitus vocesque lamentabiles miſcet (v. 254 — 287.). Atoſſa autem, tanti tamque ſubito allati mali terrore primum attonita et obſtupefacta, tandem ipſa quoque ſilentium rumpit (v. 288.), paululumque, ubi Xerxis vitam ſalvam eſſe accepiſſet, recreata (v. 298.), fuſius de rebus Perſarum male geſtis exponentem nuntium audit (v. 300 ſqq.). Finita ejus narratione, regina quid in hac rerum adverſitate ſenes facere velit, edicit (v. 525.); deinde ea, quae inferiis neceſſaria eſſent, paratura intro abit. Chorus interea luctum tot viduarum, maritis parentumque filiis orbatarum proſequitur, tantamque civium ac navium jacturam deplorat (v. 530 — 596.). Redit Atoſſa, ſeque jam ad Darii ſepulcrum libaturam oſtendit (v. 597 — 617.); ſenibus autem, ut ejusdem regis umbram carminibus evocent, quo eam de rebus ſuis conſulere poſſint, perſuadet (v. 618 — 621.). Itaque illa ad inferias peragendas, hi ad carmen lamentabile, quod ab inferis Darium educat, convertuntur (v. 621 — 677 ). Quibus rite perpetratis ſurgit ab inferis anima Darii (v. 678.), et quid acci-

acciderit, ſibi narrari jubet. Audita vero Xerxis clade, partim eam fati neceſſitati, partim ipſius filii culpae tribuit (v. 736 ſqq.), quippe qui cum alias tum praeſertim Helleſponto vincula injiciendo, ſuperbius ſe geſſiſſet, quam ut effugere poſſet ultionem deorum. Deinde quid de reliquo exercitu futurum ſit, et quantum etiamnum ſuperſit calamitatis, vaticinatus, unicum Perſis malorum remedium eſſe docet, ſi memores Athenarum et Graeciae ſuis ſe finibus contineant, belloque adverſus Graecos gerendo prorſus abſtineant (v. 787 ſqq.). Poſtremo ſenibus ut Xerxem admonitionibus corrigant, Atoſſae autem, ut, cum veſtibus decoris filio obviam eat, eumque conſoletur, praecipit (v. 829 ). Quo facto ad inferos redit. Atoſſa deinde umbrae mariti dicto audiens, veſtes filio quaeſitum domum regreditur (v. 848.) Chorus in laudes Darii excurrit (v. 849 — 904.) Scena ultima Xerxes ipſe advenit, qui non ſolum, quantum ipſum fortunae ſuae pigeat ac poeniteat, libere proloquitur, ſed etiam Chorum ad ſocietatem doloris provocat. Ita mutuo gemitu, planctu, dolore tragoedia finitur.

Scenae dramatis novem ſunt. Prima, quam Chorus agit, v. 1 — 152.; ſecunda, Chori et Atoſſae colloquium, v. 156 — 246.; tertia, quae nuntii narrationem complectitur, iisdem in ſcena manentibus, v. 247 — 529.; quarta, Chori canticum, v. 530 — 596.; quinta, redeuntis Atoſſae cum Choro confabulatio, huiusque carmen, quo Darium evocant, v. 597 — 677.; ſexta, quae Darium ab inferis evocatum ſiſtit, v. 678 — 839.; ſeptima, breve Chori et Atoſſae diverbium, v. 840 — 848.; octava, Darii praeconium a Choro cantatum, v. 849 — 904.; ultima communes Xerxis e bello redeuntis Chorique eum ſalutantis lamentationes continet, v. 905 — 1068.

## FABULAE PERSARUM FUNDUS, PERSONAE, ITEM SCENAE LOCUS, TEMPUS, ORNATUS.

In hiſtoria belli Perſici, e qua tragoediae hujus argumentum ſumſit Aeſchylus, multa eſſe, in quibus poëta ab hiſtoricis, nominatim Herodoto, diſſentiat, facile deprehenditur; ſive quod Phrynichi Perſas in nonnullis fabulae partibus imitatus fuerit; ſive quod ſuo potius ingenio, aut famae, quam certis hiſtoriae teſtimoniis obſecutus; ſive quod in quibusdam rebus, ea quae ipſe vidiſſet aut audiviſſet, aliorum narrationi antepoſuerit, ut qui non ſolum Marathoniae pugnae, ſed etiam praeliis Salaminio et Plataeenſi non ſine magna virtutis laude interfuiſſet. Primum igitur in populorum ſub Xerxe ſtipendia merentium, ducumque et imperatorum nominibus parum ei cum Herodoto convenit. Herodoto enim ſi credimus (Lib. VII. cap. 61 ſqq.) in exercitu Xerxis Perſis praefuit Otanes Amaſtris filius, Medis Tigranes, Ciſſiis Anaphes, Hyrcaniis Megapames, Aſſyriis Otapes Artachaei filius, Bactriis Hyſtaſpes, Indis Pharnazathres, Ariis Siſamnes, Parthis et Choraſmiis Artabazus, Sogdis Azanes, Gandaris et Dadicis Artyphius, Caſpiis Ariomardus, Sarangis Pherendates, Pactyibus Artynes, Utiis et Mycis Arſamenes, Paricaniis Siromitres, Arabibus et Aethiopibus Arſames, Afris Maſſages, Paphlagonibus et Matienis Dotus, Mariandynis, Ligyibus et Syris Gobryas et Artyſtones, Phrygibus et Armenis Artochmes, Lydis et Myſis Artaphernes, Thracibus Baſſaces, Laſoniis etc. Badres, Moſchis ac Tibarenis Ariomardus, Macronibus et Moſynoeccis Artayctes, Maribus et Colchis Pharendates, Alarodiis et Saſpiribus Maſiſtius, Inſularum maris Erythraei incolis Mardontes. Praeter hosce ſingulorum populorum praefectos ſex alios, qui

qui ſummae rerum praeerant in exercitu terreſtri, (praeter decem millia ſelectorum, quibus imperabat Hydarnes) nominat Herodotus, (lib. VII. cap. 82.), Mardonium Tritantaechmen, Smerdomen, Maſiſten, Gergin et Megabyzum. Summi vero claſſis praefecti Herodoto teſte fuere Ariabignes, Prexaſpes, Megabazus, Achaemenes; quorum ſub auſpiciis Sidoniis praeerat Tetramneſtus, Tyriis Mapen, Aradiis Nerbal, Cilicibus Syennesis, Lyciis Cybernicus, Cypriis Gorgus, et Timonax, Caribus Hiſtiaeus, Pigres, et Damaſithymus. Quorum nominum pauciſſima apud Aeſchylum occurrunt. Neque vero multa eum omiſiſſe mirandum eſſet, utpote qui tragoediam, non hiſtoriam ſcriberet; ſed hoc tamen mirum eſt, Aeſchylum multa ducum nomina memorare, quorum nullam Herodotus mentionem fecerit. Qua quidem re adducor fere ad ſuſpicandum, poëtam noſtrum, ut Scholiaſtae quoque viſum eſt, pleraque illa ducum nomina ſuopte ingenio finxiſſe.

Deinde in cauſis expeditionis a Xerxe ſusceptae tradendis hiſtoriae veritatem pauliſper inflexit Aeſchylus. Nihil enim de Darii conſilio Graeciam novo bello perſequendi, Athenienſesque ulciſcendi tradidit Herod. (lib. VI. cap. 4.), quod ille exſecuturus erat, niſi morte praeditus fuiſſet. Et quamquam v. 244. Chorici ſenes cladis a Dario apud Marathonem acceptae quaſi praetereuntes mentionem injiciunt, tamen et ipſum illud clariſſimum Marathonis nomen ſilentio tegunt, et alibi ſic de Dario loquuntur, quaſi ſemper ille invictus discesſerit, nec umquam quae incepiſſet, ſiniſtre ei evenerint. Herodotus porro Xerxi primum animum a bello Graeciae inferendo alienum fuiſſe narrat (lib. VII. c. 5.); poſt eum a Mardonio incitatum, fruſtra renitente Artabano, conſilium cepiſſe belli gerundi; cuius cum eum paulo poſt iterum poenituiſſet, tamen eum viſo nocturno ſaepius oblato, cui Artabanus quoque conceſſerit, confirmatum, in hac ſententia perſtitiſſe, ut ſibi nihil utilius ac glorioſius fore,

putaret, quam cum Athenienſibus et univerſa Graecia belligerare. Aeſchylus vero Xerxi amicos deſidiam atque ignaviam exprobraſſe, horumque opprobriorum ſtimulis, exemplo quoque patris propoſito, eum ad bellum adverſus Graeciam ſuscipiendum excitaſſe fingit. Itaque et bellum adverſus Aegyptios ante quam Graeciam invaderet, feliciter a Xerxe geſtum (Herodot. lib. VII. c. 5.), alto apud Aeſchylum ſilentio premitur. Denique in ſerie regum Perſiae ducenda aliquantum Aeſchylus ab hiſtoricorum monumentis discedit, qua de varietate narrandi aptior erit in Excurſu ad v. 762. hujus tragoediae dicendi locus.

Perſonae dramatis praeter Chorum quatuor ſunt, Atoſſa, nuntius, umbra Darii, Xerxes. Chorus conſtat ſenibus, principibus viris et ſummo loco natis, quibus Xerxes curam rei publicae ac domeſticae demandaverat. Septem eos regni proceres fuiſſe ſuſpicatur Stanlejus; ſed de numero incerta res eſt. Atoſſa, Darii vidua, mater Xerxis, id temporis jam provectioris aetatis erat. Nuntius non ex eorum numero eſt, quos Xerxem per certa ſtationum intervalla diſpoſuiſſe ſcribit Herodotus, ſed ipſe rerum geſtarum teſtis. Darius autem Hyſtaſpis filius quinque annis ante Perſarum cladem mortuus erat. Ejus umbram ab inferis evocatam ſpectatoribus oſtendit Tragicus noſter, in quo eum ob generoſam nova inveniendi audaciam jam antiqui ſcriptores laudant. Xerxen denique non ſolum, ſed comitantibus ſorte paucis aſſeclis, mutis perſonis, ſcenam ingreſſum eſſe conjicio. Agitur autem fabula Suſis, ante regias aedes; quas a dextro aut ſiniſtro latere ſcenae repraeſentatas fuiſſe, credibile eſt, ita ut a poſtica ejus parte Darii ſepulcrum ſpectatoribus oſtenderetur.

Diei tempus nuſpiam in hac tragoedia diſerte notatur. Actionis tamen initium ante meridiem poni exinde colligitur, quod Atoſſa ſomnii, quod ſuperiore nocte viderat,

rat, narrationem non videtur in poſtmeridianum tempus diſtuliſſe.

Scenam aedibus ac Darii monumento decoratam fuiſſe, res ipſa docet. Quonam vero ſchemate Aeſchylus uſus fuerit ad hiſtrionem, qui Darii umbram imitabatur, veſtiendum, non conſtat. Illud certum eſt, eum habitu quoque ſpectri quandam ſimilitudinem prae ſe tuliſſe. Machinis quoque locum fuiſſe conjicio, quibus extolleretur Darii perſona, cum ſurgeret ab inferis, ac ad eosdem rediens, deprimeretur.

## IN SCENAM I.

*v.* 1—152.

Chorici ſenes, quorum curae Xerxes regnum ac domum demandaverat, primum, qui ſint et quid rerum gerant, ſpectatorum cauſa verbis declarant. Quae quidem tragoediae ingreſſio, quamquam non omnino male inſtituta eſt, ſapientius tamen Promethei vincti ac Thebaidos principium adornatum eſt. Ibi enim nihil dicitur ab iis, qui primo loco ſcenam ingrediuntur, niſi quod ſuis ipſorum ex rationibus dicere debebant; tamen ex iis, quae dicunt, ſpectatores plenam eorum notitiam colligunt. Quid autem cauſae ſuberat, cur hic ſenes Perſae ſtatim qui eſſent, quoque munere fungerentur, exponerent, quod ex eorum numero neminem fugiebat? Nimirum ne ſpectatores ignorarent. At vitioſum eſt, in dramate perſonas ita loquentes agentesve inducere, ac ſi ſcientes theatri curioſitati inſerviant. Verum hoc vitii genus ortum eſt e dramatici et epici poëmatis confuſione, veteresque tragicos tum maxime hic lapſos eſſe deprehendimus, ubi ab initio vel Chorum ſolum, vel quendam ex interlocutoribus ſolum ſecum, loquentem facerent.

v. 1. Τάδε μὲν] Τάδε h. l. δεικτικῶς, et pro ἡμεῖς poſitum, ut Sept. adv. Theb. v. 975.

Περ-

Περσων τῶν οἰχομένων — αἶαν] Probabiliter hoc adjectum et ad argumentum fabulae declarandum appositum.

v. 2. πιστὰ] Sic v. 169. γηραλέα πιστώματα de iisdem senibus; et v. 678. ὦ πιστὰ πιστῶν. Quod subjicitur καλεῖται h. l. *et sunt et nominantur.* Καλεῖσθαι, νομίζεσθαι, αὐδᾶσθαι, φαίνεσθαι saepe pro εἶναι poni, dudum observarunt Grammatici, in his nuper *Burgess* ad Soph. Oedip. Col. p. 51.

v. 3. καὶ τῶν — φύλακες] Ostendunt senes, se non solum regni Persarum *fidos* Xerxis ejusque familiae *ministros*, sed etiam Susorum, qua in urbe regia Persarum erat, ingentibus divitiis opibusque custodes esse constitutos. ἀφνεὰ καὶ πολύχρυσα ἕδρανα, *opulenta sedes auroque abundans*, apte designat Xerxis regiam; qua cum potiretur Alexander, ut reliqua taceam, auri argentique non signati plus quadraginta millium talentorum invenit (Diodor. Sic. lib. XVII. cap. 6.

v. 4. κατὰ πρεσβείαν] „*propter dignitatem.* Hesychius: Πρεσβείη, τιμὴ μείζων. Rursum Πρέσβεις, βασιλεῖς, ἄρχοντες, προτιμούμενοι. Noster infra v. 625. Βασίλεια γύναι πρέσβος Πέρσαις.

v. 5. κατὰ πρεσβείαν οὓς — ἐφορεύειν] *quos ipse rex Xerxes, imperator Dario prognatus, pro dignitate elegit, ad regni sui* se absente *curam tutelamque gerendam.* „Aliter autem Herodotus, apud quem Xerxes soli Artabano imperium committit, his verbis: σῷζε οἶκόν τε τὸν ἐμόν, καὶ τυραννίδα τὴν ἐμήν. Σοὶ γὰρ ἐγὼ μούνῳ ἐκ πάντων σκῆπτρα τὰ ἐμὰ ἐπιτράπω, quae locutus Artabanum Susa dimisit." *Stanlej.* Βασιλεὺς Δαρειογενὴς explicationis causa adjectum. Opportune autem hic Xerxes nominatur, ne spectator temporis, quo haec geruntur, notitia careat.

Χώρας ἐφορεύειν] Dubitare videtur Abreschius, quartusne plur. an secundus sit casus χώρας; provocans ad Suppl. 684. 634. Eumenid. 534. ubi ἐφορεύειν cum accusati-

ſativo conſtruitur. Sed haec exempla non impediunt, quo minus h. l. vocabulum χώρας, quod ſenſus poſtulat, genitivo caſu elatum eſſe dicamus.

v. 8 — 11. ἀμφὶ δὲ νόστῳ — θυμὸς ἔσωθεν] *Verum de reditu regis exercitusque auro abundantis nunc jam mala praeſagiens in pectore animus vehementer perturbatur.* ἀμφὶ νόστῳ, metuebant enim, ut ſalvi redirent. In metus, timoris, ſollicitudinis affectibus exprimendis praecipue excellit Aeſchylus. Variavit autem verborum ſtructuram in his νόστῳ βασιλείῳ καὶ στρατιᾶς, pro βασιλέως. Similem loquendi formam Abreſchius obſervavit v. 76. πεζονόμοις ἔκ τε θαλάσσης ἐφέταις.

πολυχρύσου στρατιᾶς] Ingentem auri argentique vim in exercitu Perſarum fuiſſe memoriae proditum eſt ab hiſtoriae ſcriptoribus, cf. Herodot. lib. VII. c. 41. 85. κακόμαντις hic paulo aliter ac ſupra Sept. Adv. Theb. 724. Ibi de furia mala hominibus denuntiante; h. l. autem θυμὸς κακόμαντις, *mali praeſaga.* Cauſas ſollicitudinis exponit Chorus v. 91 ſqq. Saepius autem Tragicus de praeviſione malorum utitur vaticinandi verbis. ὀρσολοπεῖται] Heſychius: Ὀρσολοπεῖται, διαπολεμεῖται, ταράσσεται, Αἰσχύλος.

v. 12. πᾶσα γὰρ ἰσχὺς Ἀσιατογενὴς οἴχωκεν] *omne enim robur Aſiaticum*, h. e. *omnis* Aſiae juventus, *abiit.* Neminem enim fere, qui arma portare poſſet, a Xerxe domi relictum eſſe, immenſus copiarum numerus nobis perſuadet. Ex unius Pythii familia quinque filii exercitum ſequebantur; tantumque aberat, ut pater uni eorum vacationem impetrare poſſet, ut potius eam petenti Xerxes vehementer iratus crudeli filium innocentem ſupplicio afficeret.

v. 13. νέον δ' ἄνδρα βαΰζει] Si hic ſana omnia et integra ſunt, utique repetendum arbitror Ἀσία ex Ἀσιατογενὴς, q. d. *et Aſia cum clamore juvenes viros poſcit*, nullis

ſci-

ſcilicet praeter pueros ſenesque maribus in regno relictis. Verumtamen haec ratio paulo contortior eſt et abruptior, quam ut ita Aeſchylum ſcripſiſſe credam. Accedit quod cum Chorus bis in hac ſcena ad eandem ſententiam redeat v. 59 — 64. et v. 131 — 137. utroque loco etiam mentionem faciat parentum uxoremque deſiderii, quo liberos maritosque proſequantur. Fortaſſe igitur inter οἴχωκεν et νέον aliquot verſiculi perierunt; quorum quidem cum vicinis junctorum hanc fere ſententiam fuiſſe ſuſpicor: *Abiit omnis Aſiae juventus; magnum ex horum deſiderio dolorem capiunt, patres, matres, uxores; unaquaeque recens nupta moeret, et juvenem maritum cum clamore poſcit.* βαΰζειν Heſychius interp. ὑλακτεῖν; h. l. transfertur verbum ad *vociferandi flagitandique* ſenſum, quemadmodum in illo Lucretiano, — *nonne videtis Nil aliud ſibi naturam latrare*, idem eſt *latrare*, ac *vehementer poſcere*, *flagitare*.

v. 14. 15. κοὔτε — ἀφικνεῖται] *neque ullus ſive pedeſtris ſive equeſtris nuntius ad hanc urbem Perſarum imperii caput advenit.* ἱππεὺς de ἀγγάροις illis ſ. veredariis publicis accipio apud Perſas inſtitutis, quorum rationem deſcribit Herodotus lib. VIII. c. 98.

v. 16. οἵτε *qui quidem* ſcil. Perſae *Suſorum urbe*, et *Ecbatana*, Mediae metropoli, *et vetere Ciſſiae ſede relicta abierunt, alii equis alii navibus vecti, alii pedites, pedeſtri itinere belli robur ac molem praebentes.* πολέμου στίφος παρέχειν vel ſimpliciter eſt *bellicum agmen facere*, vel ſimul *robur belli* notatur. Utro modo explices, hoc certe tenendum, βάδην — παρέχοντες ad πεζοὺς tantum, non ad equites nautasque pertinere. Aliter enim poſt βάδην commate diſtinguendum eſſet, repetito poſt βάδην, ex antecedentibus ἔβαν; quod ſane langueret ex tautologia, πεζοὶ βάδην ἔβαν. Noſtra vero ratione elegans efficitur periphraſis, πεζοί τε, βάδην πολέμου στίφος παρέχοντες.

Κίσ-

Κίσσιναν ἔρκος] „Susa a Tithono condita, Memnonis patre; arx ipsa Memnonium vocabatur. Susii etiam Cissii sunt dicti, et Aeschylus Memnonis matrem Cissiam vocat. Strabo l. XV. p. 728. Λέγεται γάρ δὴ καὶ κτίσμα Τιθωνοῦ τοῦ Μέμνονος πατρός. Et mox: ἡ δ' ἀκρόπολις ἐκαλεῖτο Μεμνόνειον. Λέγονται δὲ καὶ Κίσσιοι οἱ Σούσιοι. Φησὶ δὲ καὶ Αἰσχύλος τὴν μητέρα Μέμνονος Κισσίαν. Auroram intelligit, quam Aeschylus (fortasse in Ψυχοστασίᾳ) Cissiam fuisse tradidit. Sic Strabo. Aeschylus vero hic Susa et τὸ παλαιὸν Κίσσινον ἔρκος separat, ut et postea v. 117. Cissia sane urbs erat in agro Susiano, Ptolem. Geogr. VI. Κισσίης χώρης meminit Herodotus VI. 236. Cissiorum Hesychius; ἔθνος Περσῶν, quos in hac expeditione adversus Graecos profectos, tradit idem Herodotus armaturamque describit, et ducem nominat, Ataphem Otanis fil. lib. VI." *Stanlej.*

v. 21. Ἀμίστρης idem esse videtur, qui infra vocatur Ἀμήστρις. Virorum nomina metro refractaria in ordinem cogenda erant, ut versui aptari possent. Qui vulgo Ἀρτοφέρνης, transpositis literis Ἀρταφρένης dici debuit." *Brunck.* „Sane Artaphernes quidam, Artaphernis fil. Lydorum et Mysorum dux in hac expeditione memoratur Herodoto lib. VII." *Stanlej.*

v. 22. Μεγαβάζης] „Idem fortasse, qui Herodoto Μεγάβαζος, ὁ Μεγαβάτεω inter praefectos nauticarum copiarum recensitus lib. VII. c. 87." *Stanl.* Ἀστάσπης] „an idem qui Herodoto Ὑστάσπης dux Bactriorum et Sacarum? lib. VII. 95. *Stanl.*

v. 24. βασιλῆς βασιλέως ὕποχοι] „Persarum imperatorem plures reges sibi subditos habuisse nemo nescit, ideoque titulum *regis regum* sibi vindicabat; ita in inscriptione monumenti Cyrum appellatum testatur Strabo lib. XV. ex Onesicrito.

Ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλήων.

Ita

Ita se nominat Artaxerxes in epistola ad Esdram, Esdrae lib. I. c. 7." *Stanl.*

*βασιλέως μεγάλου*] Hoc titulo regem Persarum insignitum fuisse notissimum est; nec in re tralatitia opus est exemplis, quae ad h. l. congessit Stanlejus.

v. 26 — 28. *τοξοδάμαντες — δόξῃ*] *alii quidem sagittarii, alii equites, adspectu formidabiles, in praelioque strenui, propter insitam animi virtutem, cujus laude florent cedere nescii.*

v. 29. *ἱππιοχάρμας*] „Ita Pindarus Hieronem Συρακόσιον ἱππιοχάρμαν *βασιλῆα* vocat, vel ut alii, ipsos Syracusios ἱπποχάρμας, qui legunt Συρακοσίων ἱπποχαρμᾶν *βασιλῆα*. Ubi tamen mallem cum nostro ἱππιοχάρμαν. Hesychius: Ἱππιοχάρμης, ὁ ἐφ' ἵπποις χαίρων ἢ μαχόμενος. Χάρμη γὰρ ἡ μετὰ χαρᾶς μάχη. De Persis diserte Hieronymus in Hierem. cap. 12. *juxta historiam omnis Persis et universa Chaldaea, et regionum illarum exercitus gaudet equitatu.* cf. et Xenoph. Cyrop. lib. VIII." *Stanl.*

v. 30. *Μασίστρης*] „Inter duces Persicos *Μασίστης* quidam nominatur Herodoto lib. VII." *Stanl.*

v. 31. *Φαρανδάκης*] An qui Herodoto *Φαρενδάτης* qui Maribus et Colchis praeerat? lib. VII. 79." *Stanlej.*

v. 32. *Νεῖλος*] *magnus* appellatur, quia ceteris longior multo et copiosior fuit, quam ob causam saepe etiam cum de Aegypto agitur, *κατ' ἐξοχήν* vocatur ὁ *ποταμὸς*. *πολυθρέμμων*, *almus*, *fertilis;* Epitheti rationem reddit Strabo lib. XV. *καὶ Νεῖλον δ' εἶναι γόνιμον μᾶλλον ἑτέρων, καὶ μεγαλοφυῆ γεννᾶν καὶ τἄλλα καὶ τὰ ἀμφίβια· τάς τε γυναῖκάς ἐσθ' ἥτε καὶ τετράδυμα τίκτειν τὰς Αἰγυπτίας. Ἀριστοτέλης δὲ καὶ ἑπτάδυμά τινα ἱστορεῖ τετοκέναι· καὶ αὐτὸς πολύγονον καλῶν τὸν Νεῖλον, καὶ τροφιμον διὰ τῶν ἐκ τῶν ἡλίων μετρίαν ἔψησιν αὐτὸ καταλιπόντων τὸ τρόφιμον, τὸ δὲ περιττὸν ἐκθυμιώντων." *Stanl.*

v. 34.

v. 34. Πηγασταγὼν] „Scholiaſtes monet nomina haec non eſſe Aegyptiaca, ſed ab ipſo poëta conficta; certe Perſica potius videntur. Πηγασταγὼν inter Perſas nominatur infra. Eſt et Ἀρσάμης nomen Perſicum, Antigon. Hiſt. mirab. 12. *Φησὶ δὲ ὁ ἱστοριόγραφος Ἀρσάμην τὸν Πέρσην εὐθὺς ἐκ γενεῆς ὀδόντας ἔχειν.* Arabum et Aethiopum dux Arſames in hac expeditione memoratur Herodoto lib. VII." *Stanl.* Ego vero non video, cur Aegyptiaca horum ducum nomina eſſe debuerint; quid enim impedit, quo minus credamus Perſarum proceres Aegyptiis praefectos fuiſſe?

v. 37. *ὠγυγίας Θήβας*] De hoc Thebarum Aegyptiacarum cognomine cf. Stanleji not. ad Sept. adv. Theb. v. 327.

v. 39. *καὶ ἑλειοβάται*] „Per *ἑλειοβάτας*, *paludicolas*, intelligit incolas *ἑλέων*, regionum paluſtrium Aegypti. vid. poſt Schol. Spanhem. ad Iulian. p. 255. Hemſterh. ad Ariſtoph. Plut. v. 178. et Weſſeling. ad Hierocl. Synecd. p. 716. Thucydide teſte Ἕλειοι iſti Aegyptii erant omnium bellicoſiſſimi, v. lib. I. c. 110." *Abreſch.* *δεινοὶ ἐρέται*, *boni remiges*, *acres*. (Sic *acri remige* Virg. Aen. v. 116.) Sin *ἐρέτας* de militibus nauticis capias, *δεινοὶ fortes* erunt.

v. 41. *ἁβρωδιαίτων Λυδῶν*] „Mollitiei Lydorum ſatis aperta indicia, quod filias ſuas omnes proſtituerint; quod primi caupones inſtitoresque exſtiterint, et quod inventum ab ipſis teſſerarum et talorum ludum et pilae *καὶ ἄλλων πασέων παιγνίων τὰ εἴδεα πλὴν πεσσῶν* jactitarint. Herod. lib. I. 94." *Stanl.*

v. 43. *κατέχουσιν ἔθνος*] Etſi haec explicari poſſunt, ſi *κατέχειν ἔθνος* inſolentius dictum ſit, pro *gente aliqua contineri*, mihi tamen veriſimilius eſt, articulum *τοὺς* ante *Μιτραγαθὴς* ab aliena manu inſertum, Aeſchylum autem ita ſcripſiſſe:

οἵ τ' ἐπίπαν ἠπειρογενὲς
Κατέχουσιν ἔθνος, Μιτραγαθὴς
Ἀκρεύς τ' ἀγαθὸς βασιλῆς δίοποι·

coli ſigno poſt δίοποι poſito, ita ut ex antecedentibus ſubintelligatur ἕπονται. Senſus: *Sequitur vero etiam mollis Lydorum populus, et qui omnes gentes in illa continente natas imperio regunt, Mitragathes, et fortis Arceus, praefecti regii.*

βασιλῆς δίοποι brevius eosdem deſignat, qui antea βασιλῆς βασιλέως ὕποχοι μεγάλου στρατιᾶς ἔφοροι dicebantur. Euſtath. in Iliad A'. δίοπος — λέξις παρ' Αἰσχύλῳ ἡγεμονική. Idem in Iliad. B'. οὐ μόνον δίοποι οἱ ἄρχοντες, ὡς καὶ Αἰσχύλος δηλοῖ, ἀλλὰ καὶ ἀδίοποι οἱ μὴ ἀρχόμενοι. Et in Odyſſ. M'. διέπειν, Τὸ ἐνεργεῖν λέγει ὅθεν καὶ δίοπος ὁ οἰκονόμος παρ' Αἰσχύλῳ. Verum ultima haec Euſtathii gloſſa ad alium Aeſchyli locum pertinet. Heſychius: Δίοπος, ἐπίσκοπος, ἄρχων, ναύαρχος, ἐπιστάτης; item Δίοποι, ἐπιμεληταί. Huius quidem interpretationis ſedes in hoc Aeſchyli loco ponenda videtur.

v. 45 ſqq. καὶ πολύχρυσοι Σάρδεις — προσιδέσθαι] *Et Sardes* (male Stanl. intp. *Sardi*) *auro abundantes multorum curruum vectores emittunt, quadrijuges et ſejuges ordines, terribile viſu ſpectaculum.* πολύχρυσοι dicuntur Sardes, quia Pactolus e Tmolo fluens, aurique ramenta ſecum ferens, mediam urbem ejusque forum interluebat (Herodot. lib. I. c. 17. Strabonis autem aetate haec ramenta defecerant. Geogr. lib. XIII.); unde etiam Croeſus divitias habuiſſe dicebatur. ἔποχος Heſych. ὁ ἐπὶ του ὀχήματος. Idem Ἔποχοι οἱ ἐπὶ τῶν ὀχημάτων διαβαίνοντες.

ἐξορμῶσι] „Tranſitive quam abſolute frequentius verbum inveneris apud auctores paulo antiquiores. v. c. Eurip. Iphig. Taur. v. 1437. παῦσαι διώκων, ῥεῦμά τε ἐξορμῶν στρατοῦ. —" *Abreſch.* τέλη ſunt ordines curruum bellicorum. δίζυγοι currus, qui duo temones habent, et quibus quaterni equi junguntur, τρίζυγοι autem tribus temo-

monibus inſtructi ideoque ſejuges. Abradates (ap. Xenoph. Cyrop. lib. VI. c. 1. ubi vid. Zeunii not.) ſibi paraverat ἅρμα τετράρυμόν τε καὶ ἐξ ἵππων ὀκτώ, indeque Cyrus excogitavit currus octo temonum, turribus oneratos, qui octonis boum jugis veherentur.

v. 49 ſqq. στεῦνται — ἄκμονες] *Minantur vero etiam ſacri Tmoli accolae ſervitutis jugum imponere Graeciae, Mardon, Tharybis*, ſc. duces eorum, *haſta acres.* Tmolus Lydiae mons ἱερὸς, ut ap. Eurip. Bacch. v. 64., quia ibi Bacchus ex Jovis femore natus eſſe ferebatur (cf. Spanhem. ad Callim. hymn. in Del. v. 70.). Circa eum habitabant olim Lydi, Maeones, Myſi (Hom. Il. B'. 866. Strab. lib. XII. p. 625.). Lydorum tamen et Myſorum ducem Artaphernem nominat Herodotus.

v. 52. ἀκοντισταὶ Μυσοὶ, quia jaculis praeuſtis utebantur. Herodotus armaturas variarum gentium in hac expeditione deſcribens: Μυσοὶ δὲ ἐπὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι εἶχον κρόκεα ἐπιχώρια, ἀσπίδας δὲ μικράς. Ἀκοντίοισι δὲ ἐχρέωντο ἐπικαύτοισι. Lib. VII. 74.

v. 53. Βαβυλὼν δ' ἡ πολύχρυσος] „De hujus urbis opulentia cf. Herod. lib. I. 192. et Strab. lib. XV." *Stanl.* In uno Beli templo immenſa vis aureae ſupellectilis fuit. Herodot. I. 181 ſqq.

πάμμικτον ὄχλον, ſc. partim nautas, partim pedites. πέμπει σύρδην Stanl. vertit *mittit tractim.* Verum quid hoc ſit *tractim mittere?* σύρδην ἀναλῶσαι apud Eurip Rheſ. v. 85. eſt *funditus perdere.* Sed haec adverbii notio non magis quam illa ab hoc loco aliena. Quid multa? Mihi vel σύδην *impetuoſe*, vel Φύρδην *mixtim* ſ. *promiſcue* legendum eſſe videtur. ναῶν ἐπόχους, *nautas et milites claſſiarios.* τοξουλκῷ λήματι πιστοὺς, *ſagittandi peritia feroces.*

v. 56 ſqq. τὸ — πομπαῖς] *Enſiferque populus ex universa Aſia ſequitur venerandis grandibusque ſub regis auſpiciis.*

ὑπὸ πομπαῖς] „Dum exſpecto, qui doceat ὑπὸ illam induere compoſitis virtutem, quam hic agnoſcunt vete-

res critici, mihi dubium non erit, legendum quin ſit ὑπὸ πομπαῖς, ſeparatis, quae male in unam vocem coaluere. Simplex πομπὴ pro *inſtinctu* habes in Ariſtid. Tom. I. p. 181. πέμπουσι θείᾳ πομπῇ ἡῆν ἐπὶ πᾶσαν ἀφορμὰς τοῦ βίου· et Ζεφύρου πομπὰς dixit Pindar. Nem. Od VII. v. 43. Hinc ſenſu valde commodo ὑπὸ πομπαῖς βασιλέως accipi poterit pro *regis ductu.*" *Abreſch.*

v. 59. ἄνθος ἀνδρῶν Περσίδος αἴης ut Agam. v. 205. ἄνθος Ἀργεος vel Ἀργείων de delecto juvenum virorumque bello gerendo idoneorum exercitu.

v. 61. οὓς πέρι — μαλερῷ] *Propter quos omnes quae eos genuit et aluit Aſiatica tellus ingemiſcit flagrans deſiderii igniculis.* μαλερῷ, *ardente, ignibus conſumente*, bene de deſiderio; uritur enim animus cupidine abſentis amici videndi et quaſi tabeſcit.

v. 63. τοκέες τ' — τρομέονται] *parentesque et uxores, ſingulos dies numerando temporis mora et tarditate anguntur.*

ἡμερόλεγδον] „Sic Ariſtot. Natur. Animal. lib. VI. ἔνιοι διαχυρίζονται δέκα μῆνας κύειν ἡμερόλεγδον, h. e. decem menſes continuos, (ita ut ſinguli dies numerentur). ἡμερολεκτεῖν *quotidie numerare.*" *Stanl.*

v. 65. πεπέρακε μὲν — χώραν] *Jam quidem transiit regis exercitus urbium vaſtator in vicinam oppoſitam regionem.* Cherſoneſum ſcil. Abydo exadverſum ſitam. ἀντίπορον, ut in Suppl. 553. ἀντίπορος γαῖα, et Eurip. med. 210. Ἑλλὰς ἀντίπορος. Eodem ſenſu ἀντήρη χώραν poſuit Eurip. Troad. 220. et ἀντίπορθμος id. Jon. 1585. —" *Abreſch.*

v. 68—71. λινοδέσμῳ — πόντου] *per rates lineis vinculis* ſ. funibus *inter ſe junctas, fretum Helles, Athamanti filiae*, i. e. Hellespontum *ſuperans, pontem multis clavis firmatum, jugo cervicibus ponti impoſito.* Pontem navalem, quo Xerxes Europam Aſiae junxit, luculenter deſcribit Herodotus lib. VII. Poſt ζόισμα ambigua eſt interpunctio,

et

et jam olim pro eo legebatur Schol. teste, ἔρεισμα. Utra lectio verior sit, certo definire non ausim. Si vero ὄδισμα teneas, melius est, coli signo a sequentibus disjungere, ut πολύγομφον ὄδισμα sit explicatio quaedam verborum λινοδέσμῳ σχεδίᾳ, et ita connectatur cum antecedentibus, ut vel simul cum acc. πορθμὸν a participio ἀμείψας regatur, vel absolute positum sit. Sin ἔρεισμα legas, quod est *firmamentum*, aptius cum sequentibus ita construatur, ut sensus sit: *firmamento multis clavis revincto* tamquam *jugo cervicibus ponti impositio*. In his ζυγὸν — αὐχένι πόντου nobilis est metaphora, non tamen ultra tragici sermonis altitudinem assurgens.

v. 72 sqq. πολυάνδρου — ἰσόθεος φώς] In his v. 75. melius legi arbitror πεζονόμους, commatis vel coli signo post Σαλάσσης posito; quam quidem rationem Scholiastae quoque placuisse suspicor. Sensus: *Populosae autem Asiae bellicosus rex gregem divinum*, h. e. *immensum*, *bifariam partim terrestres*, *partim ex mari* s. maritimas *copias agit*, *fortibus asperisque ducibus confisus*. E lectione πεζονόμοις gracilior sensus oritur, nec satis, ut ita dicam, rotundus; epitheta enim, quae ad universas Xerxis copias pertinebant, tantummodo ducibus eorum tribuuntur. πεζονόμος, si accusativum legas, signif. *pedestris*, q. d. *qui pedestris pascitur*. Si dativum serves, est *pedestres pascens*. Illa ratione passive accipitur, ut ἀγρονόμος ap. Homer. Od. Z. 106. Utrumvis legas, servatur translatio, quae est in ποιμανόριον. „ποιμανόριον, *exercitum*. Non enim hoc vocabulo *gregem* tantum *ovium*, sed et populi significari, monet Eustathius, nostrum laudans in Iliad. II. τὸ δέ ποιμὴν λαῶν, ταυτὸν ὂν τῷ ἀνδρῶν· ποιμάνωρ συνθέτως Αἰσχύλος εἴρηκε, καὶ τὸ τοιοῦτον ποίμνιον, ποιμανόριον. cf. infr. v. 239. Hesych. Ποιμάνωρ· ποιμὴν ἢ βασιλεύς." *Stanl.* στυφελὸς *asper*, i. q. *fortis*, *bellicosus*, quemadmodum Virgilius: *studiis asperrima belli*, de Carthagine (Aeneid. I. 14.). ἐφέταις· Hesychius: Ἐφέτας· τοὺς ἡγεμόνας τῶν

Περσῶν καταχρηστικῶς, proprie enim erant Athenienſium judices, qui de cauſis capitalibus cognoſcebant.

χρυσογόνου γενεᾶς] *Genus auro prognatum* appellatur Xerxis genus, quatenus a Perſeo deducitur, quem Danaë turri aenea incluſa ex Jove, qui in pluviam auream commutatus ei vitium fecerat, ſuscepiſſe dicitur. Fabula eſt notiſſima. Xerxem vero e Perſei poſteris eſſe, ſimiliter fingit Lycophron (Caſſandr. v. 1403 ſqq.), hisce verſiculis, quos jam Stanl. adhibuit:

Ἀλλ' ἀντὶ πάντων Περσέως ἕνα σπορᾶς
Στελεῖ γίγαντα, τῷ θάλασσα μὲν βατὴ
Πεζῷ ποτ' ἔσται, γῆ δὲ ναυσθλωθήσεται
Ῥήσσοντι πηδοῖς χέρσον·

Perſas vero omnes a Perſeo nomen accepiſſe auctor eſt Herodotus lib. VII. c. 61. ἐκαλέοντο δε (Πέρσαι) πάλαι ὑπὸ μεν Ἑλλήνων Κηφῆνες, ὑπὸ μέν τοι σφέων αὐτέων καὶ τῶν περιοίκων Ἀρταῖοι. Ἐπεὶ δέ Περσεὺς ὁ Δανάης τε καὶ Διὸς ἀπίκετο παρὰ Κηφέα τὸν Βήλου, καὶ ἔσχε αὐτοῦ τὴν θυγατέρα Ἀνδρομέδην, γίνεται αὐτῷ παῖς ᾧ οὔνομα ἔθεντο Πέρσην. Τοῦτον δὲ αὐτοῦ καταλείπει. Ἐτύγχανε γὰρ ἄπαις ἐὼν ὁ Κηφεὺς ἔρσενος γόνου. Ἐπὶ τούτου δὲ τὴν ἐπωνυμίην ἔσχον.

v. 79 ſqq. κυάνεον — ἄρην] *Oculisque caeruleum referens immitis ſ. cruenti draconis vultum, multo cum milite multisque cum navibus Aſſyrium currum agens, Martem arcipotentem adverſus viros haſtis nobiles ducit.* Sublimis deſcriptio! Similitudo draconis graviter deſignat trucem bellicoſi regis vultum.

Σύριον] „Pro Aſſyrio, ſicut monet interpres Graecus. Herodot. lib. VII. 63. de Aſſyriis verba faciens: οὗτοι δὲ ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων ἐκαλέοντο Σύριοι, ὑπὸ δὲ τῶν βαρβάρων Ἀσσύριοι ἐκλήθησαν. Strabo lib. XVI. οἱ δ' ἱστοροῦντες τὴν Σύρων ἀρχὴν, ὅταν φασὶ Μήδους μὲν ὑπὸ Περσῶν καταλυθῆναι, Σύρους δὲ ὑπὸ Μήδων, οὐκ ἄλλους τινὰς τοὺς Σύρους λέγουσιν, ἀλλὰ τοὺς ἐν Βαβυλῶνι καὶ Νίνῳ ἐκατεσκευασμένους τὸ βασίλειον. Oritur differentia ex additamento articuli Arabici." *Stanl.*

v. 83.

v. 83. ἐπάγει — ἄρην] „*Contra* Graecos, *qui haſtis in pugna uſi ſunt*, *adducit* Perſas, *quibus arcus et ſagittae praecipua armatura.*" cf. v. 145 ſqq. Herodotus Perſarum arma recenſens lib. VII. αἰχμὰς inquit, βραχέας ἔχον, τόξα δὲ μεγάλα, ὀϊστοὺς δὲ καλαμίνους. Et apud eundem lib. V. Ariſtagoras ἥ τε μάχη αὐτέων ἐστὶ τοιήδε, τόξα καὶ αἰχμὴ βραχέα. Ubi tamen in deſcribendo arcu Perſico parum inter ſe conveniunt Ariſtagoras et Herodotus, quem hic brevem, ille magnum dicit. Sub gerris et ſcutis ex humeris pendere pharetras diſcimus ex eodem Herodoto lib. VII. ὑπὸ δὲ φαρετρεῶνες ἐκρέμαντο. Strabo lib. XV. παρὰ δὲ τὰς φαρέτρας καὶ σαγάρεις ἔχουσι. Rurſus eodem libro: ἔχει δ' ἕκαστος τόξον καὶ σφενδόνην." *Stanl.*

τοξόδαμνον] Rectius forte fuerit cum Pottero ad Lycophr. v. 1331 τοξοδάμνον ſcribere. Tzetzes enim ad illum locum monet, τοξόδαμνον eſſe *arcu domitum*, τοξοδάμνον vero, παρὰ ξυτόνως, *arcu domantem.* Quicquid ſit, h. l. activam hujus vocabuli vim obtinere, certum eſt.

v. 85 ſqq. δόκιμος — λαός] *Neque quisquam idoneus, qui valeat, magno virorum torrenti*, immenſo exercitui, *obnitens*, *firmo aggere*, oppoſita militum mole, *inexpugnabilem maris fluctum*, exercitum Perſarum, cuius vim et impetum ſuſtinere nemo poteſt, *propulſare. Suſtineri enim non poteſt Perſarum exercitus bellicoſusque populus.* Allegoria nobilis, audax, lucida, ſibique egregie conſtans. cf. Theb. v. 64 116. Bene etiam comparavit Stanl. illud Ciceronis ad Attic. VII. 5. *Fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat.*

δόκιμος] „Interpr. reddit *exſpectandus*, quaſi legeretur προσδόκιμος. Rectius Schol. exp. ἀνδρεῖος. Heſych. τέλειος, χρήσιμος." *Abreſch.* Et Heſychii quidem gloſſa χρήσιμος hic optime quadrat.

ἀπρόϊοιτος] Ἀπρόϊοιτος, ἀνυπομόνητος Heſych., qui vel in codice ſuo legit ἀπρόϊοιτος, vel corrigendum ἀπρόϊοιστος.

v. 91 ſqq. Δολόμητιν — φυγεῖν] *Inſidioſam vero fraudem numinis quis mortalium evitet? Quis levi agilis pedis ſaltu ſe expediat? Amice enim initio blandiens ducit mortalem in retia, unde non licet homini ſine noxa effugere.* δολόμητιν ἀπάταν θεοῦ ita accepit Stanl., ut Aeſchylum ad ſomnium illud reſpexiſſe putaret, quod, Herodoto narrante, bis Xerxi apparuerat, minitans, ni extemplo expeditionem ſuſciperet, eum brevi ad incitas redactum iri. Quamquam vero eodem trahit illa, quae v. 101. ſequuntur, mihi tamen haud perſuaſit vir doctiſſimus, Aeſchylum nocturnum illud Xerxis viſum in hanc fabulam illigare voluiſſe. Ego potius h. l. univerſe, ſine reſpectu ad illud ſomnium, hanc ſententiam deſignari ſtatuo, magnam hominis fortunam ſaepiſſime cladis alicujus aut calamitatis praenuntiam eſſe. Nimirum duae ſunt opiniones veterum de divini numinis erga fortunam hominum habitu; altera, qua deum eundem hominem perpetuo beatum eſſe ferre poſſe negabant; altera, qua divinum numen ipſam hominis felicitatem, praeſertim ſi ea inſolenter abutatur, inſciente eo ac minime ſperante in perniciem convertere ſtatuebant. Illam igitur ob cauſam deo *invidiam;* hanc ob rem autem ei *dolum* ſ. *fraudem* tribuunt. Prioris ſentiendi loquendique rationis exemplum occurrit ap. Herodot., ubi lib. III. c. 40. Amaſis ad Polycratem ſcribit, — ſe quidem ejus proſpera fortuna delectari, ſed propterea quod nimia ſit ejus proſperitas, et humanitatis modum excedat, ſollicitum eſſe; non ignotam enim ſibi eſſe numinis invidiam. ἐμοὶ δὲ, inquit, αἱ σαὶ μεγάλαι εὐτυχίαι οὐκ ἀρέσκουσι, ἐπισταμένῳ το θεῖον ὡς ἔστι φθονερόν· — οὐδένα γὰρ καὶ λόγῳ οἶδα ἀκούσας, ὅστις ἐς τέλος οὐ κακῶς ἐτελεύτησε πρόρριζος, εὐτυχέων τὰ πάντα. Eodem modo Artabanus Xerxem a bello adverſus Graeciam avertere cupiens invidiam hanc divini numinis commemorat lib. VII. c. 10. ὁρᾷς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα ὡς κεραυνοῖ ὁ θεὸς οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέν μιν κνίζει; ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ καὶ δένδρεα τά τοιαῦτ' ἀπο-

ἀποσκήπτεται βέλεα; Φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν· οὕτω δὴ καὶ στρατὸς πολλὸς ὑπὸ ὀλίγου διαφθείρεται κατὰ τοιόνδε· ἐπεάν σφι ὁ θεὸς φθονήσας φόβον ἐμβάλῃ ἢ βροντὴν, ὑπ' ὧν ἐφθάρησαν ἀναξίως ἑωυτῶν, οὐ γὰρ ἐξ φρονέειν ἄλλον μέγα ὁ θεὸς ἢ ἑωυτόν. Itaque cum h. l. Chorus de dolosa fraude numinis loquitur, nihil aliud intelligit, quam deum summam hominum fortunam subito saepe evertere, eosque nec opinantes, ac rerum suarum prosperitati nimium quantum confisos in acerbissimas calamitates, unde se expedire nequeant, conjicere. Quocirca Aeschylum in his ad somnium illud regis ab Herodoto narratum respexisse, tantum abest ut concedam, ut potius illud ei fortasse ne in mentem quidem venisse existimem. Certe si Stanleji conjectura valeret, infra ubi Darius quaerit, quid Xerxen, ut Graecos bello persequeretur, impulerit, Chorici senes hoc somnium silentio non praeteriissent. Quid enim ad excusandum Xerxen majorem potuisset vim habere, quam si per nocturni visi fallaciam eum a deo ad suscipiendum bellum excitatum fuisse docuissent?

δολόμητιν] In hoc epitheto non inest injustitiae criminatio. Alibi enim tragicus noster eandem ἀπάτην justam appellavit, versiculo ab Eustath. ad Iliad. B'. commemorato, ὅτι δέ ἐστιν, sic ille, οὐ μόνον κακὴ ἀπάτη, ἀλλὰ καὶ ἀγαθὴ, Αἰσχύλος δηλοῖ εἰπών,

Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.

v. 93. τίς — ἀνάσσων] „Sic utique ad metri integritatem scribendum, non ἀναΐσσων. Inepta in cod. Reg. B. glossa εὐδοκιμῶν, κρατῶν. Credo equidem a veteribus Atticis ἄσσω scriptum fuisse sine jota. Sed scriptura illa, si hodie admitteretur, minus exercitatis molestiam saepe facesseret. Qui enim distinguerent ἀνάσσω, cujus thema ἄναξ, ab ἀνάσσω significante ἀναΐσσω? — H. l. autem notanda est enallage Poëtis frequens: τίς ὁ κραιπνοῦ ποδὸς εὐπετεῖ πηδήματι ἀνάσσων. Sic Sophocl. Electr. 19. μέλαινά τ' ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη, pro ἐκλέλοιπεν ἄστρα με-

λαίνης εὐφρόνης. Eurip. Hel. 1098. παρῇδέ τ' ὄυυχα Φόνιον ἐμβαλῶ χρόος, pro παρῇδος χροΐ. Oreſt. 227 ὦ βοστρύχων πινῶδες ἄθλιον κάρα, pro ὦ βόστρυχοι πινώδεις ἀθλίου κάρα. Exempla paſſim obvia apud utriusque linguae poetas. —" *Brunck.* Imo et Germanorum lingua nonnunquam imitari poteſt. v. c. Aeſchyli verſiculos illos ita vertere licet: *Wer kann mit behendem Fuſse, leichten Sprunges, entkommen?* vel ſic: *Wer kann mit einem leichten Sprunge des behenden Fuſses entkommen?*"

πηδήματος] Metaphora ducta eſt a beſtiis, quae capiuntur in foveis, ſtramento aut virgulto tectis, unde exſilire non datur.

v. 95. Φιλόφρων γὰρ σαίνουσα, ſimulata *benevolentia blandiens*, ſc. ἀπάτη illa; pertinet ad ingentem illam fortunam, quae hominis perniciem antecedere ſolet.

v. 98. τόθεν — φυγεῖν] E tribus haec verba conſtruendi interpretandique rationibus, quas attulit Abreſchius, unam tantum, quae unice vera eſt, omiſſis reliquis, enotamus. ὑπὲρ nimirum cum φυγεῖν, a quo disjunctum eſt, connectendum: τόθεν οὐκ ἔστιν θνατὸν ὑπερφυγεῖν ἀλύξαντα, *unde mortalis non poteſt ſine noxa effugere*, ſ. *quos laqueos nemini mortali ſuperare licet, etiamſi omnibus viribus id conetur.* Atque ita dicitur, eodem obſervante Eurip. Bacch. v. 868. φυγεῖν ὑπὲρ ἀρκτύων, et infr. Agam. v. 366. ὑπερτελέσαι δίκτυον. it. v. 1385. ἀρκύστατον, ὕψος κρεῖσσον ἐκπηδήματος.

v. 100 ſqq. θεόθεν — ἀναστάσεις] *Divinitus enim jam dudum* proſpera *fortuna obtinuit, Perſasque adegit, ut bella gererent, turribus infeſta, tumultuque equis gaudente*, h. e. proelio equeſtri, *urbiumque everſionibus occuparentur.* μοῖρα h. l. non univerſe de fato, ſed de felici Perſarum fato accipio, quo nimirum uſi ſic inſoleſcebant, ut animos ad bella gerenda converterent. πόλεμοι πυργοδάϊκτοι de obſidione urbium, et proeliis inter oppugnatores obſeſſosque commiſſis; at πόλεων ἀναστάσεις deſignat urbium jam

jam expugnatarum everſionem. κλόνος de turba ac tumultu hoſtium in pugna congreſſorum, ut ap. Homer. E. 167. Π. 331. ἐπέσκηψε autem, *inflixit*, h. l. de impoſita neceſſitate pugnandi, cui reſiſti non poteſt.

v. 106 ſqq. ἔμαθον — μηχανὰς] Stanl. ita vertit: *didicerunt vero vaſti maris, albicantis flamine rapido, aſpicere marinum nemus, freti tenuiter textis rudentibus et populum transfretantibus machinis;* qua in verſione poëtae dictio non tautologiae ſolum inſulſae, ſed inſicetae quoque translationis ſpeciem induit. Quomodo enim ferri poſſit *maris* marinum *nemus?* Aut quomodo *mare* cum *nemore* comparetur? Sed iſta interpretis, non poëtae, culpa eſt. Primum enim etſi πόντος ac θάλασσα ſynonyma ſunt, non tamen ita ſunt ſimilia, ut prorſus nihil differant; πόντος enim praeterea quod mare ſignificet, certi alicujus maris propriam habet notionem adjunctam, quod ſecus eſt in θάλασσα, ideoque, ſicut Aeſchylo quidem licuit hac figura verborum uti, σκάφη νεῶν, idem vero ſi νᾶες νεῶν dixiſſet, omnibus profecto, qui eum audirent, riſum debuiſſet; ita πόντιον ἄλσος θαλάσσης excuſari poteſt, non item ſi dixiſſet θαλάσσιον ἄλσος θαλάσσης. Itaque ſaltim non *maris marinum nemus*, ſed *pelagi marinum nemus*, aut *ponti marinum nemus* vertere debebat interpres. Accedit, quod Aeſchylus πόντιον de Hellesponto videtur intellexiſſe, certe, quae ſequuntur, eum Hellespontum a Xerxe trajectum ſpectaſſe planum faciunt. Ἄλσος autem h. l. non *nemus*, ſed *pratum* ſignificat, ideoque πόντιον ἄλσος ita dicitur, ut Ciceroni placuit in Arateis: *Neptunia prata fecantes*, quem locum in notis ad partes vocavit Stanlejus. Plura dabimus in lex. Aeſchyl. v. ἄλσος. Itaque latinis verbis hoc potius modo reddenda ſunt Graeca: *didicerunt vero* (nempe antea ob rei nauticae ignorantiam nondum docti) *vaſti maris ventorum impetu albeſcentis pontica prata*, (vel ſi mavis, *vaſti pelagi marina prata*) *intueri.* λεπτόδομα πείσματα, *rudentes a tenuibus filis contexti;* et haec quidem, tanquam partem pro toto, de

de navibus Xerxis intelligo; λαοπόρους autem μηχανὰς de ponte navali, quo Xerxes Hellespontum trajecit, accipio, cujus descriptio exstat ap. Herodot. lib. VII. c. 36. Sensus igitur verborum πίσυνοι — μηχαναῖς detracto ornatu poëtico hic est: *freti navibus et ponte navali.*

v. 112 sqq. ταῦτά μοι — λακίς] Ab stropharum sensu et verborum consecutione Scholiastes pariter atque interpres latinus valde aberravit. Vere enim sic explicandae: *Propterea mihi tristia praecordia metu vellicantur* s. *punguntur*, *ne* istum clamorem, *Heu Persarum exercitum! audiat civitas*, *urbs magna Susidis viris vacua*; illique clamori *Cissina urbs respondeat*, *Heu*, *illud verbum* (scil. ὀὰ) *universa mulierum caterva vociferante*, *byssinique mulierum pepli*, prae dolore *lacerentur*. In Graecis tamen paululum languere videtur τοῦδε post στρατεύματος; quam ob causam pro eo legendum opinor τοῦτο, ita ut commate post στρατεύματος posito, τοῦτο sublata distinctione cum μὴ πόλις quam proxime cohaereat, eodemque modo ad praecedentia ὀὰ περσικοῦ στρατεύματος referatur, quo in antistrophe sequente τοῦτ' ἔπος refertur ad praecedens ὀά. Nempe metuebat Chorus, ne serius ocius adventurus esset nuntius clamans: *Heu Persicum exercitum!* sc. deletum; illumque clamorem audiret vacua viris urbs Susorum, eumque redderet Cissina civitas, omni mulierum turba lamentabilem illam vocem HEU (ὀά), quam ex nuntio primum audierant, repetente. Cl. Brunckius hunc locum graecis verbis ita explicavit: διὰ ταῦτα φοβοῦμαι ὑπὲρ τοῦ Περσικοῦ στρατεύματος, μὴ πόλις πύθηται . . . . καὶ τὸ Κίσσινον πόλισμ' ἀντίδουπον ἔσσεται, τοῦ γυναικοπληθοῦς ὁμιλου ἀπύοντος, Ὀά, καὶ μὴ λακισθῶσιν οἱ βύσσινοι πέπλοι. In quibus ut alia melius quam ceteri, tum hoc praeclare vidit γ. ὅμιλος ἀπύων nominativos esse consequentiae. At quomodo priora intellexerit, non satis assequor. Quantum enim ex ejus paraphrasi conjicio, dativum φόβῳ ita construxit, ut ab eo regeretur genitivus Περσικοῦ στρατεύματος, vel saltem omissa et subintellecta praepositione

ὑπὲρ

ὑπὲρ ab eo' penderet; cum eodemque reliqua oratio per μὴ conjuncta procederet. In quo ſi recte viri doctiſſimi mentem interpretor, neceſſarium foret iſta μὴ πόλις πύθηται — Σουσίδος hoc modo reddere: *Vereor, heu, de iſto Perſarum exercitu, ne civitas audiat evacuatam eſſe viris Suſidis urbem.* Verum hanc rationem quo minus amplectar, duo ſunt, quae me prohibeant; alterum quod Suſorum urbem ceterasque viris vacuas eſſe, jam antea queſtus erat Chorus, neque ea res ejusmodi erat, ut eam a nuntio demum audire deberent; deinde quia illa quam expoſui interpretatione arctioribus inter ſe Strophe et Antiſtrophe vinculis conſtringuntur.

ὀὰ περσικοῦ στρατεύματος] Simili, quem Chorus hic timet, exclamatione poſtea utitur is, qui cladem Perſarum nuntiat v. 248 ſqq. πόλις et ἄστυ κένανδρον Σουσίδος, per appoſitionem noſtro familiarem.

v. 119. ἀντίδουπον] Sic v. 1036. βόα νυν ἀντίδουπά μοι. Atque ſic nuntii clamorem viciſſim clamoribus excipit Chorus v. 254 ſqq.

v. 120. ὀὰ, τοῦτ' ἔπος] Ut h. l. τοῦτ' ἔπος refertur ad praecedens ὀὰ, ſic Prometh. 988. poſtquam Prometheus vocem ὤ μοι emiſerat, Mercurius ſubdit: τόδε Ζεὺς τοῦπος οὐκ ἐπίσταται.

v. 120. γυναικοπλῆθὴς ὅμιλος ἀπύων nominativi abſoluti; quos ante Brunckium, qui conferri jubet Eurip. Hel. 296., Phoeniſſ. 290., Sophocl. Oed. Col. 1119., Oed. Tyr. 60. Abreſchius animadverterat, laudato Salmaſ. de Uſur. p. 715.

v. 123. ἐν πέπλοις πέσῃ λακὶς, periphraſi poëtica pro πέπλοι λακισθῶσιν. „Etiam apud Perſicas mulieres in ſummo luctu veſtes ſcindere moris erat. Ita Diodor. Sic. lib. XVII. poſt Darium victum mulieres τὰς ἐσθῆτας περιῤῥήπτουσας, μετ' ὀδυρμῶν, ἐκ τῶν σκηνῶν exceſſiſſe tradit. Curt. lib. III. c. 10. „ingens circa eam nobilium feminarum turba conſtiterat, et laceratis crinibus, abſciſſaque veſte,

veſte, priſtini decoris immemores etc." — Porro abſciſſis veſtimentis lugubria induebant mulieres Perſicae. Curt. lib. X. *Ad Darii quoque matrem celeriter perlata eſt; abſciſſa ergo veſte, qua induta erat, lugubrem ſumſit.*" Stanl.

v. 124 ſqq. Eandem quae ſupra occurrerat v. 12 ſqq. ſententiam h. l. repetit Chorus, ſed majore copia verborum et varietate imaginum uſus. *Omnis enim equeſtris pedeſtrisque populus tanquam apium examen exceſſit, una cum duce exercitus, utrinque ponte junctum utriusque terrae* Aſiae et Europae *commune promontorium trajiciens.* πρῶνα κοινὸν ἀἵας ἀμφοτέρας intellige Cherſoneſum Thracicam, quae tanquam iſthmus aut promontorium ab Europa verſus Aſiam procurrit, ideoque utriusque communis dici poteſt. ἀμφίζευκτος vero appellatur, quia ab utroque Hellesponti littore ponte jungebatur. ἅλιος πρών, *peninſula* ſ. *terrae tractus in mare prominens.*

v. 131 ſqq. Si vulgatam v. 134. lectionem ſequamur, intp.: *Lecti autem virorum deſiderio lacrymis implentur, Perſides vero ſumma triſtitia oppreſſae; unaquaeque deſiderio viri amante ferocem bellicoſumque maritum profecuta ſolitaria relinquitur.* Sed praeter tautologiam a me jam in V. L. notatam, quae ex repetito πόθῳ exſiſtit, veritas quoque ſuaviſſimae imaginis lectione πόθῳ φιλάνορι adulteratur. Nam ille mulierum amantium ſenſus, quo discedentes ad bellum maritos proſequuntur, προπέμπονται, deſiderium recte dici nequit, quippe quod poſt aliquam temporis moram demum oritur. Sed in hoc diſceſſu moerent mulieres, dolent, anguntur, et *cura* potiſſimum virorum in pericula ruentium afficiuntur. Comparet lector illuſtrem Homeri locum, ubi Hector ab Andromacha diſcedit, Il. VI. 407 ſqq.; nullum ibi in Andromacha deſiderii veſtigium; adhuc enim in Hectoris amplexibus haerebat; ſed curae ac ſollicitudinis omnia plena. Itaque ſi ἑκάστα δ' ὄϑῃ φιλάνορι (e δ' ὄϑῃ primum πόϑῃ poſt πόϑῳ fieri potuit)

tuit) reponamus, non ſolum jejunae tautologiae maculam abstergemus, verum etiam integritatem imaginis poeticae ſervabimus. In discesſu virorum *cura* mulierum animos attentos tenebat, ſollicitos vice maritorum, quos tot belli pericula manebant; poſt longam vero abſentiam accedebat etiam deſiderium; indeque nocturnae lacrymae, quibus lectos irrigabant, a viris ſejunctae.

μονόζυξ *ſolitaria*, metaph. ducta ab equis eidem jugo adſuetis, jamque inter ſe disjunctis.

v. 138 ſqq. ἀλλ' ἄγε — κεκράτηκεν] *Sed agite Perſae, aſſidentes antiquis hisce aedibus*, regio palatio, *gnaviter et prudenter curemus, urget enim neceſſitas*, ut ſciamus, *quid rerum gerat Xerxes Darii filius generi noſtro cognatus; teline conjectus vicerit*, (h. e. *Perſaene arcubus inſtructi*) *an cuſpidatae lanceae vis* (h. e. *Graecorum*) *ſuperior discesſerit.* Φροντὶς κεδνὴ *proba* eſt et *gnava*, ſocordiae contraria, βαθύβουλος autem *ſollers*, *conſilii plena*, imprudentiae oppoſita. Haec autem exhortatio Chori hanc vim habet, ut omnibus modis exquirendum et ſciſcitandum eſſe dicant, quanam fortunae conditione utatur Xerxes cum exercitu; itaque praecipue ad nuntios et exploratores in Graeciam mittendos ſpectat.

χρεία δὲ προσήκει] Haec neceſſitas in eo poſita, quod diu nullus nec pedeſtris nec equeſtris ab exercitu veniſſet, qui ſenes cura et ſollicitudine liberaret. cf. v. 14.

Δαρειογενὴς τὸ πατρωνύμιον γένος ἁμέτερον] Quid hoc eſt *genus noſtrum a patre nominatum?* quod etiamſi de Perſeo Perſarum, ut ferebatur, generis auctore caperemus, tamen incommode dictum eſſet. Aeſchylus mihi ſcripſiſſe videtur: Δαρειογενὴς, γένος ἁμέτερον, *Darii filius, idemque* (ut Perſa) *nobis cognatus*; ſicut notiſſimum illud τοῦ γὰρ καὶ γένος ἔσμεν ſignificat *nos cum eo cognati ſumus.* Vocabulum vero πατρωνύμιον irrepſit, ut opinor, e nota Grammatici, qui ad marginem vel intra lineas adſcripſerat: πατρωνυμικόν· moniturus nempe adjectivum Δαρειογενὴς

γενὴς patronymicum esse. Quo recepto facile alius nescio quis articulum τὸ inseruit.

τόξου ῥῦμα proprie est *arcus tensio* s. ut Cel. Morus (in ind. in Xenoph. ἀναβ. v. ῥῦμα.) *teli conjectus*; ponitur autem pro militibus arcus gerentibus ac tela emittentibus, et consequenter Persas designat, quemadmodum δορυκράνου λόγχης ἰσχὺς simili verborum figura Graecos hastis armatos notat. Ut h. l. τόξου ῥῦμα, sic supra τοξουλκὸν λῆμα, et v. 84. τοξόδαμνος ἄρης de Persis.

λόγχη δορύκρανος, *hastile ferro praefixum* Virg. v. 557.

v. 148 sqq. ὀφθαλμοῖς non cum Schol. et interpr. de senum oculis accipio, sed cum θεῶν conjungendum existimo; quo pacto hic sensus efficitur: *Verum ecce lumen, quale ex deorum oculis emicat, nobis exoritur. Prodit enim* Atossa, *regis mater, regina nostra, quam adoramus.* Φάος ἴσον ὀφθαλμοῖς θεῶν, phantasia nobilissima ac decentissima; significant enim Atossae vultum populo tanquam deae vultum affulgere.

τὴν προσπιτνῶ] „Moris erat apud Persas, ut regem adeuntes proni adorarent, priusquam in congressum colloquiumque venirent. Tithraustes ap. Aelianum, V. H. lib. I. c. 21. Νόμος ἐστὶν ἐπιχώριος Πέρσαις τὸν εἰς ὀφθαλμοὺς ἐλθόντα τοῦ βασιλέως, μὴ πρότερον λόγου μεταλαγχάνειν πρὶν ἢ προσκυνῆσαι αὐτόν. Sophocl. in Oreste v. 1519. προσκυνῶ σ' ἄναξ, νόμοισι βαρβάροισι προσπεσών. cf. Curt. lib. VIII. c. 1. Valer. Max. VII. 3. Hujus vero legis rationem reddit Artabanus Persa apud Plutarch. in Themistocle, Ἡμῖν, inquit, πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστος οὗτός ἐστιν, τό τε τιμᾶν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα Θεοῦ τοῦ πάντα σώζοντος." *Stanl.*

προσφθόγγοις μύθοις προσανδᾶν] Gravius hoc est, quam simplex προσανδᾶν. Significant enim reginam non sine honorifica compellatione, qualis ea est, quae v. 153 sq. continetur, alloquendam esse. Inest igitur notatio venerationis; ut apud Romanos blandius et officiosius erat, nomi-

minatim aliquem compellare, quam ſimpliciter, nomine non addito, affari.

## IN SCENAM II.

*v.* 153—246.

v. 153 ſqq. Atoſſam ex regia prodeuntem hisce verbis alloquitur Chorus: *O Regina Perſidum alte cinctarum, grandaeva Xerxis mater, ſalve Darii uxor; namque tu dei Perſarum conjux eras, dei quoque mater es, niſi forte vetus fortuna nunc exercitum diſeruit.* Omnia verborum lenocinia hoc uno alloquio incluſa ſunt. Laudant enim ſenes Atoſſam a dignitate, a ſexus ſui principatu, a matrimonio, a materna felicitate, unde commode ad enantiandam animi ſollicitudinem transeunt. Θεὸς Περσῶν dicitur rex, quatenus et ipſe felix eſt, et ſubditorum civium fortunas recte tuetur. Itaque Chorus tantisper Atoſſam Dei Perſarum matrem appellari poſſe denuntiat, donec Xerxes res bene geſſerit. δαίμων παλαιὸς, *priſtina felicitas.* „Interpres, *niſi forte vetus infelicitas exercitum invaſerit*, quem ſequitur Spanhem. ad Ariſtoph. Plut. v. 386. et Ran. v. 859. Δαίμονα ſcil. accipientes pro infortunio, quibus haud queo accedere, quod non videam τὸ εἴ τι μὴ μεθέστηκε ita qui poſſit intelligi. Quin permittere non videntur Atoſſae verba, quae reſponſi loco ſubdit οὐδαμῶς οὖσ' ἀδείμαντος etc. Recte haud dubie Schol. ad v. 153. explicuerat εὐτυχίαν, εὐδαιμονίαν. Μεθέστηκε valet *reliquit*, i. q. ἀφέστηκεν, ut expl. Heſych." *Abreſch.*

v. 159 ſqq. reſpondet Atoſſa: *Propter hoc ipſum*, ſollicitante me nimirum filii mei fortuna, *venio relictis auro ornatis aedibus, thalamoque Dario mihique communi; pungit et meum animum ſollicitudo, habeo enim quod vobis narrem*, ſomnium ſcil. quod me terruit, *quamquam et alias meapte ſponte minime ſum timoris expers*, ſed metuo potius, *amici, ne magna* illa *opulentia* noſtra, *celeriter ſe-*

*ſtinans, pede proruat felicitatem, quam Darius non ſine divino numine acquiſivit.*

μῦθον ſine dubio de narratione ſomnii, quam parat, intelligendum.

ἐμαυτῆς l. q. ἀπ' ἐμαυτῆς, etiamſi illud ſomnium non accidiſſet, ſe tamen ſuopte ingenio ſatis timidam eſſe oſtendit.

ἐκ μέγας πλοῦτος] Decoram hanc allegoriam non omnino recte ceperunt interpretes. κονίσσας οὖσας, *ſolum pulvere frangens*, quemadmodum Homericum illud κονίοντες πεδίοιο nihil aliud eſt ac *feſtinantes*. *Opulentia* autem *feſtinans* dicitur pro celeriter crescente. Et ut ii, qui currere feſtinantes ſaepe pedibus columellam, aut ſi quid occurrat ejusmodi, proruunt, ſic opulentia dicitur celeriter feſtinando felicitatem everſura.

ὀλβόν] „Hinc perſpicere eſt discrimen πλοῦτον inter et ὄλβον, quod tangunt Ammon. Thom. Mag. et Euſtath. ad Iliad. Ω'. p. 1502, 15. et ad Iliad. Γ'. p. 304, 8. cf. Etymol. Heſych. et Spanhem. ad Callim. H. Jov. v. 84. add. inf. v. 250." *Abreſch.*

ὃν Δαρεῖος ἦρεν — τινός] *quam felicitatem Darius erexit, non ſine Dei alicujus auxilio.* Pergit enim in allegoria quam coeperat, ut felicitatem cum ſtante columna omparet. Simile eſt notiſſimum illud Horatianum (Carm. I, 35, 13.) ad fortunam: *injurioſo ne pede proruas ſtantem columnam.*

v. 163 ſqq. ταῦτά μοι — σθένος πάρα] Horum verborum ſenſus quidem facilis et planus, at ſtructura impeditior eſt. Ait enim Atoſſa duplici cura ſibi animum pertentari; metuenti ne vel opes ſine viris maneant, vel viri opibus exuti redeant. Neutrum vero optabile eſſe, cum nec opes absque viris in honore ſint, nec viris quamvis fortibus bene ſit, niſi etiam opes accedant. ταῦτα h. l. omiſſa praepoſitione *propterea*. μέριμν' ἄβραστος, *infanda cura*, ſicut *infandum dolorem* dixit Virgilius pro *immenſo*.

μέ'

μήτ' ἀχρημάτοισι scil. ἀνδράσι λάμπειν φῶς, scil. τόσον, ὅσον σθένος πάρα, *neque viris, quamvis fortibus, absque divitiis tantam felicitatis* [*salutis lucem affulgere, quanta ipsis fortitudo insit.* φῶς h. l. translate, de felicitatis flore. Melius tamen forte fuerit de *honore et existimatione* intelligere, ut viri fortes, si opibus careant, nequaquam in tanto honore, quantum eorum virtus postulet, haberi dicantur.

v. 166. ἔστι γὰρ — φόβος] *Nam divitiae quidem nobis sunt non contemnendae, sed circum oculos meos timor.* ἀμφὶς h. l. i. q. ἄφθονος, *multus, magnus*; sicut antea μέγας πλοῦτος. Inepte latinus interpres a Scholiasta graeco deceptus vertit: *de oculis vero metus*; quasi ὀφθαλμοῖς metaphorice de viris, inprimis de Xerxe, dictum sit; qua quidem metaphora h. l. nihil fuisset ineptius. Imo hoc dicit Atossa, timorem, maxime ex visu nocturno, quod mox narratura est, arris quasi alis sibi oculos circumvolare. Universe autem hic φόβος refertur ad eadem quae v. 161. a se timeri dixerat, μὴ μέγας πλοῦτος etc.

v. 167. ὄμμα γὰρ — παρουσίαν] Particula γὰρ post ὄμμα non causam s. explicationem praecedentis ὀφθαλμοῖς affert, q. d. *ideo dixi* ὀφθαλμοῖς, *quia* ὄμμα δόμων *puto domini praesentiam* quae subtilitas grammatico quam poëta tragico dignior esset; sed potius γὰρ ad causam timendi referenda est, ut dicat Atossa: *circum oculos vero timor.* Nec mirum me timere; *nam oculum domus arbitror esse domini praesentiam.*

v. 168 sqq. πρὸς τάδε — βουλεύματα] *Proinde his rebus ita comparatis*, o Persae, *senes consiliarii, mihi in hac causa consulatis velim; omnium enim bonorum consiliorum copiam mihi in vobis sitam esse censeo.*

ὡς οὕτως ἐχόντων τῶνδε] „Usitata est loquendi formula in Agam. v. 1404. ὡς ὧδ' ἐχόντων. Adde Sophocl. in Ajac. v. 282. et 999. in Antig. v. 1193. Herodot. lib. I. c. 177. ὡς ὧν ἐχόντων ὧδε. Idem VIII. 144. ὡς οὕτω ἐχόν-

τῶν —" *Abresch.* γηραλέα πιστώματα, pro πιστοὶ γέροντες, neutrum masculini loco, ut supra v. 7.

v. 171—173. Respondet Chorus: *Sat scito, regina hujus terrae, te nihil quod a nobis dici fierive velis bis edicturam, quod quidem in nostra potestate positum sit. Vere enim nos benevolos tibi harum rerum consultores vocas.* ὧν ἂν δύναμις ἡγεῖσθαι θέλῃ, apta circumlocutione τῶν δυνατῶν. Antequam enim aliquid faciamus, quasi *praeire* debet faciendi potestas.

ὄντας — καλεῖς,] Respicit Chorus id quod Atossa postremo loco dixerat v. 173. significatque se curaturum, ut honorifico illo reginae judicio re ipsa dignum se praestet.

v. 174. Sequitur luculenta visi per quietem nocturnam reginae oblati narratio. Ac primis quidem verbis exspectationem auditorum movet: *Multis quidem semper somniis nocturnis utor, ex quo filius meus exercitu conflato in Graeciam profectus est, expugnare eam cupiens; nunquam tamen visum adeo luculentum obtatum est, quam hesterna nocte. Idque vobis jam narrabo.*

v. 176. Ἰαόνων γῆν] „et v. 1019. Ἰαόνων λαὸς οὐ φυγαίχμας. *Iaones* dicti Graeci a barbaris, nempe ut in sacris literis dictae insulae *Javan.* Schol. Aristoph. in Acharn. Ἴαον δὲ ἀντὶ τοῦ Ἀθῆνας, Ἴωνες γὰρ οἱ Ἀθηναῖοι, ἀπὸ Ἴωνος τοῦ Ξούθου. Hesych. Ἴωνες (leg. Ἰάονες, ut postulat literarum ordo) Ἀθηναῖοι, οἱ Ἴωνες, ἀπὸ Ἴωνος, καὶ οἱ ἄποικοι αὐτῶν. Ἔνιοι· καὶ τοὺς Θρᾷκας, καὶ Ἀχαιοὺς, καὶ Βοιωτοὺς Ἕλληνας." *Stanlej.* cf. Potter ad Lycophr. v. 989.

v. 179 sqq. ἐδοξάτην — βάρβαρον] *Visae mihi sunt duae mulieres eleganter vestitae, altera peplis Persicis, altera Doricis ornata, in conspectum venire, proceritate hodiernis mulieribus multum augustiores, forma vero inculpatae, et sorores germanae ejusdem generis; patriam vero incolebant, haec quidem Graeciam, illa vero barbaram.*

ἠσκημένη] „Hesych. Ἀσκήσας, κοσμήσας, κατασκευάσας." *Stanl.* Frequens autem ἀσκεῖν pro *ornare, excolere.*

*lere.* Eurip. Ion. v. 326. εὖ ἤσκησαι πέπλοις. Alceſt. v. 159. ἐξελοῦσα κεδρίνων δόμων ἐσθῆτα κόσμον τε εὐπρεπῶς ἠσκήσατο." *Abreſch.* qui more ſuo hic multo plura coacervavit. εὐπρεπέστατα ſuperlativus pro comparativo. κασιγνήτα Scholiaſtes refert ad mythicam Europae et Aſiae ex Oceano generationem. κλήρῳ λαχοῦσα, vel quia fingitur utraque ſoror ſorte inter ſe poſſeſſionem diviſiſſe, vel ſimpliciter ſignificat *poſſidens.*

v. 186 ſqq. τούτω — τίθησι] *Hae diſſidia forte inter ſe (ut viſa ſum mihi videre) exercebant. Quod cum filius meus comperiſſet, cohibuit eas et compeſcuit, curruique eas junxit, loraque cervicibus impoſuit.*

τεύχειν] Hunc infinitivum Cl. Brunckius pendere putat ab ἐδοξάτην, quod repetendum ſit e v. 179. Ita et Gloſſa in Reg. B. ἀπὸ κοιροῦ ἐδοξάτην μοι. Verum cum intercedat v. 184. ἔναιον, duriuscula haec ratio videtur. Itaque vel ἤρξαντο ſupplendum eſſe exiſtimo, vel ἔτευχον ἀλλήλῃσι legendum. ἅρμασιν pluraliter pro uno Xerxis curru.

v. 190 ſqq. Χ' ἡ μὲν — λέγω] *Et illa quidem* Aſia, ſive barbara, *hocce ornatu ſuperbiebat, osque frenis coërceri facile patiebatur. Haec vero exſultare manibusque inſtrumenta currus dilacerare, et frenis excuſſis vi diripere, poſtremo medium jugum frangere. Excidit autem filius meus, paterque Darius miſertus illius adſiſtit, quem ſimulac vidit Xerxes, veſtes circum corpus laceravit. Et haec quidem jam noctu me vidiſſe ajo.*

ἐπυργοῦτο] Heſych. πυργοῦται, ὑψοῦται. H. l. ad elationem animi et ſuperbiam transfertur. εὔαρκτον στόμα, *os morigerum, tractabile.*

ἔντη δίφρου] „Ita legendum eſſe, haud dubie vere conjecit Stanl. cui ſuſpicioni mirandum eſt eum non multum tribuiſſe. Sic ἔντεα ἱππικὰ Pind. Olymp. XIII. 28. ubi vid. Schol. et Nem. IX. 51. Idem Pyth. Od. IV. 417. σπασάμενος δ' ἄρτον βοέοις ὄθησεν ἀνάγκας ἔντεσιν αὐχένας,

cf. Od. v. 45. κατέκλασε ἐντέων σθένος οὐδέν. Ubi iterum vid. Schol. Per ἔντεα διφρου intelligit lora, quibus adjuncta erat currui, et frena, ut ipse auctor mox exponit." *Abresch.*

v. 197. πέπλους ῥήγνυσιν] „In luctu vestes lacerare mos erat apud Persas tum viris tum mulieribus communis. De mulieribus cf. not ad v. 123. De viris exempla saepius occurrunt Herodot. lib. III. Πέρσαι δ' ὡς τὸν βασιλέα εἶδον ἀνακλαύσαντα πάντες τά τε ἐσθῆτος ἐχόμενα εἶχον ταῦτα κατειρεικόν τε καὶ οἰμωγῇ ἀφθόνῳ διεχρέωντο. cf. lib. VIII. c. 99 et Curt. lib. V.

v. 199 sqq. ἐπεὶ — παρεῖχε] *Postquam vero surrexi, manibusque pulchre fluentem fontem attigi, una cum turba sacrificorum ad aram steti, averruncis diis, quibus haec sacra parari solent, libum oblatura. Video vero aquilam ad Phoebi altare fugientem; prae timore vero obmutui, amici; deinde circum aspicio celeriter alis irruentem unguibusque caput (aquilae) vellicantem; haec vero nihil aliud egit, quam ut perterrita corpus ei praeberet.* Ingeniose Aeschylus futuram Xerxis fortunam somnii pariter atque ominis Atossae oblati imagine adumbravit.

ἔψαυσα πηγῆς] „Notissima veterum in expiandis somniis superstitio; quod vel vini aspersione fiebat, vel, ut hic, aqua fontana. Aristophanes Ranis:

Ἀλλά μοι, ἀμφίπολοι, λύχνον ἅψατε,
Κάλπισί τ' ἐκ ποταμῶν ὀρύσσον ἄρατε,
θερμάνατε δ' ὕδωρ
ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.

Pers. Sat 2. *et noctem flumine purgas.*" Stanl.

v. 201. βωμῷ προσέστην] „Haec sunt ab Herodoto prorsus aliena, qui de Persarum sacris ritibus verba faciens lib. I. c 132. οὔτε, inquit, βωμοὺς ποιεῦνται, οὔτε πῦρ ἀνακαίουσι μέλλοντες θύειν. Quis vero nescit, Poëtas res sui aevi ad tempora illorum, de quibus scribunt, trans-

transferre? — Noſtrum ſorſan imitatur Seneca in re ſimili ſub perſona Poppeae:

*delubra et aras petere conſtitui ſacras*
*caeſis litare victimis numen deûm,*
*ut expientur noctis et ſomni minae.*" Stanl.

v. 202. *ὧν τέλη τάδε*] „Haec verba interpres minus accurate vertit: *qui hisce praeſident.* Τέλη hic ſunt Θυσίαι. Heſych. Τέλεα, τέλη, τὰ ἱερά. Soph. Trach. v. 242. Τέλη ἔγκαρπα Διός. i. e. Schol. interprete Θυσίας. Adde ſis ejusd. Oed. Colon. v. 1104." *Abreſch.*

v. 203. *ἐσχάραν*, i. e. *βωμὸν*, quem uſum ex Sophocle et Euripide obſervavit quoque Ammonius. Eurip. Schol. ad Phoeniſſ. hoc modo commentatur; *ἐσχάρα δὲ ἡ ἐν τετραγώνῳ περὶ γῆν βάσις, βωμοῦ τάξιν ἔχουσα ἄνευ ἀναβάσεως.*" *Abreſch.*

*Φοίβου*] „Quo minus hoc incongrue dictum videri poſſit, monendum eſt, vel ipſos Hiſtoricos, Geographos, aliosque orationis ſolutae ſcriptores, deorum Graecorum nomina diis Perſicis accommodaſſe. Ita Herodotus lib I. et Strabo lib. XV. inter Perſarum deos recenſent Δίκα, Οὐρανίην et Ἀφροδίτην, quin etiam Ἥλιον et Σελήνην. Ex his Δίκα, teſte Agathia, Βῆλ nominarunt Perſae; Ἀφροδίτην, ſi Herodotum ſequimur, Μίτραν, ſin Straboneni, Ἀναιτίδα. Hic itaque per Φοῖβον videtur intellexiſſe Aeſchylus Solem, cui ſub Mithrae nomine ſacrificarunt Perſae." *Stanl.*

v. 207. *ὁ δ' οὐδὲν ἄλλο γ'*] Supple *ἐποίει*, cujus verbi frequens ellipſis. Vide ad Prometh. v. 611. Nec Latinis minus uſitata. Vid. Interpretes ad Livii XXXI. 24. et ibi laudatum Perizonium ad Sanctii Minervam." *Brunck.* *πτήξας* hic vel proprie *contrahens ſeſe*, vel translate, *perterrita*; quod h. l. aptius eſt. Prae terrore enim et pavore aquila nec tueri ſe, nec repugnare audebat.

v. 208. *ταῦτ' — ἀκούειν*] *Haec vobis haud minus auditu, quam mihi viſu, terribilia eſſe ſcio.* Male autem

Stanl. corr. δεῖμα τ'; nam nec ſingularis hic plurali praeferendus; et copula τε hic prorſus aliena.

v. 209 ſqq. εὖ γὰρ ἴστε] Nullo pacto haec quae ſequuntur, addita particula cauſali, cum antecedentibus connecti poſſunt. Nam quae jam addit Atoſſa, ea conſolandi potius Chori quam terrendi vim habent. Atqui cum dixiſſet ταῦτα ὑμῖν δείματ' ἔστ' ἀκούειν, ſubjungeretque εὖ γὰρ ἴστε, nemo erat, qui non eam aliquid in medium prolaturam exſpectaret, quod ad explicandam terroris rationem, aut ad exaggerandum metum valeret. Itaque olim aliquot verſiculos hic intercidiſſe ſuſpicabar. Sed leviore medela h. l. ſuccurri poteſt, ſi legatur εὖ δ' ἄρ' ἴστε.

οὐχ ὑπεύθυνος πόλει] non, ut Schol. explicat, quia culpae illius ſocios habeat conſiliarios, qui eum ad ſuſcipiendam expeditionem in Graeciam impulerint; ſed potius quia propter αὐτοκρατῆ βασιλείαν καὶ ἀνυπεύθυνον, ut Plutarchi verbis utamur, a nemine civium, ut rerum male geſtarum rationem redderet, aut cauſam diceret, cogi poterat. κοιρανεῖ h. l. futurum.

v. 213 ſqq. οὔ σε — σκότῳ] *Nolumus te, o mater, neque nimium terrere verbis*, quaſi mala tantum, *neque confirmare*, quaſi mera bona tibi portendantur. *Quin tu potius deos ſupplicationibus adiens, ſi quid mali vidiſti, precare, ut id averruncent, bona vero tibi et liberis, civitatique et omnibus amicis perficiant. Deinde te oportet terrae et mortuis inferias libare; humaniter vero roga Darium, quem dicis te noctu vidiſſe, ut tibi filioque tuo bona ab inferis in lucem emittat, contraria vero terrae tenebris occulat.*

εἴ τι φλαῦρον] „Collectivum eſt τί, unde pluralis τῶνδε ſubjicitur. Sic Eurip. Suppl. v. 256. εἴ τι — τούτων. —" *Abreſch.*

v. 215. αἰτοῦ — τελεῖν] „id eſt αἰτοῦ αὐτοὺς τάδε ἀποτρέπειν. Germanam lectionem exhibet Reg. A. Vulgato

gato λαβεῖν ſuperſcriptum in Reg. B. γρ. τελεῖε, καὶ δοῦναί σοι." *Brunck.*

v. 218. πρευμενῶς] Si haec lectio placeat, πρευμενῶς αἰτεῖσθαι eſt *humaniter rogare.* Quia tamen ſtatim v. 222. recurrit πρευμενῶς, magis arridet lectio Turnebiana, quam et Brunckius in codd. Regg. adnotatam reperit, πρευμενῆ, quod cum Δαρεῖον conſtruendum. *Benevolum vero maritum tuum Darium roga.* cf. ad v. 682.

v. 221. γαίας κάτοχα, *ſub terra retenta, ne evolare poſſint*, mala.

v. 222. θυμόμαντις dicitur is, qui inſita mentis prudentia uſus, non divino numine afflatus, futura praedicit. Heſych. Θυμόμαντις, ὁ τὸ ἀποβησόμενον συλλογιζόμενος, καὶ προγινώσκων· ψυχόμαντις, καὶ συνετῶς προορῶν τὰ ἀποβησόμενα. Opponitur θεόμαντις.

v. 223. εὖ δὲ — πέρι] *Omnia autem* deos *haec tibi proſpere ut eveniant effecturos eſſe cenſemus.* „Geminum horum eſſe ſenſum docet Schol. pro totidem conſilii partibus, nempe et ſomnii et ſacrificii proſperum eventum futurum eſſe. Aliter paulo intellexit interpres, cum vertit: *et undequaque haec tibi perficienda decernimus.* Poſſent fortaſſe et hoc pacto ſuppleta accipi: κρίνομεν (τὸν Δαρεῖον) εὖ τελεῖν σοι περὶ τῶνδε, quomodo εὖ τελεῖ θεὸς Sept. adv. Theb. v. 35." *Abreſch.* Atque hujus interpretationis veritatem adſtruunt verba Atoſſae, quae ſtatim ſequuntur, ἀλλὰ — ἐνυπνίων κριτής. Utrum vero *deos* an *Darium* poſt τελεῖν intelligas, perinde eſt.

v. 224 ſq. ἀλλὰ — φάτιν] *Tu vero primus horum ſomniorum interpres idemque benevolus filio domuique meae haec aſſeruiſti.* κυρσῦν φάτιν, *fidenter aliquid pronuntiare, ſ. aſſerere.*

v. 226. ἐκτελοῖτο δὴ τὰ χρηστά] Altera lectio ἐξιλεοῖτο, (ab ἐξιλεοῦμαι, *placo*, paſſive accepto,) quam Schol. quoque ſequitur, poſtularet ut τὰ χρηστὰ adverbialiter ſu-

meretur. Ceterum plures ejusmodi formulae apud Aeſchylum occurrunt, e. c. τὸ δ' εὖ νικάτω. Agam. 167. τὸ δ' εὖ κρατοίη ibid. 359. Itaque vertendum: *omnia jam bona eveniant*, quèmadmodum Chorus Atoſſam jusſerat precari τὰ ἀγάθ' ἐκτελῆ γενέσθαι v. 216.

v. 226 ſqq. ταῦτα — μόλωμεν] *Et haec quidem omnia, ita ut mones. diis amicisque ſub terra* h. e. Dario *faciemus, cum domum reverſae fuerimus.* Φίλοι, plurialis pro ſingulari, ut ſaepe. Sic Choëph. 51. δεσποτῶν θάνατοι, *regis* Agamemnonis *mors.*

v. 228. κεῖνα — χθονός] *interim hoc ſcire velim, amici, ubinam terrarum ſitae dicantur eſſe Athenae.* Hac degreſſione, quam ſola reginae curioſitas peperiſſe dicatur, ſapienter utitur poëta, ut Athenienſibus blandiri poſſit.

v. 230. τῆλε — Φθινασμάτων] Nunquam ego mihi perſuaderi patiar, Aeſchylum inficeta hac locutione uſum fuiſſe δυσμαὶ — Φθινασμάτων. Nam δυσμαὶ ἡλίου et Φθινάσματα prorſus eadem ſunt, ut apponi quidem ſibi utrumque queat, non alterum ab altero regi. Sic igitur emendandum eſſe cenſeo:

τῆλε πρὸς δυσμαῖς, ἄνακτος Ἡλίου Φθινάσμασιν.

Talis appoſitio ſynonymorum, praeſertim ubi alterum adjectis aliquot verbis explicetur, poeta tragico non indigna, utpote quam Herodotus quoque uſurpaverit lib. II. c. 31. ξέει δὲ (ὁ Νεῖλος) ἀπὸ ἑσπέρης τε καὶ Ἡλίου δυσμέων. Idem vidi Pauwio placuiſſe. Lectio πρὸς δυσμαῖς non ſolum auctoritate cod. Gueif. et edd. Ald Rob. aliarumque, ſed etiam conſuetudine Aeſchylea firmatur, qui et alibi, ubi ſitus in loco ſignificandus eſt, πρὸς cum dativo conſtruit, e. c. Prom. 815. οἳ πρὸς ἡλίου ναίουσι πηγαῖς, et v. 853. Νείλου πρὸς στόμασι. Quamquam non nego Accuſativi quoque exempla apud eum occurrere. cf. ad Prometh. v. 348. Si quis igitur accuſativum δυσμὰς malit, certe ita ſcribendum eſt:

τῆλε

τῆλε πρὸς δυσμάς, ἄνακτος Ἡλίου φθινάσματα.

Δυσμαὶ, ut δύσεις, abſolute ponitur de regione occidentali; nisi forte malis ſic interpungere: τῆλε πρὸς δυσμαῖς ἄνακτος, Ἡλίου φθινάσμασιν. Gallicus interpres ἄνακτος ad Peſicam ſolis adorationem traxit: *dans les contrées, où le ſoleil, que nous adorons, disparoît à nos regards.* Verum ἄναξ Graecae quoque Solis appellatio, cf. Homer. Odyſſ. Μ. 176. „Ceterum Euſtath. ad Il Λ. p. 765. extr. huc reſpiciens: ἡλίου φθίνασμα εἶπέ τις ποιητής· et Heſych. Φθινάσμασι, φθίσεσι." Abreſch.

v. 231. ἀλλὰ πόλιν] *Enimvero filius meus vehementer capere hanc urbem cupiebat.*

v. 232. πᾶσα γὰρ — ὑπήκοος] Male latinus interpres: *Imo omnis fiat Graeciae regi ſubdita.* Fefellit eum, ut recte Brunckius obſervat, vis particulae γάρ. Haec enim in reſponſionibus ſaepe refertur ad omiſſam brevem ſententiam, cujus rationem affert. Itaque h. l. Abreſchius bene hunc in modum ſupplevit: Καὶ εἰκότως γε, καὶ οὐδέν γ' ἀπεικός, πᾶσα γὰρ — ὑπήκοος, τῆσδε πόλεως θραθείσης. *Nec mirum; nam* hac urbe expugnata, *omnis Graecia in regis poteſtatem veniret.*

v. 233. ὧδέ τις — στρατοῦ] Interpres: *Ita (ſit); adeſtne illis copioſus exercitus.* Vere autem judicavit Abreſchius, nihil in interpretatione adſumendum, verbaque ſic potius ordinanda eſſe: ὧδέ τις ἀνδροπλήθεια στ. π. α., *adeoque ipſis copiae quaedam armatorum ſunt.*

v. 234. καὶ κακά] *Imo vero ejusmodi exercitus, qui multa jam Medis* h. e. Perſis *mala inflixit.* Marathoniam potiſſimum pugnam ſignificat. „δὴ h. l. pro ἤδη, ut Prom. v. 13." *Abreſch.*

v. 235. καὶ τί — δόμοις] *Quid autem praeterea? num etiam divitiarum quantum ſat eſt ipſis domi ſuppetit?* Interpres latinus vertit: *hisne aliquid inſuper*, quaſi legeretur καί τι. Sed interrogativum τί h. l. aptius.

v. 236.

v. 236. ἀργύρου — χθονός.] *Argenti quidam fons*, i. e. fodina, *ipſis eſt*, *terrae theſaurus*. „Sectiones argentarias in Attica olim uberes fuiſſe refert Strabo lib. IX. τὰ δ' ἀργύρεια τὰ ἐν τῇ Ἀττικῇ καταρχὰς μὲν ἦν ἀξιόλογα, νυνὶ δ' ἐκλείπει. Locus autem, ut obſervat Caſaub. ad h. l., ubi fuere argenti venae, vocabatur Laurium. Thucyd. lib. II. παρῆλθον ἐς τὴν πάραλον γῆν καλουμένην, μέχρι Λαυρίου ὄρους, οὗ τὰ ἀργύρεια μέταλλά ἐστιν Ἀθηναίοις. Et lib. VI. commemorat Alcibiades τὰς τοῦ Λαυρείου τῶν ἀργυρείων μετάλλων πρόσοδους. Cf. etiam Herod., qui in Polyhymnia teſtatur, potuiſſe Athenienſes e Laurii metallis accipere ὀρχηδὸν ἕκαστον δέκα ὁρυχμάς; omninoque Xenophon περὶ Πόρων, quem librum recte judicat Caſaubonus ab eo hoc potiſſimum conſilio ſcriptum eſſe, ut Athenienſes ad fodiendas ſtrenue argentifodinas hortaretur." *Stanl.*

v. 237. πότερα γὰρ — πρέπει;] *Numnam arcum et ſagittas manibus gerunt?* τοξουλκὸς αἰχμὴ eſt *ſagitta*, quae ideo dicitur *arcum trahens* ſ. *tendens*, quia arcus non aliam ob cauſam tenditur, quam ut ſagittae emittantur. Paulo aliter ſupra τοξουλκὸν λῆμα, *fortitudo arcum tendens*. Male aſſecutus eſt imaginem poëticam in τοξουλκὸς αἰχμὴ latinus interpres; vertit enim: *cuſpis per arcum tracta*.

διὰ χειρὸς πρέπει] „Sic Eurip. Helen. v. 217. πρέπων δι' αἰθέρος.

v. 238. ἔγχη σταδαῖα non ſunt *haſtae firmae*, ſed *erectae*, quae ſolent in terram defigi; Homer. Iliad. K'. 153. ἔγχεα δέ σφιν ὄρθ' ἐπὶ σαυρωτῆρος ἑλήλατο. Heſych. Σταδαῖα, ἑστηκότα ὄρθια. Inde ad haſtae longitudinem transfertur. Φερέσπιδες σαγαὶ bene interpr. *clypeata armatura*.

v. 239. τίς δὲ — στρατοῦ] *Quis vero rex praeeſt et imperat exercitui?* ποιμάνωρ enim h. l. βασιλεύς. vid. Heſych. v. Ποιμάνωρ.

v. 240. οὔ — ὑπήκοοι] *Nullius hominis ſervi aut ſubditi ſunt*. κέκληνται enim h. l. pro εἰσί.

v. 241.

v. 241. πῶς — ἐπήλυδας;] *Quomodo igitur ſuſtineant hoſtes infeſtos* ſ. *impetum facientes?* ἐπήλυδας enim, alias interprete Heſychio νεωστὶ ἐλθόντας ἐξ ἑτέρας γῆς, h. l. non *advenas* ſolum, ſed etiam *aggreſſores* notat.

v. 242. ὥςτε] Ante hanc particulam intelligi oportere οὕτως, Abreſchius probe admonuit. Senſus enim eſt: *Quomodo vim hoſtium ſuſtinere poſſint, quaeris? Imo jam olim ſic ſuſtinuerunt, ut Darii magnum et bonum exercitum perdiderint.*

v. 243. δεινὰ — φροντίσαι] *Gravia igitur eorum, qui* ad bellum *exierunt, parentes* liberis ſuis *metuere jubes;* ſ. *quantum ex te audio, habent utique parentes militum noſtrorum in Graeciam profectorum, cur de liberis ſolliciti ſint.*

v. 245. τοῦδε γὰρ δράματος] „Herodotus, poſtquam Xerxem hujusce cladis nuntios in Perſidem miſiſſe narraverat, ſubdit, nihil his nuntiis pernicius transcurriſſe in rebus humanis, ipſumque δράμημα, ut vocat Aeſchylus, hunc in modum a Perſis conſtitutum deſcribit: ὅσων ἂν ἡμερέων ἡ πᾶσα ὁδός, τοσοῦτοι ἵπποι τε καὶ ἄνδρες διεστᾶσι κατὰ ἡμερησίην ὁδὸν ἑκάστην τεταγμένοι. Τοὺς οὔτε νιφετός, οὐκ ὄμβρος, οὐ καῦμα, οὐ νὺξ ἐέργει, μὴ οὐ κατανύσαι τὸν προκείμενον ἑωϋτῷ δρόμον τὴν ταχίστην. Ὁ μὲν δὴ πρῶτος δραμὼν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ, ὁ δὲ δεύτερος τῷ τρίτῳ. Τὸ δὲ ἐντεῦθεν ἤδη κατ' ἄλλον διεξέρχεται παραδιδόμενα, κατάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδοφορίη, τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι. Τοῦτο τὸ δρόμημα τῶν ἵππων καλέουσι Πέρσαι Ἀγγαρήϊον. Eadem ratione Herodotus ἀγγαρήϊον Perſarum λαμπαδοφορίῃ Graecorum aſſimilat, qua et Aeſchylus noſter in Agamemnone τὸν ἐκ διαδοχῆς πυρσὸν τὸν ἀπ' ἀγγάρου πυρὸς vocat. Ipſi quippe nuntii dicebantur ἄγγαροι. Joſeph. Antiq. Jud. lib. II. c. 6. de Artaxerxe: Διέπεμψε δὲ τοὺς Ἀγγάρους λεγομένους εἰς πᾶν ἔθνος ἑορτάζειν αὐτοῖς τοὺς γάμους παραγγέλλων. Heſych. Ἄγγαρος· ἡ λέξις δὲ Περσική· σημαίνει δὲ καὶ τοὺς ἐκ διαδοχῆς βασιλικοὺς γραμματοφόρους. Iidem et Ἀστάνδαι dicti. Suidas: Ἀστάνδαι, οἱ ἐκ διά-

διαδοχῆς γραμματοφόροι· οἱ δὲ αὐτοὶ Ἄγγαροι· τὰ δὲ ὀνόματα Περσικά. Euſtath. in Odyſſ. 19. κυρίως δὲ κατὰ Λίλιον Διονύσιον Ἄγγαροι οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι· οἱ δ' αὐτοί, φησί, καὶ Ἀστάνδαι Περσικῶς. Hos a Cyro inſtitutos fuiſſe docet Xenophon Paed. lib. 8. Σκεψάμενος γὰρ πόσην ἂν ὁδὸν ἵππος κατανύτοι τῆς ἡμέρας ἐλαυνόμενος, ὥςτε ἱκρκεῖν, ἐποιήσατο ἱππῶνας τοσοῦτο διαλείποντας, καὶ ἵππους ἐν αὐτοῖς κατέστησε, καὶ τοὺς ἐπιμελουμένους τούτων. Καὶ ἄνδρα ἐφ' ἑκάστῳ τῶν τόπων ἔταξε τὸν ἐπιτήδειον παραδέχεσθαι τὰ φερόμενα γράμματα, καὶ παραδιδόναι, καὶ παραλαμβάνειν τοὺς ἀπειρηκότας ἵππους, καὶ ἄλλους πέμπειν νεαλεῖς. Ἔστι δ' ὅτε οὐδὲ τὰς νύκτας φασὶν ἵστασθαι ταύτην τὴν πορείαν, ἀλλὰ τῷ ἡμερινῷ ἀγγέλῳ τὸν νυκτερινὸν διαδέχεσθαι." Hactenus Stanlejus, qui, quamvis illa quae collegit ſcriptorum loca ad cognoſcendam Angariae Perſicae veredariorumque publicorum (*des perſiſchen Poſtweſens*) rationem utilia ſunt, tamen ſi ad hunc locum ſpectes οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον attulit. Hic enim nuntius non ex Angaris illis per certa ſtationum intervalla diſpoſitis eſt, neque cum eo nuntiorum genere, quae nos *reitende Poſten*, *Eſtaffettes*, appellamus comparandus. Sed potius Aeſchylus talem eſſe nuntium finxit, quales nobis *Couriers* vocantur, qui mandata ab eo, unde profecti ſunt, loco, usque ad eum, ubi is, ad quem data ſunt, commoratur, perferunt. Hunc enim nuntium non a proxima ſtatione, ſed ex ipſa Graecia venire, ſatis declaratur v. 264., ubi ſe cladi Perſarum interfuiſſe teſtatur. Quod reliquum eſt, illa τοῦδε γὰρ — πρέπει μαθεῖν nihil aliud ſignificant, quam, *illum enim Perſam accurrentem videre licet.*

## IN SCENAM III.

*v.* 247—529.

Nuntius a Xerxe miſſus clamore et lamentatione Chori et Atoſſae colloquium interrumpit.

v. 247. 248. Quamquam πολὺς πλούτου λιμὴν ſic explicari poteſt, ut ſit *magnus divitiarum portus*, ac de univerſo

verso Persarum regno intelligatur, mihi tamen verisimilius est poetam scripsisse

Ὦ Πέρσις αἶα, καὶ πόλις, πλούτου λιμήν

hoc sensu: *O terrae totius Asiaticae oppida, o Persica tellus, tuque, o urbs, portus divitiarum;* Susa nimirum, quam in urbem, tanquam in portum omnes undique divitiae confluebant. (Observandum est λιμὴν translate positum tripliciter usurpari. Primum sic, ut cum Euripides, quem Abreschius cum aliis laudat, Orest. v. 1077. Agamemnonis filium sic loquentem facit:

Σοὶ μὲν γάρ ἐστι πόλις, ἐμοὶ δ' οὐκ ἔστι δή,
Καὶ δῶμα πατρός, καὶ μέγας πλούτου λιμήν,

ubi μ. π. λ. sunt ipsae divitiae, ad quas tamquam ad portum confugere possis. Similiter ᾅδου λιμὴν Soph. Antig. v. 1295. est ipse orcus, mortuorum portus et receptaculum. Alia ratio est, cum Longinus sect. IX. mortem appellat λιμένα κακῶν, h. e. *perfugium adversus mala.* Tertius vero usus occurrit Antig. v. 1013. *sedes auguris* appellatur παντὸς οἰωνοῦ λιμὴν, quo tamquam ad portum omnes aves convolant. Eodem modo hic apud Aeschylum πόλιν πλούτου λιμένα nominari censeo.) πόλις in πολὺς a librario mutatum esse videtur, qui πολὺς e sequenti versiculo oculis anticipaverat. Aeschylus autem non solet idem verbum, nisi orationis elegantia postulat, brevi intervallo repetere. Multo etiam verius urbs, quae regni caput est, et ubi regii thesauri asservantur, πλούτου λιμὴν appellatur, quam universum regnum. Πόλις etiam, *urbs*, κατ' ἐξοχὴν de Susis recte ponitur, praesertim cum πολίσματα, *oppida*, ei opponantur. Accedit, quod, si πόλις legamus, elegantior a majori ambitu ad minorem procedat oratio. Asia enim Persicum regnum, Persico regno Susa continentur. Inest etiam quasi quaedam itineris a nuntio facti repetitio. Primum enim Asiae, deinde Persidis fines intraverat; postremo jam ad Susorum urbem devenit.

v. 249 sqq. ὡς ἐν μιᾷ — πεσόν.] *Ut uno eodemque ictu magna felicitas eversa est, Persarumque flos caducus interiit.*

*iit.* Hactenus nuntius coelo quaſi et aëri tantum Perſarum calamitatem queſtus erat; graviſſimisque verbis ſummam infortunii effuderat. In iis autem, quae ſequuntur, ad ipſum ſenum chorum convertitur.

v. 250 ſqq. ὦ μοι — βαρβάρων] *Heu mihi; malum quidem eſt mala primum nuntiare; neceſſe tamen eſt omnem calamitatem Perſis exponere. Totus enim exercitus barbarorum* h. e. Perſarum *interiit.*

v. 254. ἄνι', ἄνια κακὰ] „Sic ſcripti et digeſti verſus in utroque cod. Reg. Prior non minus eſt penthemimeris trochaica, quam quod reponi ſuadet Heathius. Adjectivum ἄνιος, quo carent lexica, valet λυπηρὸς, ἀνίας παρεκτικὸς, ἀνιαρὸς, ἀθεράπευτος. ut exponunt veteres gloſſae. Occurrit iterum infra v. 1047. et 1053." *Brunck.* ἀνιὰ νεόκοτα κακὰ καὶ δάϊα ſunt *triſtia mala, recentia* ſ. *recenti* et *inuſitato furore ſaevientia, atque hoſtilia.*

v. 256. διαίνεσθε, *irrigemini* ſcil. lacrymis.

v. 258. ὡς — διαπεπραγμένα] *ut ſcilicet illa omnia prorſus perierunt!* Male enim interpres latinus: *quoniam illa omnia peracta ſunt.* „Sic infra v. 515. διαπεπραγμένου στρατοῦ; ubi vid. Schol. Sic Choëph. 880. ἀρῆξαι διαπεπραγμένῳ i. e. σφαγέντι. Ald. v. 1008. Sophocl. in Trachin. v. 797. et Thom. Mag. v. Διαπεπραγμένον. Eurip. Helen. v. 864. διαπεπράγμεθα, *periimus*, *actum de nobis eſt.* Et ſimplex verbum in noſtri Choëph. v. 130. πεπραγμένοι ἀλώμεθα —. Eundem uſum praeſtant omnia ferme reliqua verba *faciendi*, ut ἐκπρᾶξαι Eurip. Hec. 515. Soph. Oed. Colon. 1730. et infra Agam. 1286. ἐξεργάσασθαι Eurip. Helen. 1104. Oreſt. 1224. Hippol. 565. ἐπεξεργάσασθαι Soph. Antig. 1298. ubi Schol. explanat per ἐπισφάξαι, et διεργάσασθαι Soph. Oed. Col. 1481. Eurip. Hec. Hippol. 613. —" *Abreſch.*

v. 259. νόστιμον φάος, *reditus diem*, ut νόστιμον ἦμαρ Odyſſ. Z'. 311. et ſaepius apud Homerum.

v. 260.

v. 260 ſqq. ἦ μακροβίοτος — ἄελπτον.] *Profecto nimium longaeva videtur haec vita ſenibus, inſperatam hancce calamitatem audiendo.* ὅδε τις hic non conjungenda, quemadmodum Eurip. Electr. v. 107. εἰσορᾷ τήνδε προσπόλων τινά, aliisque locis ab Abreſchio commemoratis; ſed h. l. τις ad μακροβίοτος retrahendum, notaque illa intendendi vi praeditum eſt. Ordo enim verborum: ἦ μακροβίοτός τις ὅδε γε αἰὼν ἐφάνθη. Infinitivus ἀκούειν ellipſi praepoſitionis πρὸς vel διὰ jungitur cum μακροβίοτος. Nimium diu ſibi vixiſſe videntur ſenes, vel πρὸς τὸ ἀκούειν etc. ut iſtam calamitatem audire poſſent, ſuperſtites, vel διὰ τὸ ἀκούειν, propterea quod eam vivendo attigerint, auribusque acceperint.

v. 264. Choricorum ſenum verbum ἀκούειν occaſionem praebet nuntio, illa quae ſequuntur adjiciendi: *Atqui vero ego, qui praeſens adfui, nec alios tantum narrantes audivi, optime dixerim, quanta illis mala acciderint.*

v. 266 ſqq. μάταν — χώραν] *Eheu! Fruſtra* igitur tam multa *omnis generis tela*; h. e. tot millia hominum armatorum e multis variisque gentibus conflatorum, *in Graeciam, claram et nobilem terram, ex Aſia venerunt.*

v. 270 ſq. πλήθουσι — τόπος] *Oppleta ſunt cadaveribus militum infeliciter perditorum Salaminis littora, omnisque vicinitas*, ſcil. ex pugna navali Salaminia, cf. Herodot. VIII. 89.

v. 273. ἁλίδονα πολυβαφῆ, *mari jactata et multum* ſ. *ſaepe merſa.* Poſt πολυβαφῆ non intelligendum *ſanguine*, ut Schol. voluit, ſed *undis.* Aliud eſt jactari fluctibus, aliud mergi. Itaque nec Pauwii ratione utimur, qui πολυβαφῆ κατθανόντα arctius copulanda cenſuit, q. d. *in aquis exſtincti.* Nos potius κατθανόντα cum πλαγκτοῖς ἐν διπλάκεσσιν jungimus; ut univerſae antiſtrophes haec ſententia ſit: *Heu, heu*, corpora amicorum in errabundis navibus, ſcil. fractis et ſubmerſis, *mortua, ferri dicis, mari jactata ac ſaepe merſa.* Ita πλαγκτοῖς διπλάκεσσιν vel proprie ac-

cipiendum, de tabulis navium, in quibus miſeri naufragi enatare cupiebant, ſed antequam ad littus appellerent ſuffocati peribant, ita ut paulo poſt eorum cadavera mari disjicerentur; vel parte pro toto poſita, integras naves ſignificat, in quibus nautici vel caeſi, vel ſubmerſi ſunt.

v. 276 ſq. οὐδὲν — ἐμβολαῖς] *Nihil enim Perſis profuerunt arcus; omnis autem exercitus periit, navium* hoſtilium *impetu victus.* ναΐαι ἐμβολαὶ de navium in hoſtiles impetu et concurſu, cum adverſis proris in proras, vel in latera irruebant. Cf. Thucyd. VII. 36. Polyb. I. 24.

v. 278 ſqq. ἴὼ — φθαρέντος] *Emitte infauſtum lugubrem clamorem ſuper infelicibus Perſis! Ut omnia peſſime geſſerunt, heu, heu, perdito exercitu!* cf. v. 936 ſqq. δαΐοις non *pugnacibus*, ut interpr. reddidit, ſed *infelicibus.* Schol. ad Sophocl. v. 796. δαΐον κοινῶς τὸ πολέμιον, ἀττικῶς δὲ τὸ δύστηνον. Et alius ibid. Ὦ δαΐα] δηΐα πεπονθυῖα, ἢ κατακεκομμένη, καταπεπολεμημένη, κεκακωμένη. — Καὶ Αἰσχύλος ἀντὶ τοῦ ἀθλία κέχρηται τῇ λέξει. cf. Spanhem. ad Ariſtoph. Ran. v. 925.

v. 282. ὦ — κλύειν.] *O Salaminis nomen acerbiſſimum auditu et infeſtiſſimum!* ἔχθος non eſt *faſtidium*, ſed *odium* ex damno accepto.

v. 283. ὡς στένω μεμνημένος] *Quam gemo, cum Athenarum reminiſcor!* Ejusmodi vocibus Aeſchylus populi Athenienſium aures mirifice delectari ſciebat.

v. 284 ſqq. στυγναί — ἀνάνδρους] *Exoſae*, graves, formidabiles, *hoſtibus Athenae ſunt; meminiſſe licet, quam multas Perſidum* liberis parentibusve *orbas viduasque* viris *reddiderint.*

εὐνίδας] „Orbas nempe liberis parentibusve, quasdam utrisque. Hoc valet εὖνις, ut recte illuſtravit Schol. per ἐστερημένον, ὀρφανὸν, quo et ſolo ſenſu novit Homerus, obſervantibus grammaticis. vid. Iliad. X'. 44. Odyſſ. Γ'. 524. Noſter in Choëph. v. 245. ἰὸὺ γένναν εὔνιν αἰετοῦ πατρός,

πατρός, et v. 792. πῶλος εὔνις πατρὸς φίλου. Eurip. Oreſt. v. 930. ἀνδρῶν εὐνίδας dixit mulieres, quarum mariti abſentes. — Ἄνανδρος notat in univerſum mulierem ſine viro, ſive matrimonio fuerit juncta, ſive non. Eurip. Androm. v. 343. ἄνανδρον ἐν δόμοις χήραν καθέξεις, et Soph. Trach. v. 313. τίς ποτ' εἶ ἄνανδρος ἡ τεκοῦσα. Huc refero inprimis Eurip. Cycl. v. 305.

Ἄλις δὲ Πριάμου γαῖ' ἐχήρωσ' Ἑλλάδα
Πολλῶν νεκρῶν ποιοῦσα δορυπετῆ φόνον,
Ἀλόχους τ' ἀνάνδρους, γραῦς τ' ἄπαιδας ὤλεσεν,
Πολιούς τε πατέρας —

et Oreſt. v. 1136.

Ὧν πατέρας ἔκτειν', ὧν τ' ἀπώλεσεν τέκνα,
Νύμφας τ' ἔθηκεν ὀρφανὰς ξυνακόρων." *Abreſch.*

μάταν vero h. l. non eſt *immerito*, *ſine cauſa*, ut Abreſchius putabat, quamquam id alibi e. c. Agam. 1283. ita uſurpatur, ſed potius *fruſtra*, *nullo effectu*, quemadmodum v. 266. poſitum reperimus. Nempe ſi Xerxes victor diſceſſiſſet, acerba quidem uxoribus matribusque tot militum occiſorum jactura, ſed tamen ferenda fuiſſet; nunc cum tot millibus hominum perditis nil niſi damnum et ignominiam lucratus eſſet, multo acerbior iis caſus ad animum accidere debebat.

ἔκτισαν] „κτίσαι ἀντὶ τοῦ ποιεῖν frequens in primis Aeſchylo. Euripidi et Sophocli τιθέναι et φαίνειν, cuius tamen in Trach. v. 915. ταῦτ' ἔτλη χεὶρ γυναικεία κτίσαι." *Abreſch.*

v. 288 ſqq. σιγῶ — πάθη.] *Diu eſt, quod taceo infelix, obſtupefacta malis; tantum enim hoc eſt infortunium, ut neque loqui, neque ſciſcitari calamitates auſa fuerim.*

ἐκπεπληγμένη κακοῖς] Comparat Abreſchius Achill. Tat. VI. p. 361. ἐξεπλάγη καὶ ἔστη σιωπῇ, et p. 367. ἡ μὲν δὴ τῷ παραλόγῳ τῆς συμφορᾶς ἐκπλαγεῖσα ἐσιώπησεν, ut alia mittamus. Ceterum neque, quod ei in mentem venit, ut poſt ἐκπεπληγμένη ſuppleamus λόγῳ, neque ante τὸ μή-

τε λέξαι particula ὥςτε, ſed potius ἐς praepoſitio intelligenda eſt, ut ſaepe in hac loquendi forma.

v. 291. ὅμως δ' ἀνάγκη] „Eurip. Alceſt. v. 1071.
Χρὴ δ' ὅςτις εἶ σὺ καρτερεῖν θεοῦ δόσιν." *Abreſch.*

v. 292. πᾶν δ' ἀναπτύξας — λέξον] Supra in Prometh. v. 193. πάντ' ἐκκάλυψον καὶ γέγων' ἡμῖν λόγον.

v. 293. κεἰ στένεις κακοῖς ὅμως] Malim ὁμῶς, ut ſignificet *quamvis tu ſimiliter*, ſ. *aeque atque ego his malis ingemiſcas.* ὅμως temere repetitum e v. 291. h. l. friget.

καταστὰς *animo compoſito et confirmato*, τίνα δὲ [καὶ — ὅςτ' ἐπὶ] Scholiaſtes ait in quibusdam codd. ſcriptum fuiſſe ὥςτ', hoc ſenſu: *quinam vero nobis lugendus ſit ex imperatoribus, et quomodo quisque in imperio conſtitutus, morte ſua aciem deſtituerit.* Haud male quidem; attamen vulgata quoque ſic explicari poteſt, ut ἀρχελείων ad *ſummos duces* pertineat, verba autem ὅςτ' ἐπὶ σκ. deſcribant minorum ordinum duces ſub illorum auſpiciis imperantes. σκηπτουχία *imperium militare* h. l. deſignat. ἄνανδρον τάξιν ἡρήμου θανὼν ſic interpretor, *qui morte ſua cohortem in ſolitudinem conjecerit, jam viro* ſcil. ſorti imperatore *carentem, adeoque viribus fractam et imbecillem.* ἄνανδρα ſaepe de imperatore et viro forti κατ' ἐξοχὴν dici notiſſimum eſt. Omnino etiam ſimpliciter ἄνανδρον ſignificare poteſt *viduam*, ſ. viduatam. Sic noſtri homines forti imperatore legionis occiſo vel mortuo dicere ſolent, *ſein Regiment ſey verwaiſet.* Ita certe dignior Aeſchylo et Atoſſae perſona ſenſus exit, quam ex Heathii ratione, ſic illa vertentis: *quique ſceptrigeris praefectus cohortem eviratam duce deſtitutam reliquit moriens.* „Σκηπτοῦχοι enim, inquit, iſti *non erant Satrapae* aut qui ſupra appellantur βασιλῆς βασιλέως ὕποχοι, ſed *revera Eunuchi*, unde ἄνανδρον τάξιν ſubjungit poëta. Regii corporis apud Perſas cuſtodiam eunuchis primus commiſit Cyrus, teſte Xenophonte Cyrop. VII. 3, 6. VIII. 3, 8. Hi ſatellites numero trecenti erant, et σκηπτοῦχοι appellabantur, iisque pri-

primus praefuit Gadates ipſe eunuchus." Quae quidem omnia etſi vera et recte obſervata ſunt, minime tamen huius loci ſententiam attingunt. Nam primum ὁ ἐπὶ σκηπτουχίᾳ ταχθεὶς non ſignificat, *ſceptrigerorum cohorti praefectus*, ſed potius *in imperio conſtitutus:* deinde cum ineptum h. l. fuiſſet ſatellitum regiorum mentionem facere, tum praeſertim *eviratorum ſpadonum cohortem* hic nominare prorſus abſonum et minime decorum.

v. 297. ξῆ τε καὶ φάος βλέπει] „Homeric. Iliad. A'. 88. ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο." *Stanl.*

v. 298. ἐμοῖς — μελαγχίμου] *Sane tu quidem domui meae magnam lucem denuntiaſti, albumque* h. e. clarum *diem ex atra nocte.* Imagine utitur ſuavi, et materni animi benevolentiam et caritatem ſpirante. Succurrit nobiliſſimum Horatii carmen Od. IV. 5, 2.

v. 300. μυρίας ἵππου βραβεύς, *decem millium equitum dux*, Heſych. βραβέα, ἄρχοντα.

v. 301. στυφλοὺς — Σιληνίων, *caeditur ad aſpera littora Sileniarum. Sileniae* ora erat Salaminis inſulae praerupta et ſcopuloſa. vid. Schol. ad h. l. Attendat vero lector, quanta dictionis varietate et copia uſus fuerit Aeſchylus in deſcribendis enuntiandisque v. 301 ſqq. imperatorum mortibus.

v. 303. πήδημα κοῖφον ἐκ νεὼς ἀφήλατο, *facili ſaltu ex nave deſiliit*, h. e. *letali vulnere accepto praeceps in mare cecidit.* Sic Cebrionem vulneratum ex curru decidentem Homerus ἀρνευτῆρι *urinatori* comparat, de eoque Patroclus cum acerba irriſione:

ὦ πόποι ἦ μάλ' ἐλαφρὸς ἀνήρ, ὡς ῥεῖα κυβιστᾷ. (Iliad. Π'. 742. 745.)

v. 304. 305. Τεναγὼν — πολεῖ] Ac *Tenagon, fortiſſimus Bactriorum indigena, Ajacis inſulam, Salamina, fluctibus marinis percuſſam, incolit*, h. e. ibi *ſepultus eſt.* πολεῖν non ſolum eſt *paſcere*, ſed etiam *habitare.*

v. 307. πελειοθρέμμονα i. q. Homero πολυτρήρωνα *columbas multas alentem.* „Salaminem insulam Veneris in tutela fuisse, ex Homero discimus; unde probabile est, columbas summa cura incolas enutrivisse, atque insulam iis abundasse. Veneri enim sacra haec avis." *Stanl.*

v. 308. ἐκύρισσον ἰσχυρὰν χθόνα] κυρίσσειν ut *arietare* apud Latinos primum *cornibus ferire* significat, deinde simpliciter *ferire*, *percutere.* h. l. de cadaveribus horum imperatorum frequenter ad littora allisis capiendum. ἰσχυρὰ χθών, ut postea v. 317. σκληρὰ γῆ dicitur Salaminia tellus, ob asperа et saxosa littora.

v. 311. Φαρνοῦχος] „Tres ἵππαρχοι, equitatus praefecti, memorantur Herodoto lib. VII. 88., quorum tertius Φαρνούχης appellatur." *Stanl.*

ναὸς ἐκ βαιᾶς πεσών] Haud injuria Brunckius offenditur vulgata οἵτε ναὸς ἐκ μιᾶς πέσον, qua *una eademque ex nave* isti duces cecidisse dicuntur. Quomodo enim non mirum videatur tot imperatores eandem conscendisse navem? Attamen illa veteris Grammatici explicatio, quam idem vir doctissimus enotavit, ἐνικήθησαν ἐκ μιᾶς νηὸς τῶν Ἀθηναίων, etsi istam difficultatem tollit, ambiguitate tamen premitur, et contextui parum respondet. Omnes enim, quibus h. l. nuntius utitur, locutiones mortem ducum differte describunt. Itaque Hermannus veram lectionem nobis conjectura assecutus esse videtur, ἠδὲ ναὸς ἐκ βαιᾶς πεσών *e parvo navigio delapsus.*

v. 312. Χρυσεὺς] „Chrysеus nomen est proprium. Sequentis nominis duplex est lectio, Μάταλλος, Μέταλλος. In MS. Reg. B. scholium: ὁ Μέταλλος Ἄραψ ἦν, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν μέλαιναν ἵππον εἶχε. Τοιοῦτοι γὰρ οἱ Ἀραβικοὶ ἵπποι." *Brunck.*

v. 314. ζαπληθῆ δάσκιον γενειάδα] „Suidas ex Epigr. citat ζαπληθὲς στόμα. Petron. c. 99. *barbis horrentibus nauta*, i. e. *hispidus*, *multibarbus*, ut loquitur Apulejus Flor. lib. 1. sub principium." *Abresch.*

v. 315.

v. 315. χρῶτα ἀμείβων πορφυρέᾳ βαφῇ] *cutis colorem mutans purpureo* ſanguinis *tinctu*. πορφύρεον αἷμα, πορφύρεον θάνατον Homerus dixit. Fundus autem translationis e re tinctoria ſumtae in nobiliſſima ejusdem comparatione Iliad. Δ'. 141ſqq.

v. 316. Μάγος] „Nomen gentilitium. Stephanus de Urb. v. Μαγία: εἰσὶ καὶ Μάγοι ἔθνος περὶ Μηδίαν. Herodot. I. 101. ἔστι δὲ Μήδων τοσάδε γενεά, Βουσαί, Παρητακηνοί, Στρούχατες, Ἀριζαντοί, Βούδιοι, Μάγοι. Γενεὰ μὲν Μήδων ἐστὶ τάδε. —" *Stanl.*

v. 317. σκληρᾶς μέτοικος γῆς ἐκεῖ κατέφθιτο] quaſi hoſpes aut inquilinus adiit Salaminem inſulam, ibique periit.

v. 318. πολύπονον δόρυ, *haſta qua ſtrenue pugnaverat.* Cf. Agam. v. 63 ſqq.

v. 320. Σάρδεσι πένθος παρασχών] *Sardibus luctum*, nempe ſua morte *importans*. Utrum autem hic Ariomardus idem ſit, qui ſupra Thebarum Aegyptiarum dux nominabatur, v. 38. an alius, definiri nequit.

Σησάμης] „Hoc nomen in codd. Regg. diverſimode ſcriptum: Σισάμης, Σεισάμης, Σεισάρμης. Poſtremi vitium manifeſtum. Vera ſcriptura ſervata in v. 979. Sequens nomen duplici etiam modo ſcriptum, Θάρυβις, Θάβυρις." *Brunck.*

v. 322. Αυρναῖος] „Interpres Graecus: τὸ γένος ὢν ἀπὸ Λύρνης τῆς χώρας. Imo τῆς πόλεως. Steph. de Urb. Αυρνησσὸς πολις Τρωϊκὴ, μία τῶν ἕνδεκα τῶν ἐν τῇ Τρωάδι· τὸ ἐθνικὸν Αυρνήσσιος. Αἰσχύλος δὲ Πέρσαις, ὡς ἀπὸ τοῦ Λύρνη, Αυρναῖος." *Stanl.* „Ad hunc locum jam monuere viri docti, Euſtathium exiſtimaſſe prius ex poſteriori per ſyncopen factum, ſed huiusmodi ſyncopen ego haud capio. Rectius ni fallor dixiſſet Λύρνην, per apocopen, eandem quae Αυρνησσὸς; inde Αυρναῖον, pro Αυρνήσσιον. Heſychio Λύνησος, eadem quae Tenedos." *Abreſch.*

v. 324 ſqq. Συέννεσις — ἀπώλετο] *Et Syenneſis virtute et animi fortitudine facile princeps, Cilicum praefectus, unus ille, qui maximum laborem hoſtibus faceſſebat, gloriosa morte occubuit.* „Apud Herodot. VII. 98. inter eos, qui in claſſe proximi a ducibus ὀνομαστότατοι fuere, recenſetur Κίλιξ Συέννεσις, Oromedontis filius. Erat vero Syenneſis, ni fallor, nomen commune Regibus Ciliciae, ut Ptolemaeus Aegypti. Syenneſis rex Ciliciae, Cyaxari et Alyatti coaetaneus, memoratur Herodoto lib. I. 64. Alterius ſub Dario mentionem facit idem lib. V. 118. Meminit et tertii Xenophon in Κύρου ἀναβ. lib. VII. ubi reges omnium regionum, quas in expeditione illa peragraverant Graeci enumerat." *Stanl.*

v. 327 ſq. τοιῶνδε — κακά] *Et hi quidem, quorum mentionem feci, meri principes ſunt; pauca vero e multis tibi mala narro.* Nihil ſcil. de tot millibus equitum, peditum, nauticorum caeſis, nihil de variis eorum calamitatibus dixerat.

v. 329. κακῶν ὕψιστα] „ut Φόβος ὕψιστος Suppl. v. 488. et πημάτων ὕψιστος Lycophr. v. 305." *Abreſch.*

v. 330. αἴσχη — κωκύματα] *quae Perſis dedecora et acutas lamentationes afferunt.*

v. 331. ἀναστρέψας πάλιν] „Eurip. ἀνελθεῖν in Phoen. v. 1213. et Ion. 934. εἰπεῖν ἀπ' ἀρχῆς αὖθις dixit Soph. Ajac. v. 1119. quo ſi quis alium facere jubet, ἀναποδίσαι dicitur (lat. *revocare*). Herodot. V. 92, 6. ἀναποδίζων τὸν κήρυκα." *Abreſch.*

v. 332. πόσον δὲ πλῆθος ἦν, *quantus* tandem *fuit numerus.* „Sic uterque cod. Reg. Gloſſa in B. ἀντὶ τοῦ δή. Hinc orta vulg. lectio." *Brunck.*

v. 333. 334. ὥςτ' ἀξιῶσαι — ἐμβολαῖς] *ut auderent cum Perſico exercitu pugnam conferere navium congreſſionibus;* i.q. oratione proſa diceretur ὥςτ' ἀξιῶσαι ναυμαχεῖν.

v. 335 ſqq. Πλήθους — κρατῆσαι] „Ordo eſt: πλήθους μὲν ἑκατὶ, σάφ' ἴσθι βαρβάρους ναυσὶ κρατῆσαι ἄν. *Si navium*

*navium multitudo aliquid ad victoriam contuliſſet, certo ſcias barbaros victuros fuiſſe.* Particulae ἂν latina verſio vim non exprimit: *quoad numerum quidem certo ſcias longe barbaros navibus ſuperaſſe.*" Brunck.

v. 336. καὶ γὰρ Ἕλλησιν] Male verſio latina: *nam et Graecis.* Vertendum erat: *Etenim Graecis.*

v. 337. ὁ πᾶς ἀριθμὸς] „Graecorum claſſem Cteſias ſeptingentarum navium fuiſſe narrat; at Herodotus non niſi trecentarum et octoginta, lib. VIII. 82. quarum XVI. tantum Lacedaemonii, CLXXX. praebuerunt. De Atticarum navium numero convenit Plutarchus in Themiſtocle; quin ipſe Herodotus lib. eod. c. 61. naves πεπληρωμένας CC. Athenienſibus tribuit, cui accinit Diodor. Sic. lib. XV." *Stanl.*

v. 338. δεκὰς — ἔκκριτος] *Praeter has vero decem naves bonitate*, h. e. ſ. magnitudine ſ. celeritate, *praeſtantes* ſ. *eximiae erant.* χωρὶς τῶνδε conjungendum. Secus accepit Schol. qui χωρὶς ἔκκριτος copulavit, ideoque Aeſchylum non CCCX naves numerare, ſed CCC navibus X ſelectas comprehendere exiſtimavit.

v. 339. Ξέρξῃ δὲ] Xerxis claſſem mille ducentarum et ſeptem navium fuiſſe refert; quo potiſſimum teſte. ut exploratae fidei, utitur Plutarchus in vita Themiſtocl. περὶ δὲ τοῦ πλήθους τῶν βαρβαρικῶν νεῶν, Αἰσχύλος ὁ ποιητὴς ὡς ἂν εἰδὼς καὶ διαβεβαιούμενος, ἐν τραγῳδίᾳ Πέρσαις, λέγει ταῦτα: Ξέρξῃ δὲ — Νεῶν τὸ πλῆθος — ἑπτὰ δέ. Adſtipulatur Herodotus, poſt Aeſchylum teſtis optimus, lib. VII. 79. Τῶν δὲ τριήρεων ἀριθμὸς μὲν ἐγένετο ἑπτὰ καὶ διηκόσιαι καὶ χίλιαι. Dein ex his quot e qualibet regione ſuppeditatae fuerint, diſertiſſime narrat. Eundem ad numerum collineare videtur Diodorus Siculus lib. II. inquiens, νῆες δὲ σύμπασαι μακραὶ πλείους τῶν χιλίων καὶ διακοσίων. Minus curioſe agunt, qui non niſi mille et ducentas numerant. Horum eſt Iſocrates, in Panathenaico: καὶ Ξέρξου τοῦ τότε βασιλεύοντος τριήρεις μὲν συναγαγόντος διακοσίας καὶ

χιλίας. Et in Panegyrico: προσπλεουσῶν δὲ τριήρων διακοσίων καὶ χιλίων. Et Corn. Nep. in Themistocle: „Hujus enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo millia onerariarum sequebantur." Verum hoc intelligendum tantum κατὰ τὸ ὁλοσχερέστερον. Quanto magis platice dictum ab iis, qui mille navium fuisse asserunt? ut Ctesias, τριηρεῖς χιλίας ἤλαυνεν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, et Cicero in Verrem, *Xerxem mille numero navium classem ad Delum appulisse* scribit. Ceterum apud hos, ut loquitur Varro de R. R. lib. II. c. 1., *non est ut sit ad amussim, ut non est cum dicimus mille naves iisse ad Trojam* etc. —" *Stanl.*

v. 340. ὧν ἦγε πλῆθος] „Non crediderim ego aliter hic legisse Plutarchum, atque nos hodie, quod existimat Stanl. et Spanhem. ad Julian. p. 280., sed pro ὧν ἦγε πλῆθος, ideo scripsit νεῶν τὸ πλῆθος, ut, quod fieri solet quam saepissime, et omnes, qui breviter aliorum verba adducunt, faciunt, verbis abrupte et extra nexum suum laudatis, sensus constaret." *Abresch.*

ὑπέρκομποι τάχει] *celeritate praestantes.*

v. 342. μή σοι — μάχῃ] Interpres lat. falsam lectionem δοκοῦμεν secutus vertit: *Num tibi videmur in hac pugna inferiores fuisse?* „Verum τῇδε non debet cum μάχῃ conjungi, sed seorsim verti *hac ex parte*, id est, quod ad numerum navium attinet, (πλήθους ἕκατι v. 335.) Ex sequente autem ἀλλὰ manifestum est τὸ μὴ h. l. non interrogative, sed negative poni. Legendum igitur omnino est, δοκῶμεν. *Ne tibi videamur ab hac parte in proelio inferiores fuisse.*" Heath.

v. 343. στρατὸν] „Schol. legit λαὸν, quo sensu, nempe pro στρατὸν, cadente Graecitate frequentatum docet DuCangius: sed usum antiquissimum probat noster, cujus iterum est infra v. 731. πᾶς λαὸς κατέφθαρται δορί, et ut ναυτικὸς στρατὸς v. 730. sic λεὼς v. 383. et Anton. Liber. c. XXX. λαὸν ἀθροίσαντες ἀφίκοντο τῆς Ἰταλίας παρὰ τὴν Ἀδρί-

Ἀδρίαν. Contra στρατὸν pro λαὸν habet Eumenid. 686. 892." *Abresch.*

v. 344. τάλαντα βρίσας οὐκ ἰσοῤῥόπῳ τύχῃ] *qui* (scil. δαίμων) *lances haud aequilibri fortuna oneravit.* Apud Homerum Jupiter fingitur fatalem populorum vel hominum sortem in trutina ponderare; ita ut, quorum lanx potiori gravitate deorsum vergat, iis exitium portendatur. Sic Il. Θ'. 70. imposuerat lancibus δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο, Trojanorum nempe et Archivorum; tumque

Ἕλκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ' αἴσιμον ἦμαρ Ἀχαιῶν.

Eodem modo in Achillis et Hectoris certamine Il. X'. 210 sqq. ubi Hectoris morti destinati lanx deprimebatur. Fieri tamen potest, ut imaginem hujus trutinae paulo aliter informaverit Aeschylus. Nam si bonam fortunam Persarum et Graecorum ponderatam esse finxit, gravior lanx utique Graecorum, levior Persarum erat. cf. Clav. in ἰσόῤῥοπος.

v. 346. Ἔστ' ἆρ' Ἀθηνῶν, ἔστ' ἀπόρθητος πόλις.] Cum hic sensus particulam ἄρα, non ἆρα postulet, (nam hoc interrogativum est, quod, si hic versus nuntio tribuatur, admitti nequit;) ἄρα vero propter primae syllabae brevitatem locum hic non inveniat, certissimum arbitror, hosce versiculos ita legendos esse:

ΑΤΟΣΣΑ.

Θεοὶ πόλιν σώζουσι Παλλάδος θεᾶς.
Ἔτ' ἆρ' Ἀθηνῶν ἔστ' ἀπόρθητος πόλις;

ΑΓΓΕΛΟΣ.

Ἀνδρῶν γὰρ ὄντων, ἕρκος ἐστὶν ἀσφαλές.

h. e. Atossa: *Dii profecto urbem Palladis servant. — Adhucne igitur Athenarum urbs invicta est?* Nuntius: Est profecto; nec mirum. *Nam cum iis virorum* fortium *copia sit, firmissimo utuntur munimento.* Et hanc rationem jam editio Robortelli praeivit, nisi quod ibi pro ἔτ' ἆρ' vitiose scriptum ἔτ' ἄρ', et pro signo interrogandi, quod ab-

abeſſe non debet, punctum poſt ἔρκος poſitum eſt. In reſponſione nuntii particula γὰρ involvit ſuppreſſam quaeſtionis propoſitae affirmationem.

v. 350. πλήθει καταυχήσας νεῶν] *ſuperbiens* ſ. *fretus navium multitudine.* „Verbum notes, cujus nulla in lexicis veſtigia, praeterquam ex Jacobi epiſt. II. 13., ubi in quibusdam libris καταυχᾶται pro κατακαυχᾶται lectum fuiſſe ſcribit Corn. a Lapide, cunctis nihilominus libris Mss. quorum V. L. collegerunt viri docti, in vulgatam conſpirantibus, quam et genuinam eſſe puto." *Abreſch.*

v. 352. ἀλάστωρ h. l. *infeſtus genius.*

v. 353. Ἀνὴρ γὰρ Ἕλλην] „Cui nomen Sicinus. Aſtutiſſimum hoc Themiſtoclis commentum memorat Herodotus lib. VIII. 76. et Diodorus Sic. lib. XI. p. 231." *Stanl.*

v. 354. ἔλεξε — Ξέρξῃ τάδε] „Vel potius, πρὸς τοὺς στρατηγοὺς τῶν Βαρβάρων, ſi Herodoto credimus, qui et nuntii verba paulo aliter refert. Ἔπεμψέ με στρατηγὸς ὁ Ἀθηναίων λάθρη τῶν ἄλλων Ἑλλήνων (τυγχάνει γὰρ φρονέων τὰ βασιλῆος, καὶ βουλόμενος μᾶλλον τὰ ὑμέτερα κατύπερθε γενέσθαι ἢ τὰ τῶν Ἑλλήνων πρήγματα) φράσοντα ὅτι οἱ Ἕλληνες ὁρασμὸν βουλεύονται κατορῴωδηκότες. καὶ νῦν παρέχει κάλλιστον ὑμέας ἔργον ἁπάντων ἐξεργάσασθαι, ἢν μὴ περιΐδητε διαδράντας αὐτούς· οὔτε γὰρ ἀλλήλοισιν ὁμοφρονέουσι, οὔτε ἀντιστήσονται ὑμῖν. Πρὸς ἑωϋτούς τε σφέας ὄψεσθε ναυμαχέοντας τοὺς τὰ ὑμέτερα φρονέοντας καὶ τοὺς μή. Ceterum conſentit cum noſtro Diodor. Sic. ἔπεισέ τινα (Θεμιστοκλῆς) πρὸς τὸν Ξέρξην αὐτομολῆσαι, καὶ διαβεβαιώσασθαι ὅτι μέλλουσιν οἱ κατὰ Σαλαμῖνα νῆες ἀποδιδράσκειν ἐκ τῶν τόπων καὶ πρὸς τὸν Ἰσθμὸν ἀθροίζεσθαι." *Stanl.* Ceterum h. l. rectius quam in verſione lat. Stanl. ſic verteris: Graecus homo ab Athenienſium exercitu veniens filio tuo Xerxi haec dixit: *Graecos cum primum noctis tenebrae ingruiſſent, haud amplius manſuros, ſed occupatis navium tranſtris alium alia via vitam clam aufugiendo ſervaturos eſſe.*

v. 360.

v. 360. θεῶν φθόνον] *ignorans deos ei victoriam, quam de Graecis reportare ſperabat, invidere*, h. e. *ei non decreviſſe.* cf. not. ad v. 91.

v. 362 ſq. εὖτ' ἂν — λάβῃ] *Simulac urere ſol radiis terram ceſſaverit* ac *tenebrae templa aetheris occupaverint.* Τέμενος αἰθέρος, ut Latini *coeli templa.*

v. 365. ἔκπλους καὶ πόρους ἁλιρρόθους, *exitus et freta maritima*, per quae nimirum enavigandi copia erat.

v. 366. νῆσον Αἴαντος πέριξ] „Herodot. VIII. 76. ἀνῆγον μὲν τὸ ἀπ' ἑσπέρης κέρας κυκλούμενοι πρὸς τὴν Σαλαμῖνα, et mox τῶνδε δὲ ἕνεκα ἀνήγοντας νῆας, ἵνα δὴ τοῖσιν Ἕλλησι μηδὲ φυγέειν ἐξῇ, ἀλλ' ἀπολαμφθέντες ἐν τῇ Σαλαμῖνι δοῖεν τίσιν τῶν ἐπ' Ἀρτεμισίῳ ἀγωνισμάτων." *Stanl.*

v. 367 ſqq. ὡς — προκείμενον] *adeo ut, ſi malam perniciem Graeci effugerent, ac navibus clam elabendi occaſionem reperirent, omnibus* ſc. navium in praeſidio collocatarum *ducibus capitis poena denuntiaretur.* Ita ſi πᾶσι de praefectis tantum ſ. ναυάρχοις v. 361. intelligatur, (nam de omnibus claſſiariis accipere nulla neceſſitas cogit) non eſt quod cum Schol. pro κρατὸς legamus κράτος, quod ne metrum quidem admittit, nili forte κάρτος ille ſcripſerat.

v. 370. κάρθ' ὑπ' ἐκθύμου φρενὸς, *animo valde feroci atque fidente.*

v. 372 ſqq. οἱ δ' — εὐήρετμον] *Hi vero non negligenter, ſed obſequenti animo coenam parabant, et unusquisque nauticus alligavit remum circa ſcalmum remis aptum.*

v. 373. δεῖπνόν τ' ἐπορσύνοντο] „Perſae ſemel tantum in die, idque ad coenae tempus, cibum capeſſebant. Hinc facetum Megacreontis dictum, cujus meminit Herodotus lib. VIII. c. 20. qui praeclare actum dicebat cum Abderitis, quod Xerxes non bis quotidie cibum caperet, nam ſi iis praeter coenam, quam ei dederant, etiam prandium praebendum fuiſſet, nihil illis ea calamitate durius accidere potuiſſe." *Stanl.*

v. 374.

v. 374. ἐτροποῦτο] inde lorum, quo ſcalmum religabant, τροπωτὴρ dictus.

v. 376. κώπης ἄναξ, i. e. *remex.* „Reprehendit Euripidem Ariſtoteles hac phraſi uſum, ac ſi minus eſſet decora, Rhetor. lib. III. c. 2. Τὸ δὲ, ὡς ὁ Νήλεφος Εὐριπίδου φησί, κώπας ἀνάσσει καποβὰς εἰς Μυσίαν, ἁρμόττει, ὅτι μεῖζον τὸ ἀνάσσειν ἢ κατ' ἀξίαν." *Stanl.* „Verum expedit rem Euſtath. ad Iliad. B'. p. 261. docens in talibus non regis ſignificationem ſpectandam, ſed quatenus in genere notet *dominum curamque gerentem rei cujuscunque;* ſic mox v. 383. ναῶν ἄνακτες. Oppian. Hal. I. 17. σκυλάκων ἄνακτες. cf. noſtri Agam. v. 70. Nec non Spanhem. ad Ariſtoph. Ran. v. 1291. Iterumque Euſtath. ad Odyſſ. A'. p. 67." *Abreſch.*

v. 377. ὅπλων ἐπιστάτης interpretor de milite claſſiario; nam quemadmodum remiges metaphorice remorum ἄνακτες appellabantur, ſic milites *armorum praefecti.*

v. 380. καὶ πάννυχοι] Herodot. lib. VIII. 76. ἐποίεε δὲ σιγῇ ταῦτα, ὡς μὴ πυνθανοίατο οἱ ἐναντίοι· οἱ μὲν δὴ ταῦτα τῆς νυκτός, οὐδὲν ἀποκοιμηθέντες, παραρτέοντο." *Stanl.* διάπλοον h. l. adjective ſumtum, ſignificat *navigando ſine remiſſione intentum.* Nempe navium duces omnem populum nauticum per totam noctem miniſteriis navalibus operam dare jubebant.

v. 384. λευκόπωλος ἡμέρα] „Ut nocti nigros, ſic et Aurorae equos albos tribuunt poetae. Theocritus:

Οὐδ' ὅκχ' ἁ λεύκιππος ἀνατρέχει ἐς Διὸς ἀώς.

Q. Calaber lib. I.

Ἠὼς μαρμαρέοισιν ἀγαλλομένη Φρένας ἵπποις." *Stanl.*

v. 386 ſqq. πρῶτον μὲν — ἠχώ.] *Ac primum quidem claſſicum a Graecis ſublatum Echoi inſtar cantici acclamabat. Echo autem inſularis petrae ilico altiſſima voce reſonabat.* Magnifica ſane deſcriptio! κέλαδος eſt *clamorque virûm clangorque tubarum,* ut Virgilii verbis utamur. Hic dici-

dicitur μολπηδὸν εὐφημῆσαι, quoniam ὄρθιος ille νόμος certos numeros certamque modulationem habebat, ad excitandam virtutem pugnantium hoſtesque terrendos compoſitam. Sed quamquam h. l. hujus ὀρθίου νόμου quaedam deſcriptio continetur, non tamen in iis, quae ſtatim ſequuntur, vocabulum ὄρθιον adjectivi loco, ita ut νόμον ſupplendum ſit, ſed potius adverbialiter poſitum accipio; et ὄρθιον ἀνταλαλάζειν interpretor *intentiſſima voce reſonare*, vel *reclamare*. Germanice ſic verterim: *Nun rief von Seiten der Griechen ein dem Geſange ähnliches Schlachtgeſchrey jauchzend der Echo zu; und ſchnell hallte mit lauter Stimme von den Felſen der Inſel die Echo wieder.*

v. 390 ſqq. οὐ γὰρ ὡς φυγῇ — θράσει.] *Non enim quaſi ad fugam gravem Paeana canebant Graeci, ſed animoſa audacia ad pugnam ruentes.*

ἐφύμνουν] „ut ὁλολυγμὸν ἐφυμνεῖν in Choëph. v. 383. et τὶ χθονὶ Eumen. 905. Pro *invocare* poſuit Soph. Antig. 669." *Abreſch.*

v. 393. Σάλπιγξ — ἐπέφλεγεν] *Tuba vero clangore omnia iſta accendebat.*

ἐπέφλεγεν] „Gloſſae in Reg. B. ἐτάρασσεν, ἐθορύβει. Schol. ἀνήγειρεν. Frequens poëtis verbi φλέγει uſus metaphoricus. Soph. Theb. 288. Eurip. Phoeniſſ. 248. Ἄρης αἷμα δάϊον φλέγει. E Graecis mutuatus eſt Virgilius, cum alibi, tum Aen. X. 865.

*Clamore incendunt coelum Troësque Latinique.*

IX. 500. de Euryali matre:

*Illam incendentem luctus Idaeus et Actor*
*Corripiunt. —*

πολυδάκρυτον Ἴδα γόον φλέγουσαν, ut ait Comic. Theſmoph. 1050. ubi male excuſum φευγούσαν. Bacchylides in Analectis noſtris T. I. p. 151. inter Pacis laudes illud recenſet, quod

συμποσίων ἐρατῶν βρίθοντ' ἀγυιαὶ,
παιδικοί θ' ὕμνοι φλέγοντκι.

Sopho-

Sophocl. Aj. 106. ἅταν οὐρανίαν φλέγων. Nec abſimile eſt iſtud Oedip. Tyr. 187. παιὰν δὲ λάμπει, στονόεσσά τε γῆρυς ὅμαυλος." *Brunck.*

πάντ' ἐκεῖνα, *omnem iſtum tumultum.* Fortaſſe autem Aeſchylus ediderat:

. . . Σάλπιγξ δ' αὐτῇ πάντα θῖν' ἐπέφλεγεν.

*Tuba autem clangore omne littus accendit*, nempe inſulae Salaminiae, aliarumque circumjacentium. „Ceterum de tubicine Virgilius:

*quo non praeſtantior alter*
*Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.*

Lycophron v. 249 ſqq.

Καὶ ὃν καταίθει γαῖαν ὀρχηστὴς Ἄρης
Στρόμβῳ τὸν αἱματηρὸν ἐξάρχων νόμον." *Stanl.*

v. 394 ſqq. εὐθὺς — ἰδεῖν] *ſtatim vero junctis remorum ſtrepentium percuſſionibus audito celeuſmate verberabant, ac celeriter omnes conſpicui erant.* ξυνεμβολῇ non eſt *cum incurſu*, ſed exprimit remorum percuſſionem ab omnibus eodem momento factam. Remigibus enim in remis impellendis ſuos numeros, certosque percuſſionum modos fuiſſe, inter omnes conſtat. ἐκ κελεύσματος, vel *audito celeuſmate*, vel *ſecundum celeuſma*, ut Sept. Theb. 856. in dictione allegorica ex remigandi negotio petita κατ' οὖρον γόων ἐρέσσειν. Celeuſtes,

*qui requiemque modumque*
*Voce dabat remis,*

Ovid. Metam. 3. 629. *hortator* idem a Latinis dictus, vel *pauſarius*, media in puppi ſtabat. Ita Silius Italicus Lib. VI. 361.:

*mediae ſtat margine puppis,*
*Qui voce alternos nautarum temperet ictus,*
*Et remis dictet ſonitum, pariterque relatis*
*Ad numerum plaudat reſonantia coerula tonſis.*

v. 397—403. τὸ δεξιὸν — ἄγων.] *Ac primum quidem dexterum cornu ſcite inſtructum ordine praeibat, deinde* reliqua *tota claſſis ſubſequebatur, ſimulque hic undique cla-*

*clamor audiebatur: O filii Graecorum, ite, liberate patriam, liberate liberos, uxores, deorum patriorum ſedes, majorumque ſepulcra: nunc pro omnibus pugnandum eſt.* Haec narrationis pars Athenienſium aures graviſſimo ſenſu mulcere debuit!

v. 404 ſq. καὶ μὴν — ἀκμὴ] *enimvero et a nobis Perſicae linguae ſtrepitus* illis *recurrebat, neque ullus amplius erat cunctandi locus.* „Moris enim erat apud Perſas, ubi manus conſererent, clamorem tollere, quo et hoſtes terrerent, et incitarent ſuos. Curt. lib. III. *Jam in conſpectu, ſed et extra teli jactum utraque acies erat, cum priores Perſae inconditum et trucem ſuſtulere clamorem.* Diodor. Sic. lib. XVII. οἱ Μακεδόνες πρῶτοι συνκαλαλάξαντες, βοὴν ἐξαίσιον ἐποίησαν· μετὰ δὲ ταῦτα τῶν βαρβάρων ἀντιφθεγξαμένων, συνήχησε μὲν ἡ συνεγγὺς ὀρεινὴ πᾶσα· τὸ δὲ μέγεθος τῆς βοῆς ὑπερῆρε τὴν προγεγενημένην κραυγήν, ὡς ἂν πεντήκοντα μυριάδων μιᾷ φωνῇ συνηχουσῶν. —" *Stanl.*

οὐκέτ' ἦν μέλλειν ἀκμή.] Ordo eſt: ἀκμὴ ἦν οὐκέτι μέλλειν. Ventum erat ad ipſum temporis articulum, qui omnem moram excludebat. Germani dicerent: *Es war die höchſte Zeit, nicht länger zu zaudern.* Sic Agam. 1364. τὸ μὴ μέλλειν δ' ἀκμή.

v. 406 ſq. εὐθὺς — ἔπαισεν] *Confeſtim navis* Graeca *in nave* Perſica *aeratum roſtrum percuſſit.* „Pro ἐμβόλῳ, *roſtro navis*, στόλον, hic poſitum a poëta recte monuit Schol. παρὰ τὸ εἰς αὐτὴν συνεστάλθαι, etc., quibus parilia ſcribit Heſychius cum Euſtath. ad Odyſſ. M. p. 494. 12. Pollux lib. I. Segm. 86. diſtinguit inter στόλον et ἔμβολον." *Abreſch.* Fieri tamen poteſt, ut h. l. στόλος proprie ſic dictus deſignetur.

v. 407 ſqq. ἦρξε — κόρυμβ'] *Primum vero impetum dedit Graeca navis et omnia Phoeniſſae navis apluſtria diffregit.* „Ita etiam Herodotus lib. VIII. Utrum vero navis haec Athenienſis fuerit, an Aeginenſis, apud ipſos Graecos non conſtabat. Ἀμεινίης δὲ, inquit, Παλληνεύς,

ἀνὴρ Ἀθηναῖος ἐξαναχθεὶς, νηῒ ἐμβάλλει. Συμπλακείσης δὲ τῆς νηὸς καὶ οὐ δυναμένων ἀπαλλαγῆναι οὕτω δὴ οἱ ἄλλοι Ἀμειν. νίη βοηθέοντες συνέμισγον. Ἀθηναῖοι μὲν οὕτω λέγουσι γενέσθαι τῆς ναυμαχίας τὴν ἀρχήν. Αἰγινῆται δὲ τὴν κατὰ τοὺς Αἰακίδας ἀποδημήσασαν ἐς Αἴγιναν, ταύτην εἶναι τὴν ἄρξασαν. Aeſchylus, qui et ipſe Athenienſis, priori ſententiae faviſſe videtur; dicit enim navem Graecanicam, quae conflictum incepit, Phoeniſſam confregiſſe; at Phoenices in hoc proelio adverſus Athenienſes inſtructum fuiſſe monet Herodotus lib. cit. c. 85. κατὰ μὲν δὴ Ἀθηναίους ἐτετάχατο Φοίνικες· οὗτοι γὰρ εἶχον τὸ πρὸς Ἐλευσῖνός τε καὶ ἑσπέρης κέρας. Idem vero in hac pugna Aeginetis primas partes, Athenienſibus ſecundas tribuit. VIII. 93. ἐν δὲ τῇ ναυμαχίῃ ταύτῃ ἤκουσαν Ἑλλήνων ἄριστα Αἰγινῆται· ἐπὶ δέ, Ἀθηναῖοι —" *Stanl.*

v. 409. ἐπ' ἄλλην δ' ἄλλος ἴθυνεν δόρυ.] Et *alius* ſcil. gubernator *in aliam* hoſtium navem *direxit navem.* δόρυ hic de *nave*, ut ſaepe. v. Suppl. 141.

v. 410—421. τὰ πρῶτα — στρατεύματος] *Ac primum quidem torrens Perſici exercitus impetum ſuſtinuit; cum vero multitudo navium in anguſto coarctaretur, ipſaeque ſuis auxilium ferre non poſſent, ſed potius ipſae ſe invicem aeratis roſtris perforarent, tum vero omnem remorum apparatum detergebant, Graecaeque naves haud inerti conſilio undique eas cingentes percutiebant; jamque paſſim ſubvertebantur naves, nec amplius mare videre licebat, adeo naufragiis ac caedibus hominum oppletum erat. Plena quoque littora, plenae rupes e mari prominentes cadaverum erant. Itaque quotquot in barbarorum claſſe naves erant, omnes fugae intentae ſine ordine remigabant.*

τὰ πρῶτα] „Hoc ex noſtro hauſiſſe videtur Diodor. Sic. lib. IX. Οἱ δὲ Πέρσαι τὸ μὲν πρῶτον πλέοντες διετήρουν τὴν τάξιν ἔχοντες πολλὴν εὐρυχωρίαν· ὡς δ' εἰς τὸ στενὸν ἦλθον, ἠναγκάζοντο τῶν νεῶν τινας ἀπὸ τῆς τάξεως ἀποσπᾶν καὶ πολὺν ἐποίουν θόρυβον." *Stanl.*

ῥεῦμα στρατοῦ] ut ſupra v. 86. ῥεῦμα Φωτῶν.

v. 413.

v. 413. ἐμβολαῖς χαλκοστόμοις] male Abreſchius ἐμβολαῖς poſt interpretem latinum *concurſibus* vertit. Nimirum negat idoneo exemplo firmari poſſe ἐμβολὴν *roſtrum navis* denotare. Atqui ſic uſurpatur Xenoph. Hiſt. Gr. IV. 3, 6. ἐμβολὰς ἐχούσῃ τῇ τριήρει. Sic de roſtro machinae bellicae Thucyd. II. 76. firm. τὸ προέχον τῆς ἐμβολῆς. Ut adeo nihil opus ſit h. l. legere ἐμβολοις.

v. 414. ἔθρωσον] In hoc verbo incipit apodoſis, quod neglexit interpres, qui protaſin verbis ὡς δὲ — παίουτ' comprehenſam ἀναπόδοτον fecit, vertendo: ET *fregerunt omne* claſſis *remigium*.

v. 417. σκάφη νεῶν] „Hanc periphraſin mire habuit in deliciis Euripides; e pluribus locis vid. Troad. v. 539. et 681. Iphig. Taur. 1345. Med. V. I. Adde Thucyd. lib. I. cap. 50." *Abreſch.* Verum ex hoc ipſo Thucydidis loco intelligitur hanc periphraſin non otioſa quadam συνωνυμίᾳ contineri; ſed potius σκάφη νεῶν ſunt *alvei navium*; iique poëtico ornatu, pro ipſis navibus dici poſſunt. Schol. Thucyd. σκάφη καλεῖ τὰ κοιλώματα τῶν νεῶν, ἃ ἡμεῖς γαστέρας καλοῦμεν, cui quidem interpretationi, ſed fruſtra, obnititur Dukerus.

v. 418. ναυαγίων καὶ φόνου accipio ſic, ut *naufragia et caedes* poetico ſpiritu pro *fractis navium tabulis* et caeſis *hominibus* dicta ſint. Ita certe multo ornatius et concinnius eſt, quam ſi illud (a ναυάγιον) pro tabulis naufragio disjectis ſumatur, id quod Abreſchio placuit. Quamquam ναυάγιον interdum haud ſecus ac ναυαγία naufragium ſignificat.

v. 422. τοὶ δ'] an h. l. extra canticum dorica articuli forma ab Aeſchylo profecta ſit, dubitare licet. Alibi οἱ δὲ ut v. 372.

ὥστε Θύννους —] „Thynnis Perſas comparat, ut noſtri imitatione, quod jam obſervavit Potterus, Graecos Lycophron v. 381. βόλον, quod recte Schol. interpretatur

ἄγραν. Sic βόλους ὠνεῖσθαι ἰχθύων Plutarch. in lib. de cap. ex inimic. Util. p. 91. c." *Abreſch.*

v. 423. ἀγαῖσι κωπῶν, θραυσμασίν τ' ἐρειπίων] *fragmentis remorum, ac ruinarum* e discuſſis navium tabulatis *fragminibus.*

v. 426. νυκτὸς ὄμμ'] „Alias *noctis oculus* luna dicitur, ut ſupra S. c. Th. 396. νυκτὸς ὀφθαλμός; hic vero periphraſtice pro ipſa nocte. Ita Eurip. in Phoeniſſ. νυκτός τ' ἀφεγγὲς βλέφαρον. et Eurip. Iphig. Taur. V. 110. ὅταν δὲ νυκτὸς ὄμμα λυγαίας μόλῃ. —" *Stanl.*

v. 428. στοιχηγορεῖν eſt *una ſerie, perpetuo narrare; in einem weg erzählen.*

v. 429. μηδάμ' ἡμέρᾳ μιᾷ] „Vulgo legitur μηδ' ἂν ἡμέρᾳ μιᾷ pendente et nullo fere ſenſu. Perperam, ſi ad vulgata graeca latina exigantur; interpres: *numquam una die occubuiſſe.* Hoc nimirum eſt μηδάμ' ἡμέρᾳ. At μηδ' ἂν ἡ. μ. — θανεῖν eſſet: *numquam una die perituram fuiſſe.* Sed corrupta illa lectio eſt. Cod. Reg. A. in textu perſpicue μηδάμ' ἡμέρᾳ μιᾷ. Superſcripta gloſſa μηδαμῶς. Reg. B. in textu, (ubi fere ſemper deterior lectio) μηδ' ἄν. In margine adſcriptum γρ. μηδάμ' ἡμέρᾳ, quo refertur interlinearis gloſſa: γίνωσκε γὰρ εὖ, ὅτι οὐδ' ὅλως ἐτελεύτησεν ἐν τῷ κόσμῳ ὅλῳ τόσος λαὸς ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ, ὅσος ἐκεῖσε ἀπὸ τῶν βαρβάρων." Hactenus Brunckius V. C. qui docte ibidem obſervat, Graecis poëtis in uſu eſſe οὐδαμᾶ et μηδαμᾶ ultima longa, nec non οὐδαμὰ et μηδαμὰ ultima brevi: unde aliquot Sophoclis locis veram ſcripturam reſtituit. Ceterum in fine hujus narrationis obſervare liceat, eam omnibus numeris abſolutam ac perfectam eſſe. Concitata enim eſt, gravis, brevis, dilucida; efficitque, ut non narrari res, verum in conſpectu tuo agi videantur.

v. 431. κακῶν πέλαγος ἐρρῴωγεν] ſublimi metaphora, a mari quod aggeres perfregit ducta.

v. 433.

v. 433. εὖ νυν — κακῶν·] Interpres latinus: *Hoc bene scias, nondum medietatem me attigisse malorum.* Melius tamen fuerit ita verba construere: εὖ νῦν ἴσθι τόδε μὴ μεσοῦν κακῶν, *jam certo scito haec*, quae tibi narravi, *nondum dimidiam partem esse malorum;* quemadmodum in Prometh. v. 746.

οὐς γὰρ νῦν ἀκήκοας λόγους
Εἶναι δόκει σοι μηδέπω 'ν προοιμίοις.

Fortasse etiam scribendum:

εὖ νυν τόδ' ἴσθι.

*Certo igitur scias;* nempe, quandoquidem tibi illa jam nimis magna videntur, *illa quae narravi, nondum dimidiam partem conficere.*

v. 434 sq. τοιάδ' ἐπ' αὐτοὺς — ῥοπῇ] *Talis enim calamitas eos oppressit, quae illam pondere suo vel bis superet.*

v. 439 sqq. Περσῶν — μόρῳ] Vide quam diligenter omnia colligat, quae luctum exaugere possint. Laudat enim caesos a corporis vigore, ab animi virtute, a nobilitate, a fide in regem; jamque eos non paucos, sed omnes, non simpliciter occubuisse, sed miserabiliter aerumnosissima morte periisse ait.

v. 445. πρόσθε Σαλαμῖνος τόπων] periphrastice. *Insula est quaedam haud procul a Salamine sita.*

v. 446. βαιὰ] „Herodotus νησίδα vocat lib. VIII. 76. ἐς τὴν νησίδα τὴν Ψυττάλειαν μεταξὺ Σαλαμῖνός τε κειμένην καὶ τῆς ἠπείρου. Et lib. eod. c. 93." *Stanl.* δύσορμος ναυσὶν *navibus importuna.*

ἣν ὁ Φιλόχορος Πὰν] „ἐρήμοις γὰρ τόποις οὗτος ὁ Θεὸς ἐνδιατρίβειν εἰώθει, inquit Scholiastes. Ita sane describitur Straboni lib. IX. καὶ ἡ Ψυττάλεια νησίον ἔρημον καὶ πετρῶδες. Et ejusmodi locis gaudere dicitur Deus ille. Homerus hymn. in eum v. 6.

— ὃς πάντα λόφον νιφόεντα λέλογχε
καὶ κορυφὰς ὀρέων, καὶ πετρήεντα κάρηνα.

Unde ὑλοβάτας et Φιλόδενδρος Theaeteto appellatus; quare vero et Φιλόχορος facile conſtat ex epigrammate Platoni adſcripto:

> Αὐτὸς ἐπεὶ σύριγγι μελῴσδεται εὐκελάδῳ Πὰν
> Ὑγρὸν ἰεὶς ζευκτῶν χεῖλος ὑπὲρ καλάμων.
> Αἱ δὲ πέριξ ὀκλερῳῖσι χορὸν ποσὶν ἐστήσαντο
> Ὑδριάδες νύμφαι, νύμφαι Ἀμαδρυάδες —" *Stanl.*

v. 447. ἐμβατεύει] Heſych. Ἐμβατεῦσαι, τὸ κατέχειν καὶ καρποῦσθαι χωρίον ἢ οἰκίαν, ἢ ὅλον τὸν κλῆρον. „Nempe ἐμβατεύει h. l. eſt *frequentat*, inhabitat." *Abreſch.*

v. 448 — 451. ἐνταῦθα — πόρων] „Interpretem latinum, vertendo τὸ φθαρέντες νεῶν *navibus privati*, non percepiſſe loci ſenſum palam eſt; qui, ſi ſuo ſtructurae ordine ponentur verba, ſponte ſe ſiſtet; is vero hic eſt: ὅπως κτείνοιεν εὐχείρωτον στρατὸν Ἑλλήνων, ὅταν οἱ ἐχθροὶ φθαρέντες ἐκσώζοιντο τῶν νεῶν εἰς τὴν νῆσον, φίλους δ' ὑπεκσώζοιεν ε. π. Itaque convertendum fuerat: *Iſtuc eos mittit, ut ſin e navibus evaſiſſent in inſulam hoſtes palati*, illum ibi *oppreſſu atque ſuperatu facilem Graecorum exercitum trucidarent, ſimulque ſuos e marinis fluctibus* in hanc inſulam receptos *ſervarent. Palatos* reddidi Φθαρέντας, ut oportebat. Proprie, quod notum, Φθείρεσθαι eſt *perdi, perire*, hinc venuſte *vagari, palari*, quia tales nimirum εὐχείρωτοι ſunt, facile capi perdique poſſunt. Heſych. Φθείρεται, πλανᾶται. Dio Chryſoſt. Serm. VII. p. 117. μετὰ ταῦτα ὁ Μενέλεος χρόνον πολὺν ἐφθείρετο πανταχόσε τῆς Ἑλλάδος. Ariſtid. Tom. I. p. 208. μόνη ἐδέξατο τοὺς Ἴωνας Φθειρομένους κατὰ πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα. Neo aliter accipi fas eſt apud Soph. Oed. Tyr. v. 1515. χέρσους Φθαρῆναι καὶ γάμους ὑμᾶς χρεών. Ipſe quippe illico ſe explicat v. 1520. per τὸ, μή σφε παρίδῃς πτωχὰς ἀνάνδρους ἐγγενεῖς ἁλωμένας. —" *Abreſch.*

v. 450. εὐχείρωτον] utpote in manus eorum delapſum. Herodot. lib. VIII. 76." *Stanl.*

v. 452.

v. 452. κακῶς τὸ μέλλον ἱστορῶν] *male futuri praescius.* „Schol. monet ἱστορῶν positum ἀντὶ τοῦ νοῶν et προβλέπων. cf. Eumenid. v. 457. ubi πατέρα ἱστορεῖς καλῶς, *patrem optime nosti.*" *Abresch.*

v. 452 sq. ὡς γὰρ — μάχης] *Cum enim Deus navalis pugnae gloriam Graecis concessisset.* κῦδος de *victoria*, ut saepissime apud Homerum.

v. 454 sqq. αὐθημερὸν — τράποιντο] *illo ipso die aereis armis corpora munientes navibus* in insulam Psyttaleam *exsilierunt* Graeci; *totamque insulam circumdederunt, ut quo se verterent* Persae *non haberent.* „Hoc ab Aristide Lysimachi filio Atheniensi factum refert Herod. lib. VIII. 96. Qui παραλαβὼν πολλοὺς τῶν ὁπλιτέων, οἳ πολλοὶ παρατετάχατο παρὰ τὴν ἄκρην τῆς Σαλαμινίης χώρης, γένος ἐόντες Ἀθηναῖοι, ἐς τὴν Ψυττάλειαν νῆσον ἀπέβη ἄγων· οἱ τοὺς Πέρσας τοὺς ἐν τῇ νησίδι ταύτῃ κατεφόνευσαν πάντας." *Stanl.*

v. 458. χράσσοντο] Veram lectionem pro vitiosa χράσσαντο, quae omnes adhuc editiones obsederat, primus e Regg. codd. restituit Brunckius. Sensus horum verborum: *multum enim* Persae *partim lapidibus manu missis percutiebantur; partim sagittae ab arcuum nervis iis inflictae eos perdebant.*

v. 460 sqq. τέλος — βίον] *Postremo uno omnes impetu aggressi, caedunt, concidunt miserorum membra, donec omnium vitam prorsus perdidissent.*

v. 463. κακῶν βάθος, *abyssum malorum*, metaphora cum alias idonea, tum huic potissimum loco apta, quod Xerxes ex alto praelium spectabat.

v. 464. ἕδραν γὰρ εἶχε] „Pugnam hanc spectavit Xerxes de Aegialeo monte e regione Salaminis. Herodot. lib. VIII. 90. Ubi in argentea sella curuli sedens praelium spectavit, quae postea in templo Minervae dedicata est, et αἰχμάλωτος dicta. Harpocration: Ἀργυρόπους δίφρος, ὁ Ξέρξου, ὃς αἰχμάλωτος ἐπεκαλεῖτο, ἐφ' οὗ καθεζόμενος ἐθεώρει τὴν ναυμαχίαν. Ἀνέκειτο δὲ εἰς τὸν παρθενῶνα τῆς

Ἀθηνᾶς. Pariter una conſecratus eſt et Mardonii acinaces; cum enim apud Thucydidem inter omnes rerum copias, quibus Athenienſes initio belli Peloponneſiaci abundabant σκῦλα Μηδικὰ enumerantur, non aliter locum exponit Scholiaſtes, quam per haec duo donaria, τὸν ἀργυρόποδα θρόνον, καὶ τὴν ἀκινάκην τὸν χρυσοῦν. De quibus Ulpianus ad Olynth. III. ὁ γὰρ Ξέρξου δίφρος καὶ ὁ ἀκινάκης Μαρδωνίου, ὁ μὲν ἐκ Σαλαμῖνος, ὁ δὲ ἐκ Πλαταιέων ἀνετέθησαν. Etiam Demoſthenes orat. in Timocr. utrumque conjunxit, ταμιεύσας ἐν ἀκροπόλει τὰ ἀριστεῖα τῆς πόλεως, ἃ ἔλαβεν ἀπὸ τῶν βαρβάρων ὑφηρημένος ἐξ ἀκροπόλεως, τόν τε διφρον τὸν ἀργυρόποδα, καὶ τὸν ἀκινάκην τοῦ Μαρδονίου ὃς ἦγε τριακόσια Δαρεικούς. —" *Stanl.*

εὐαγῆ] h. e. *locum, unde longe lateque exercitum omnem proſpicere poterat.* De hoc adjectivo, quod h. l. et alibi a librariis perperam in εὐαγῆ mutatum eſt, docta eſt disputatio Tib. Hemſterhuſii, quam hic ſubjicimus. „In Eurip. Suppl. 652. legitur πύργον εὐαγῆ λαβών, et in Aeſchyli Perſ. 464. ἔδραν γὰρ εἶχε παντὸς εὐαγῆ στρατοῦ. Arnaldus lect. gr. p. 58. vertit εὐαγῆ, *a quo longe lateque proſpici poteſt;* quae quidem interpretatio ſententiae horum locorum apte convenit; ſed ipſi voci convenire fuerat oſtendendum. Εὐαγὴς ſi ducatur ab ἄγος, quid ſit notum eſt, quemadmodum ἀναγὴς, δυσαγὴς· ſi ab ἄγω, *duco*, erit *agilis*, *flexibilis*, qua poteſtate capitur in Hippocr. περὶ διαίτ. II. p 363. 34. neque aliter Henr. Stephan. intellexit Anthol. I. c. 60. ep. 6. χείροιτ' εὐαγέες (μέλισσαι) in Th. Gr. L. T. I. p. 126. C. *agiles apes*, *quod per aërem ferantur cito et facile;* vel *mobilis*, *volubilis*, ut in Aretaeo p. 19. v. 33. ὀφθαλμοὶ εὐαγέες, λαμπροὶ, exponi poſſunt; licet *puros* dederit Craſſus, Wiganus *lucentes*, quod vix perſpicias unde pendeat, niſi legiſſe vel legi voluiſſe ſtatuas εὐαγέες· junguntur tamen itidem ab Adamantio Phyſiogn. I. c. 9. ὀφθαλμοὶ μεγάλοι τε καὶ λαμπροὶ καὶ εὐαγεῖς, cujus vice admodum vitioſe εὐλαβεῖς Polemo praefert. Por-

Porro ſi ab ἀγω, ἄγνυμι, *frango*, ſignificabit *fragilem, quique facile comminui poſſit*; quo pertinet Suidae locus ita ſcribendus: εὐαγές, εὐκόλως κέκλασμένον, et στάχυς εὐαγὴς idem qui εὔκλαστος, εὔθραυστος, apud Etym. in v. Δημήτηρ. In his, ſicuti linguae norma poſtulat, penultima corripitur; aliis in locis eadem vox ſyllabam iſtam habet productam. Leonid. Anth. VI. 27. ep. 6. Καὶ πέλεκυν ἐυκάναν τ' εὐάγεα καὶ περιαγὲς Τρύπανον —. Parmenides apud Clem. Alex. Strom. V. p. 731. καθαρᾶς εὐαγέος ἠελίοιο Λαμπάδος ἔργ' ἀΐδηλα —. Nimirum forma Dorica naſcuntur ex εὐηγὴς et περιηγὴς· quorum illud rariſſimum, alterum frequentatur pro *circumacto*, *circumjecto*, *rotundo*; ſaepe tamen quam proprie vim habeat obſcurum eſt; qua de re nunc nihil amplius dicam. Singulare eſt, quod ex Lex. Vet. MS. Bibl. Sangerm. mecum communicavit praeſtantiſſimus noſter Ruhnkenius: Ἀγής· τοῦτο ἀπὸ συνθέσεως καταλείπεται τοῦ εὐαγὴς ἢ παναγής. Ἐμπεδοκλῆς· Ἄθρει μὲν γὰρ ἄνακτος ἐναντίον ἀγέα κύκλον. Pro παναγὴς, quod longe diverſum eſt, melius ſcripſiſſet περιαγὴς, ut in illo verſu proverbiali, quem ſuggerit Philopon. περὶ Κοσμόπ. p. 179. Μηδ' ὅσον ὀφθαλμοῦ περιηγέα κύκλον ἑλίξαι. Vid. Suid. in Εὐαγής. Nunc inveſtiga, quantum libet, harum, quas notavi in εὐαγὴς, ſignificationum, quaenam vel Aeſchyli verbis vel Euripidis accommodari poſſit; nullam, ni fallor, invenies: at ſi ſcripſeris inſerta littera εὐαυγῆ, omnis difficultas fuerit ſublata; nam εὐαυγὴς, *locus illuſtris*, vel *qui undique conſpici poteſt*, vel *unde proſpectus in vicina late patet*. Ratio ſtructurae in ἕδρα παντὸς εὐαυγὴς στρατοῦ itidem expedita, quae fruſtra quaeritur in εὐαγής. Enimvero jam dudum vereor, ne εὐαυγὴς per culpam librariorum pluribus locis abierit in εὐαγής· in Jamblichi certe Protr. p. 152. v. 23. vice vulgati λαμπροτάτη τις εὐαγία, Cod. Reineſ. quem ipſe cum edito contuli, praefert εὐαυγία, quod utique longe melius congruit cum λαμπροτάτη et τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα, quam εὐαγία. Perinde ſe res habet in Platone de LL. XII. p. 989. C. ἃ μαθοῦσι μὲν εὐαγέστερα

γίγνεσθαι, μὴ μαθοῦσι δὲ σκοτωδέστερα — καὶ ἀσαφῆ. Timaei p. 105. E. ἀέρος τὸ μὲν εὐαγέστατον ἐπίκλην αἰθὴρ καλούμενος· ὁ δὲ θολερώτατος ὁμίχλη τε καὶ σκότος. Unde sumtum Jamblichi de Myst. p. 80. v. 21. τὸ εὐαγέστατον καὶ ἄκρον τοῦ ἀέρος. Si tum juncta propinquae, tum apposita contrariae potestatis attente spectes, quid prius in mentem veniat, quam opportunissimum εὐαγής? Accedat Aristoteles, vel quicumque nomen ejus mentitus auctor, de Mundo p. 14. v. 12. κόσμος — λαμπρότητι δὲ εὐαγέστατος. Vertit Apulejus: *splendore perlucidus.* Quin clarius etiam causam nostram sussulcit diversa, quam Stobaeus suppeditat, Ecl. Phys. p. 78. v. 9. lectio, λαμπρότητα δὲ τηλαυγέστατος. In Parmenide quoque εὐαυγέος ἠελίοιο non sprevero. Pythagoreis autem in primis αὐγὴ et voces inde natae placuerunt; unico Theagis exemplo defungar apud Stob. p. 11. v. 46. ὁ νοὸς — ἔχων περιαυγέα καὶ διαυγέα τὰν ἔποψιν. Jam neminem arbitror fore, qui contendat pro εὐαυγὴς Graecos vitandae κακοφωνίας ergo solemni more pronunciasse εὐαγής." *Hemsterhuis* in Musgravii Exercitt. ad Eurip. p. 84 sqq.

v. 465. ὑψηλὸν ὄχθον] Haec explicationis causa vocabulo ἕδραν apponuntur; adeoque ἕδραν non *sellam* ipsam Xerxis, ut Stanlejus existimat, sed generatim *sedem* notat.

v. 467. παραγγείλας scil. τὴν φυγὴν, quod e sequentibus anticipandum est.

ἄφαρ] „Hesychius ἄφαρ, ταχέως." *Stanl.*

v. 468 sq. τοιάνδε σοὶ — στένειν] cf. v. 434.

v. 470. ὡς ἄρ' ἔψευσας Φρενῶν Πέρσας] Haec nimirum est illa δολόμητις ἀπάτα, quam v. 91. timebat Chorus.

v. 471 sq. πικρὰν δὲ παῖς ἐμὸς τιμωρίαν κλ. Ἀθηνῶν εὗρε] Stanlejus τιμωρίαν, *ultionem*, passive accipere videtur, quasi Atossa dicat, Xerxem Athenarum causa in gravissimam poenam incurrisse, quippe quas incenderit, et civium quoque supplicum stragem fecerit. Herodot. VIII. 53. Nobis vero aptius videtur, πικρὰν τιμωρίαν εὗρε de acer-

acerbo exitu ultionis, quam Xerxes de Athenis ob cladem Marathoniam ſumere decreverat, accipi. Nam paulo poſt Atoſſa haec ſubjungit ὧν ἀντίποινα παῖς ἐμὸς πράξειν δοκῶν — τ. π. π. ἐπέσπασε; quorum ſcil apud Marathonem caeſorum *cladem cum filius meus ſe vindicaturum ſperaret, tantam calamitatum molem ſibi attraxit.*

v. 477. *ποῦ τάχ' ὅδε γ' ἔλιπες*] Si ἔλιπες verum eſt, quod etiam codd. Regg. praeſtant, particula γε a Brunckio inſerta nec ad metrum abeſſe poteſt, et ſenſum inſuper ornat. *Ubi hasce* ſaltem *reliquiſti?*

v. 478. *ναῶν γε ταγοὶ*] Edd. omnes praeter Robortellianam dederant ναῶν δὲ; ſed huic particulae initio reſponſionis ad quaeſtionem Atoſſae verſu antec. propoſitam vix locus eſt. Itaque praeferendum fuit e Rob. ναῶν γε ταγοὶ, *quod quidem ad navium ductores attinet.*

λελειμμένων i. q. v. 476. αἱ πεφεύγασιν μόρον.

v. 479. κατ' οὖρον, vel, ut latinus interpres, *quo ventus eos impellebat*, vel ſimpliciter, *vento ſecundo uſi.*

v. 480. *στρατὸς δ' ὁ λοιπὸς*] nempe terreſtris. Sed h. l. primum mirandum eſt, nuntium nihil de exercitu, qui ſub Mardonii auſpiciis in Graecia relictus eſſet, dicere; quamquam aliquo modo hic ſcrupulus elevatur, ſi cum Abreſchio ὁ λοιπὸς interpretemur, *maxima pars, plerique reliqui.* Deinde in verbis ἐν τε Βοιωτῶν χθονὶ prorſus odioſa eſt particula TE, quandoquidem nec in antecedentibus habet ad quod referatur, nec vero in antecedentibus habet ad quod referatur, nec vero in conſequentibus, id quod ab Aeſchyli conſuetudine plane abhorret. Neque vero proxima ſatis inter ſe cohaerent. Pauwius quidem ſic expedire hanc difficultatem tentat, ut colo poſt λοιπὸς poſito, hoc modo interpretetur: *Reliquum vero exercitum quod attinet, et in Boeotorum terra perit, hi* etc. Verum hac ratione nihil promoveri bene intellexit Heathius. Itaque niſi forte, quod idem quoque ſuſpicabatur, quaedam hic exciderint, hac via, niſi fallor, optime nos extricabimus, ut legamus:

στρα-

στρατὸς δ' ὁ λοιπός, ἔν τε Βοιωτῶν χθονὶ
διώλυθ', οἱ μὲν ἀμφὶ κρηναῖον γάνος
δίψει πονοῦντες, οἱ δ' ὑπ' ἄσθματος κενοί·
Οἵ τ' ἐκπερῶμεν ἔς τε Φοκέων χθόνα
καὶ Δωρίδ' αἶαν etc.

*Reliquus vero exercitus, partim in Boeotiorum terra periit, alii quidem circa fontanum laticem siti laborantes, alii ex anhelatione tabescentes: partim transimus in Phocidem ac Doridem* etc. Ita τε particula inter ἐν et Βοιοτῶν respondebit alteri τε inter artic. praepositivum οἱ et ἐκπερωμεν; et illi quidem in Boeotia mortui recte opponentur his, qui perrexerunt in Phocidem; denique qui in Boeotia mortui sunt, eorum alii siti, alii asthmate, quod ex cursu sibi contraxerant, consumti esse dicentur. Hoc pacto nulla pars vel constructionis, vel sententiae manca erit. κρηναῖον γάνος hic ut Lycophr. 247. *fontem, fontanum laticem.* Scholiastes quidem Κρηναῖον proprium nomen existimavit q. d. *Crenaeum fontem*, quod de Dirces fonte accipiendum esset, qui forte olim κατ' ἐξοχὴν κρήνη appellatus est, unde Κρηναῖαι πύλαι inter portas Thebarum recensentur. Verum omnino praestat κρηναῖον γάνος de quocunque fonte intelligere. Nimirum miseri milites siti paene enecti circum fontes oberrant, aliique, antequam accedere possent, ibidem exspirant, alii dum avidius frigidam hauriunt, praesertim ex itinere aestuantes, repentina viscerum refrigeratione moriuntur. ὑπ' ἄσθματος κενοὶ sunt milites *anhelatione ex cursu contracta consumti*, s. *exhausti.* Abreschius, qui verba οἱ δ' ὑπ' ἄσθματος κενοὶ cum sequentibus διεκπερῶμεν etc. jungit, tmesin in iis quaerit, et pro ἄσθματος ὑπόκενοι dicta esse opinatur, eodem sensu, quem Schol. amplectitur μικρὸν ἀσθμαίνοντες, i. e. *aegre ac vix spiritum trahentes.*

v. 486. γῆς Ἀχαιΐδος πέδον] Intelligitur Achaja Phthiotis, quod affecutus est Francogallus interpres. cf. Strab. lib. I. p. 45. B. ed. Casaub. id. lib. IX. p. 433. D.

v. 487.

v. 487 ſq. *ὑπεσπανισμένους βοσᾶς*] „Vacat in hoc verbo paucisque aliis praepoſitio *ὑπὸ*, non imminuit, quod monemus, ne quis eam connectendam exiſtimet cum *ἐδέξαντο*. Noſter iterum in Choëph. v. 375. *Ἐριννὺς φόνου οὐχ' ὑπεσπανισμένη*, et Soph. Ajac. v. 755. *τί δ' ἐστὶ χρείας τῆσδ' ὑπεσπανισμένον.*" *Abreſch.*

v. 489. *λιμῷ*] Foedam famem, qua in Theſſalia affligebatur Perſarum exercitus, luculenter deſcribit Herodotus. Idem morborum peſtilentiam, inprimis dyſenteriam, acceſſiſſe narrat.

v. 492. *Βόλβης ἕλειον δόνακα*, *Bolbes paluſtrem arundinum*, periphraſi poëtica *Bolbes lacum*. De hoc lacu ſ. palude cf. Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Del. v. 134. Thucydide teſte lib. IV. 103. ad oppidum Bromiſcum in mare ingreditur.

v. 494. *χειμῶν' ἄωρον*] *hiemem intempeſtivam*, *frigus ab hac anni tempeſtate non exſpectandum*. „Contigit enim haec pugna appropinquante tantum hieme, circa XX. diem Boëdromionis, tertii menſis aeſtivi, ut teſtatur Plutarchus in Camillo. Quod et ex Herodoto colligere eſt, apud quem lib. VIII. c. 109. Themiſtocles Athenienſes ſuos ab inſequendo fugientem hoſtem dehortatur his verbis: *νῦν μὲν ἐν τῇ Ἑλλάδι καταμείναντες, ἡμέων τε αὐτέων ἐπιμεληθῶμεν καὶ τῶν οἰκετέων. Καί τις οἰκίην τε ἀναπλασσάσθω, καὶ σπόρου ἀνακῶς ἐχέτω, παντελῶς ἀπελάσας τὸν βάρβαρον, ἅμα δὲ τῷ ἔαρι καταπλέωμεν ἐπὶ Ἑλλησπόντου καὶ Ἰωνίης.*" *Stanl.*

v. 494 ſq. *πήγνυσιν — ἀγνοῦ Στρυμόνος.*] Latinus interpres: *congelavitque omne fluentum limpidi Strymonis*. Rectius *caſti*. Hoc enim fluviis tribuitur epitheton, propter nymphas, quae eos incolere feruntur; omninoque ſanctitatem iis tributam.

v. 495 ſqq. *θεοὺς δέ τις — τότ' ἠὔχετο λιταῖσι*] „Τὶς hic ut alibi pro ὅστις· tum *θεοὺς νομίζειν*, ut ſaepe, eſt *deos agnoſcere*. — Porro *ἠὔχετο λιταῖσι* dixit pro *λιτάς*-

verbis

verbis enim accuſativi cognati apponi ſolent, et ſi Euſtath. ad Il. A'. p. 45. med. aliisque credimus grammaticis, Atticum eſt. Neque tamen inuſitatus prorſus dativus, inprimis apud ſcriptores ſacros, quod nonnulli in hebraiſmis cenſent. —" *Abreſch.* Verum h. l. concinnius eſſe videtur, ηὔχετο, ut abſolute poſitum, commate ſejungere, λιταῖσί autem cum προσκυνῶν connectere; *Tum vero, quisquis etiam antea deos non agnoverat, orabat, precibus coelum et terram ſupplex venerans.*

v. 497. γαῖαν οὐρανόν τε] „Coelum et Terram divinorum numinum in loco et numero habuerunt Perſae; Coelum, ut Herodoto placet, ſub nomine Διός. lib. I. 131. Οἱ δὲ νομίζουσι Διὶ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν οὐρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἕρδειν, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες. Strabo lib. XV. Τὸν οὐνανὸν ἡγούμενοι Δία. Terram etiam Perſarum Diis annumerant Herodotus, Strabo l. c. et Diogenes Laërtius in Prooemio, cui et hoſtias mactatas dicit Xenophon, Cyrop. lib. 8." *Stanl.*

v. 500. πρὶν σκεδασθῆναι] *priusquam ſpargerentur.* Male Schol. propriam τοῦ σκεδασθῆναι ſignificationem eſſe contendit ἀφανισθῆναι. Imo prima τοῦ σκεδάζειν eſt *ſpargendi* notio, altera *diſſipandi*, unde poſtremo loco interdum pro ἀφανίζειν ponitur.

θεοῦ ἀκτῖνας] Deum abſolute pro ſole apud Graecos poëtas uſurpari notiſſimum eſt. Ita Euripides in Medea v. 354:

εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ.

et in Oreſte 1025.:

φέγγος εἰσορᾶν θεοῦ
Τόδ' οὐκέθ' ἡμῖν τοῖς ταλαιπώροις μέτα.

Maxime vero Perſis convenit haec loquendi formula; quos Solem pro ſummo deo habuiſſe Herodot. lib. I. Strabo lib. XV. Juſtin. lib. I. Macrob. lib. I. c. 6. et alii complures tradiderunt." *Stanl.*

v. 504 ſq. εὐτυχὴς — βίου.] *Tumque fortunatus erat, cuicui quam celerrime contigiſſet ſpiritum vitae abrumpere!*

cuique

cuique nimirum non diutius cum morte conflictandum erat.

v. 506 ſqq. ὅσοι δὲ — γαῖαν] Sub finem narrationis iterum multa flebilia paucis verbis complectitur; *quotquot autem ſuperſuerunt, qui pauci ſunt, incolumesque evaſerunt, hi vix multo labore Thracia peragrata fugientes ad patrios lares veniunt.*

v. 512. ἐγκατέσκηψεν] tranſitive, *inflixit*, ut v. 737. ἐπέσκηψεν.

v. 518 ſq. Φαύλως — ἐκρίνατε] Dubitari non poteſt, quin his verbis exprobret Atoſſa ſenibus falſam et nimis benignam ſomnii interpretationem. Reſpicit enim id quod v. 223. Chorus edixerat; ut mirum ſit ad alia hic abiiſſe Stanlejum.

v. 519. ὅμως — Φάτις] Stanlejus: *ſed quoniam ſententia ita firmavit*, ſ. *quoniam vos ita ſtatuiſtis*; rectius: *Verumtamen, quoniam hac ſaltim parte recto talo ſtat ſententia veſtra, weil ihr darin wenigſtens Recht habt.*

v. 521. 522. δωρήματα et πέλανον per appoſitionem. *Deinde redibo, ſumta ex aedibus libatione, quo terram et inferos donabo.*

v. 523. ὡς ἐπ' ἐξειργασμένοις] *non ignoro quidem, me ſuper rebus transactis*, quae infectae fieri nequeunt, *hoc facturam.* „Sic Soph. Ajac. 378. τί δ' ἂν ἀλγοίης ἐπ' ἐξειργασμένοις; Herodot. lib. VIII. c. 94. ἐπ' ἐξειργασμένοις ἐλθεῖν. Plene Aeſchyl. in Choëph. v. 737. ἐπ' ἔργοις διαπεπραγμένοις" *Abreſch.*

v. 525. 526. ὑμᾶς — πιστοῖσι πιστὰ συμφέρειν βουλεύματα] Cl. Bruncknius ita intelligit: τοῖς πρόσθεν πιστοῖς βουλεύμασι καινὰ συμφέρειν πιστὰ βουλεύματα. Ego vero poſt πιστοῖς vel ἡμῖν, vel κοιρανοῖς ſupplendum cenſebam, unde hic ſenſus oritur: Vos vero ſuper his rebus geſtis *fidafidis*, ſcil. nobis, vel dominis, *conſilium conferre decet*, ſicut v. 169. σύμβουλοι λόγου τοῦδ' ἐμοὶ γίνεσθε, γηραλέα πιστώματα. Cf. v. 678.

v. 529.

v. 529. κακὸν.] ne ſcilicet ſibi ipſe Xerxes vitae pertaeſus violentas manus inferat.

## IN SCENAM IV.

*v.* 530—596.

Sequitur flebile Chori canticum, moeroris ſententiarumque pleniſſimum.

v. 530 ſqq. *At o rex Iupiter, nunc Perſarum ſuperbientium et numeroſorum copiis perditis, Suſa et Ecbatana urbes caliginoſo luctu obnupſiſti.* cf. Choëph. v. 49.

v. 535 ſqq. πολλαὶ — μετέχουσαι] *multae vero Perſides, teneris manibus calyptras ſcindentes, ſinus rorantibus lacrimis rigant, doloris participes.* μυδαλέοις δάκρυσι διατέγγουσι, *humidis*, h. e. copioſe fluentibus.

v. 539. ἀβρογόοι *luctui molliter indulgentes.* Sed quia ſtatim occurrit aliud compoſitum ex ἁβρὸς, v. 541. ἁβροχίτωνας, ſuſpicor Aeſchylum ſcripſiſſe ἀκρογόοι, *in ſummo luctu verſantes*, ſicut ſupra de iisdem v. 133.

Περσίδες δ' ἀκροπενθεῖς.

Idem Pauwio placuit, renitente tamen Heathio. Neque vero ipſe hanc mutandi cauſam probo, quam ille attulit, ἁβρογόοι convenientem ſenſum non praebere; cum negari non poſſit, virginum et mulierum recens nuptarum luctui molle aliquid, tenerum ac delicatum, recte tribui. ἀρτιζυγία eſt *recens copula*, *qua nuper demum*, *haud ante multos annos*, *viris junctae fuerunt.* In ſequentibus parum intereſt, utrum λέκτρων τ' εὐνὰς ἁβροχίτωνας cum antecedentibus et verbo ἰδεῖν, an cum ſequentibus et participio ἀφεῖσαι jungas. Bothius nuper e conjectura ſic reſcripſit

Πολιαὶ δ' ἀταλαῖς χερσὶ καλύπτραι

et v. 539. Αἱ δ' ἁβρόγυιοι Περσίδες, ut ſcil. vetulae Perſides junioribus opponantur. Ad ſenſum apte. Attamen hoc eſt incommodum, quod πολιαὶ ſine articulo ponitur. — Quodſi

Quod ſi verum eſt, ante verſum 535. fortaſſe unus verſiculus intercidit.

v. 541. λέκτρων εὐνὰς ἁβροχίτωνας pro εὐνὰς λέκτρων ἁβροχιτώνων, *conſuetudinem cum viris in lectis molliter ſtratis.*

v. 542. ἀφεῖσαι, *tenerae juventutis uſura privatae.*

v. 543. πενθοῦσι γόοις ἀκορεστοτάτοις, *lugent inſatiabili gemitu.* Vide autem, quam multis modis eandem lugendi notionem elocutus ſit.

v. 544 ſq. καγὼ — — πολυπενθῆ] Intp. lat. Scholiaſtem ſecutus reddidit: *et ego ob fatum pereuntium ſuſcipio explorato luctuoſum threnum;* ita ut poſt δὲ praepoſitio διὰ et in fine ſententiae θρῆνον omiſſum eſſe dicatur; quae quidem ellipſes nos minime delectant. Rectius igitur: *Et nos quoque eorum, qui perierunt, fatum prorſus luctuoſum ſuſcipimus.* δοκίμως, *vere, prorſus.*

v. 546 ſq. νῦν γὰρ — ἐκκενουμένα] *Nunc enim univerſa Aſia gemit,* ſcil. viris *exhauſta;* ut ſupra κένανδρον ἄστυ v. 116.

v. 548. 549. Poſt ἤγαγεν et ἀπώλεσεν intelligendum λαόν. Magna autem vis eſt in hac appoſitione ἤγαγεν et ἀπώλεσεν, duplicique doloris gemitu adjuncto; quae in antiſtrophe v. 559 ſqq. decora cum gravitate paululum etiam immutata recurrunt.

v. 550. πάντ' ἐπέσπε, vel ſic accipias, ut in πάντα reticeatur λαόν, vel ut pluraliter dictum ſit πάντα, de rebus et fortunis Perſarum. Poſterius vero nobis h. l. potius eſſe videtur.

v. 552 ſqq. τί ποτε — ἄκτωρ;] Intp. lat. vulgarem lectionem οὕτω τότ' ſic expoſuit: *Cui bono Darius adeo innocuus praefuit dux civibus, Suſidis carus princeps?* Nos vero, Brunckio auctore, recepimus οὔπω, quod Heathii conjecturae debetur. *Cur tandem Darius innocuus non potius illo tempore civibus praefuit,* quando ſcil. haec expedi-

tio ſuſcepta fuit, *exercitus imperator Suſidisque carus dux?* cf. v. 651 ſqq.

v. 554. τοξάρχης] „ſic uterque cod. Reg. forma magis poëtica. Sic παντάρχης, μυριοντάρχης, πολεμάρχης, quod in S. c. Th. 830. e cod. adſumi debuit. Soph. Oed. Col. 1085. ἰὼ θεῶν παντάρχα Ζεῦ. Vulgo minus bene πάνταρχε. Δισσάρχας ὀλέσσας βασιλῆς Ajac. 390. a διασάρχης." *Brunck.*

v. 555. ἄκτωρ] „Gloſſae: βασιλεὺς, στρατηγὸς, ἡγεμὼν, ὠπὸ τοῦ ἄγω." *Brunck.*

v. 556 ſq. πεζούς τε — κυανώπιδες] Vulgo legitur prorſus ἀμέτρως:

Πεζούς τε γὰρ καὶ θαλασσίους
αἰὸ' ὁμόπτεροι κυανώπιδες.

Heathio placuit Strophes verſus interpolare, ubi omnia rite procedunt, exemta inutili voce δὴ. Hic autem pronomen αἰὸ' reſpuit, aut ſaltem abeſſe patitur graeci ſermonis indoles. Librario metrorum rudi perinde erat, ſcriberetur θαλασσίους Θ', an καὶ θαλασσίους. Optima nunc evadit ſententia, legitimis conſtricta verſibus. Sunt autem dimetri jambici." *Brunck.* ὁμόπτεροι, ſi verum eſt, h. l. ſignificat *ſimul evolantes;* verum ad imaginis concinnitatem aptius eſſet αἰ λινόπτεροι, quod alibi de navibus uſurpatur; *naves velivolae* et *caeruleis proris* inſtructae.

v. 561 ſqq. διὰ — κελεύθους] *Enimvero ſic quidem ipſum regem vix elapſum eſſe e Graecorum manibus audimus Thraciae per campeſtres et frigidas regiones revertentem.* Heathius alia interpunctione utitur. Commate enim poſt ἐμβολαῖς et puncto poſt χέρας poſito v. 563. particula δὲ ante ἐκφυγεῖν ſervata ſic interpr.: *Naves perdiderunt* (ipſos) *latae, naves internecinis aſſultibus, ſed per Athenienſium manus. Vix autem effugiſſe ipſum regem* cet. „Quanta autem per diſcrimina Sardes pervenerint copiae, quas ſecum reduxit Xerxes, narrat Herodotus lib. VIII. 115. quip-

quippe coactae fructibus, herba, nec non corticibus et frondibus veſci; magnamque partem peſtilentia ac dyſenteria inter viam exſtinctae. Quin et rex ipſe naufragium non evitaſſet, niſi Perſae deſilientes in mare navem levaſſent." *Stanl.*

v. 566 ſqq. τοὶ δ' — ἀλ] *Illi autem prius fato functi, ah! neceſſitate correpti, heu! circum Cychrea littora.* — Hic intercidit verſiculus, cujus haec fere fuit ſententia: *miſerabiliter perierunt.* ὀκνιάζεσθαι h. l. *ſe ipſum affligere.*

v. 570 ſq. βαρὺ — οὐράνια ἄχη] *graviter vociferare, clamoribus lugubribus ad coelum ſublatis.* οὐράνια ἄχη, de lamentatione clamoſa, cujus ſonus ad coelum penetrare videtur; quemadmodum Virgil. Aen. II. 222. de Laocoonte:

*Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit.*

v. 572. τεῖνε — αὐδάν.] *Intende vero lamentabilem clamoſam miſerabilem vocem.* Totum carmen elegiae flebilis indolem imitatur, adeoque dolori ac triſtitiae ſic immoratur, ut in eodem ſenſu multis modis exprimendo verſetur.

v. 574. γναπτόμενοι ad eosdem pertinet, quos antea v. 566. πρωτομόρους appellaverat. *Vexati autem infeſto* atroci *mari*, *ſpoliantur*, lacerantur *a muta caſti* ſ. *impolluti* ſcil. maris *progenie.* Piſcium circumſcriptio carminis ſublimitatem non dedecet.

v. 577 ſqq. πενθεῖ — ἄλγος] Suum *vero* quaeque *domus viduata virum luget; parentesque liberis orbi lacrymis rigantur*; *immenſamque calamitatem, heu, ſenes conqueruntur*; *omnem enim jam dolorem audiunt.* δαιμόνια ἄχη vel *divinitus immiſſa*, vel *ſupra modum triſtia, immenſa.* γέροντες cum emphaſi; nempe *parentes*, *iique ſenes*, *lamentantur.* Triſtitiam enim augebat, quod *ſenes* filiis, ſenectutis ſolatio et praeſidio, privarentur.

Sed h. l. non eſt praetereundum, Heathio totum verſiculum 579. ſpurium videri; cum in aliis codd. abſit ἔῤῥανται, in omnibus autem Mſſ. et edd. praeter Turneb. et qui eam ſecuti ſunt, omittatur ἐν δάκρυσιν. In Guelf. etiam legitur tantum ἔῤῥανται, ſuperſcripto ſcholio: τοῖς δάκρυσιν. Quae cum ita ſint, haud inanis eſt Heathii ſuſpicio. Ac ſi fingamus poſt v. 568. non integrum verſiculum, ſed vocem tantum triſyllabam excidiſſe, metrum pariter ac ſententia, quamvis omiſſis illis δάκρυσιν ἔῤῥανται ſine offenſione hunc in modum decurret:

| στρ. β'. | ἀντιστρ. β'. |
|---|---|
| 1. Τοὶ δ' ἄρα πρωτόμοροι δὴ, Φεῦ, | 1. Γναπτόμενοι δ' ἀλὶ δεινᾷ, Φεῦ, |
| 2. Ληφθέντες πρὸς ἀνάγκαν, ἠέ, | 2. Σπύλλονται πρὸς ἀναύδων, ἠέ, |
| 3. Ἀκτὰς ἀμφὶ Κυχρείας, ὀά, | 3. Παίδων τᾶς ἀμιάντου, ὀά. |
| 4. * * * στένε καὶ δακνάζου | 4. Πενθεῖ δ' ἄνδρα δόμος στερηθείς, |
| 5. Βαρὺ δ' ἀμβόασον | 5. Τοκῆες δ' ἄπαιδες |
| 9. Οὐράνι' ἄχη, ὀά, | 6. Δαιμόνι' ὄχη, ὀά, |
| 7. Τεῖνε δὲ δυσβάϋκτον | 7. Ἰδρόμενοι γέροντες· |
| 8. Βοᾶτιν τάλαιναν αὐδάν. | 8. Τὸ πᾶν δὴ κλύουσιν ἄλγος. |

Atque haec verſuum collocatio Graeci metrorum enarratoris dinumerationi exacte reſpondet. Hic enim a v. 546 — 582. XXXVI verſus numerat, qui decem primae ſtrophes, totidem antiſtrophes primae, octo ſecundae ſtrophes totidemque antiſtrophes ei oppoſitae verſibus conficiuntur. Si igitur hanc rationem teneamus; vox illa v. 4. ſecundae ſtrophes librariis omiſſa, vel verbum eſt conſtructionem antecedentium verſiculorum finiens, v. c. τεθνᾶσιν aut ſimile; vel imperativus, illis qui ſequuntur, στένε καὶ δακνάζου ad ſententiam ſimilis; v. c. διαίνου aut ejus generis alius. Quod ubi verum fuerit, conſtructio verborum v. 566. his verbis τοὶ δ' ἄρα inchoata v. 569. interrumpitur, verſu 574. autem continuatur, ita ut v. 569 — 573. παρενθέτως efferantur. Et hoc quidem Scholiaſtae Graeco placuiſſe video.

v. 578. τοκῆες] Supra v. 63. τοκέες, quam equidem formam et h. l. praetulerim, praeſertim ſi v. 579. ejiciatur.

v. 583.

v. 583. τοὶ δ' ἀνὰ —] Cum Chorus v. 566. de caesis in praelio, v. 577. de Persis domi relictis, qui illos lugebant, dixisset, jam etiam de populis Persarum imperio subjectis, restabat ut diceret. Sensus: *Asiae vero incolae, dehinc non diu Pĕrsarum legibus vivent; non amplius tributa pendent, neque amplius in terram se* coram rege *prosternentes regentur. Periit enim regis potestas; nec porro vincula sunt, quibus hominum lingua coërceatur. Soluto enim validi imperii jugo solutus quoque est ad libere vociferandum populus.*

v. 587 sq. οὐδ' ἐς γᾶν προπίτνοντες ἄρξονται] „Pauwius recte reposuit προπίτνοντες exigente metro; pro οὔτ' etiam οὐδ' reponi oportuit, cum praecedat τοὶ δὲ οὐκ; pessime vero haec vertit *procidere incipient.* An Asiaticos nunquam ad id usque tempus Persarum regem procumbentes adorasse putavit vir doctus? Sed nimirum eum in errorem induxit Stanlejus, qui aliud certe tunc agens scripsit, Chorum h. l. conqueri, quod Graeci, qui libertatem suam jactabant, regemque Persarum, ut mos illis erat, adorare turpe ac servile ducebant, haud essent sub ditionem redacti. At revera non de Graecis haud subjugatis, sed de Asia Persarum jugum excussura conqueritur Chorus: τοὶ — ὀκσμοφορεῦσι, *Asiani non amplius Persarum imperio parebunt, nec tributa pendent;* unde manifestum est eos adhuc paruisse ac pependisse, quod de Graecis dici non poterat. Itaque οὐδὲ ἄρξονται est i. q. οὐδ' ἔτι ἄρξονται, *neque amplius regentur in terram procidentes*, h. e. non amplius se Persarum regi subditos vel potius mancipia esse adoratione ista profitebuntur. Eodem sensu apud Eurip. Medeae v. 120. habemus ὀλιγ' ἀρχόμενοι." *Heath.*

v. 594. Totum carmen gravissima sententia clauditur: *Et jam in agro sanguine imbuto, Ajacis insula circumflua*, (Salamine) *sitae sunt* ac sepultae *Persarum* fortunae. Nempe post τὰ Περσῶν non σώματα, sed πράγματα, suppleo; id quod multo fortius et antecedentibus aptius

eſt. Non quo ſimul Perſarum cadavera illic ſepulta innui negem; ſed ſignificantius erat omnem hac ſtrage Perſarum fortunam everſam notare. Ut noſtri dicerent: *Hier liegt das ganze Glück der Perſer begraben.*

## IN SCENAM V.

*v.* 597—677.

Atoſſa inferias Darii manibus oblatura, rebus neceſſariis paratis, ex aedibus revertitur.

v. 597. κακῶν — ἔμπορος κυρεῖ] Si κακῶν h. v. genuinum eſſet, alteram lectionem ἔμπειρος praeferrem, ne allegoriae, quae ſequitur, concentus magis etiam turbaretur. Ego vero vix adducor ut credam Aeſchylum h. l. κακῶν dediſſe, quod potius ab imprudente librario e verſu 599. anticipatum, in verae lectionis locum immigravit. Certe aut ſcripſit Aeſchylus:

Φίλοι, βίου μὲν ὅστις ἔμπορος κυρεῖ,

aut ita ſcribere debuit. Quomodo enim ii, qui κακῶν tantum ἔμποροι aut ἔμπειροι ſunt, deinde dicantur intelligere, eos qui ſecundis rebus utantur, eandem ſortem ſibi ſperare? Quod idem Heathium quoque offendit. Vitam vero hominum ſaepe cum navigatione comparari, notius eſt, quam ut moneri debeat. Quodſi βίον legamus, ſententia pulcherrime finitur, absque ulla translationis inconſequentia: *O amici, quicunque in hac vita tamquam ſalo navigat, is novit, hominibus, ubi fluctus malorum irruerint, omnia timeri ſolere; ſi vero proſper ſit fortunae flatus, eos fortunam eodem vento ſecundo ſemper adſpiraturam ſperare.* ἔμπορος non mercatorem ſolum, ſed vectorem quoque in navi deſignat. (Primam hanc vocabuli ſignificationem eſſe, recte obſervavit Küſter ad Heſych. l. l.) Heſych. Ἔμπορος, πραγματευτής, καὶ ὁ ἐπ' ἀλλοτρίας νεὼς πλέων μισθοῦ, ὁ ἐπιβάτης. Ut adeo κακῶν ἔμπορος inepte redditum ſit a Sauravio: *malorum mercator.*

v. 601.

v. 601. οὐριεῖν τύχης] „Noſter iterum Choëph. v. 315. τύχοιμ' ἔκαθεν οὐρίσας. Eumen. v. 137. αἱματηρὸν πνεῦμα ἐπουρίσαι. —" *Abreſch.*

v. 602 ſqq. Ἐμοὶ — παιώνιος] Vivide pingit regina animi, qua commovebatur, perturbationem. *Mihi enim*, inquit, *a diis omnia timoris plena et adverſaria oculis obverſantur; auresque perſonat ſtrepitus nequaquam paeanius*; h. e. non victoris exercitus clamorem, ſed undique lamentantium voces auribus accipere videor. Nempe h. l. de interno animi ſenſu et imaginatione loquitur; id quod e ſequenti verſiculo patet: τοία — φρένας: *Tantus e malis ſtupor animum meum percellit, metuque reddit attonitum.*

v. 606 ſqq. τοιγὰρ — μειλικτήρια] *Proinde hanc viam ex aedibus ſine curru, depoſitoque priſtino ornatu relegi, propitias filii mei patri inferias afferens, quae placandis manibus inſerviant.* Pro εὐμενεῖς h. l. malim εὐμενεῖ, epitheto ad Darium relato. cf. v. 682.

v. 608. ἔστειλα] „στέλλειν κέλευθον, *iter inſtituere*, juxta eandem analogiam dicitur ac στέλλειν πλοῦν. Sophocl. Aiac. 1064." *Heath.*

v. 609. ἅπερ νεκροῖσι μειλικτήρια] „Hos ritus non ex more Perſarum, ſed Graecorum deſcribit; ἀμάρτημα, ſed quo nihil Poëtis (Homerum non excipio) frequentius. Quot et quaenam haec fuerint μειλικτήρια, mox explicat; ſcil. lac, mel, aqua, vinum, oleum, flores, quorum in re ſimili apud alios Poëtas fit mentio. Homer. Odyſſ. II.

Ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοὴν χέομεν πᾶσιν νεκύεσσιν,
Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ
Τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι.

Euripides in Oreſte:

Μελίκρατ' ἄφες γάλακτος οἴνοπον τ' ἄχνην.

Seneca in Oedipo:

*libat et niveum insuper*
*Laetis liquorem, fundit et Bacchum manu*
*Laeva.*

Statius:

*Principio largos novies tellure cavata*
*Inclinat Bacchi latices, et munera verni*
*Lactis, et Actaeos imbres, suadumque cruorem*
*Manibus; aggeritur quantum bibit arida tellus.*"

Recte ista Stanlejus; cui tamen in hoc a poëta peccatum esse non concesserim, quod in describendo inferiarum ritu suorum potius civium, quam Persarum mores secutus est. Sic enim facere sapientis erat poëtae officium, qui ut in omnibus fabularum partibus, ita in moribus quoque populorum adumbrandis (*im Coſtume*), non quid verissimum sit, sed quid verosimillimum, spectare debet.

v. 610 sqq. βοός τ' ἀφ' ἁγνῆς — γαίας τέκνα] *Primum quidem e vacca pura album ac suave lac; deinde* apis *florilegae liquorem, pellucidum mel, una cum virginei fontis aquoso latice; tum matre ab agresti meraceum potum, huncce veteris vitis honorem; denique semper virentis flavae olivae fructus suaveolens adest, nec absunt serti flores, almae telluris progenies.* Quantus huic loco insit verborum ornatus, profecto vides; et colloquii quidem tragici mensuram excedere videri posset; nisi h. l. inferiorum solennitati major etiam in verbis decor bene conveniret.

βοός — γάλα] Epitheta diligenter lecta. Cum enim omnia, quaecunque inferiis parandis adhibebantur, pura, suavia, mitia esse oportebat, tum inprimis in lacte spectabatur puritas, color, sapor.

v. 611. ἀνθεμουργοῦ] eleganter hic suppressum μελίσσης; *apis e floribus opus suum conficientis.* στάγμα, *gutta*, pro *liquore.*

v. 612. λιβάσιν ὑδρηλαῖς] *aquae hausti bus.* „Hanc aquam Latini veteres vocarunt *arferiam*, *adferiam* et *adferias.* Vide Festum et Glossographos." *Stanl.*

v. 613.

v. 613. ἀκήρατον, merum, aqua non dilutum. μητρὸς ἀγρίας ἄπο, i. q. ſimplicius dixiſſet *vitis* in *agris conſitae*. „Manifeſto haec ſibi imitanda propoſuit Euripides Alceſt. v. 757.

Πέπνει μελαίνης μητρὸς εὔζωρον μέθυ.

ubi video intpp. attuliſſe Plauti verba in Amphitr. I, 1. 274.

*Eam ego* (hirneam) *ut matri fuerat natum, eduxi meri.*

Pari modo Achill. Tat. lib. I. p. 67. vitis οἴνων μήτηρ. — Ceterum ex Aeſchylo ſi cui videbitur emendandus Heſychius pro Μητρὸς μέθυσις, legendum erit Μητρὸς ἀγρίας τῆς μεθυστικῆς. Sin ex Euripide, leviori mutatione Μητρὸς μέθυ, τῆς ἀμπέλου." *Abreſch.*

v. 614. γάνος de fructu vitis h. l. ſic dicitur, ut frondes *arborum honor* ap. Virgil. Georg. II. 404.; ut fruges *ruris honores* Horat. Od. I. 17, 14. „Idem de *vino* alii quoque uſurpant. Vid. Spanh. ad Ariſtoph. Ran. 1355. et Miſc. Obſ. Vol. IX. Tom. I. p. 144. In univerſum notat πᾶν ἐφ' ᾧ τις γάνυται, ut ἀγαλμα, ἐφ' ᾧ ἀγάλλεται. Hinc de *aqua* ſupra v. 483. et ſaepius apud Lycophronem. De *melle* Eurip. Iphig. Taur. 633." *Abreſch.*

v. 615. τῆς τ' αἰὲν — βίου] „h. e. τῆς αἰὲν ἐμφύλλου, ſ. ἀειφύλλου οὔσης. Sophocl. Electr. v. 956. alia in re dixit θάλλειν βίῳ." *Abreſch.*

v. 616. ξανθῆς ἐλαίας] „ut Pindarus Olymp. Od. 4. χρυσέας ἐλαίας, et Virgil. Aen. V. 304. *flava oliva*." *Stanl.* Nimirum quia foliorum olivae viror porraceo colori affinis eſt. καρπὸς h. l. non de baccis olivarum, ſed de oleo expreſſo.

v. 617. ἄνθη πλεκτὰ, coronae e floribus.

γαίας τέκνα] „Chaeremonem ſaepius eadem tralatione uſum eſſe monet Athenaeus, Deipnoſ. lib. XIII., ubi haec adducit exempla: Ex Io: Ἀνθηροῦ τέκνα ἔαρος πέριξ στρώσαντες. Ex Centauro:

ἔνθεν μὲν αὐτῶν εἰς ἀπείρωνα στρατὸν
ἀνδέων ἀλόχων ἐστράτευσαν ἡδοναῖς
θηρώμενοι τὰ τέκνα λειμώνων.

Ita enim redi endos esse hos versus censemus; ubi tamen pro ἀλόχων legerim ἀλόγχων, imo potius ἄλογχον; (nec enim λόχων metro convenit) *exercitum florum haud armatorum;* eleganter dictum." *Stanl.*

v. 618 sqq. ἀλλ' ὦ φίλοι — θεοῖς] *Vos vero, amici, inferiis hisce carmina accinite, quibus Darii animam orco evocetis; ego interim honorem huncce a terra epotandum inferis diis libabo.* τιμὰς de libatione in deorum honorem facta, ut *Lenaeum libat honorem.* Virg. Aen. IV. 207.

v. 620. Δαρεῖον ἀνακαλεῖσθε] Quod magiam antiquitus tum Chaldaei tum Aegyptii excoluerint, validissimis testimoniis probari possit; (sed id non est hujus loci;) nec nisi longo post tempore Persis innotuit, qui eam ni fallor statim ut has gentes devicerant ab ipsis didicere. De Chaldaeis suadere videtur Plutarchus, qui lib. de Iside et Osiride tradit Zoroastrem apud Chaldaeos Magos instituisse, quorum imitatione Persae etiam suos habuerint. De Aegyptiis Ausonius:

*Quique Magos docuit mysteria vana Nechepsis.*

Nec me magis movet, quod ait Plin. lib. 30. c. 1. *Sine dubio illic orta in Perside a Zoroastre ut inter auctores convenit*, quam quae de prodigiosa Zoroastris illius antiquitate somniant auctores illi. Quippe cum Laërtio *Persa* dicatur, Clementi *Medus*, Suidae *Persa-Medus*, vereor ne aevi sit multo inferioris, quam vulgo creditur. — Porro fatetur Plinius Zoroastrum illum *diligentiores paulo ante Ostanem ponere.* His adstipulatur Persas recentiores, qui (testante Agathia lib. II.) sub Hystaspe collocarunt. Etenim Ostanes *Xerxem regem Persarum bello, quod is Graeciae intulit, comitatus est; ac velut femina artis portentosae sparsit obiter, infecto quocunque commeaverat modo.* Hoc cum

cum retuliſſet Plinius, ſubdit: *Quod certum eſt, hic maxime Oſtanes ad rabiem, non aviditatem modo, ſcientiae ejus Graecorum populos egit.* Appoſite itaque νεκυομαντείαν hanc confinxit Aeſchylus, ut qui populo tunc temporis nihil gratius eſſe probe moverat." *Stanl.*

v. 622 — 626. Primum Chorus reginae reſpondens obtemperaturum ſe monitis denuntiat. *O mulier regina, Perſis veneranda, tu quidem inferias ſub terrae receptacula mitte; nos interim carminibus precabimur, ut nobis propitii ſint mortuorum deductores ſubterranei.* θάλαμοι γῆς, *penetralia terrae;* ducta ſimilitudine a thalamo, qui in receſſu aedium ſtructus eſſe ſolebat. φθιμένων πομπούς, quos deinde nominatim v. 628. celebrant.

v. 627. Sequitur ipſum Chori canticum, flectendis inferis diis ut Darium emitterent, ipſique Dario evocando dicatum; animorum ardore et cupiditate aptiſſimisque regis defuncti laudis inſigne.

ἀλλά — φάος] *Vos vero, ſancti inferi dii, Tellus*, et *Mercuri*, tuque inferorum rex, o Pluto, *mittite quaeſumus animam Darii ab inferis in lucem.*

v. 628. Ἑρμῆ] „qui v. 628. πομπός, v. 630. χθόνιος. Ajax apud Sophoclem ſe ipſum peremturus:

καλῶ δ' ἅμα
Πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον εὖ με κοιμίσαι.

Ἑρμῆς πομπαῖος dictus eſt Mercurius, qui, ut loquitur Petronius, *animas ducere et reducere ſolet.* (Cf. Horat. I. 10, 16. ibique doctiſſ. Jani.) Virgil. Aen. IV.

*Tum virgam capit, hac animas ille evocat Orco,*
*Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit.*" Stanl.

βασιλεῦ τ' ἐνέρων] „Hom. Iliad. XV.

Ζεὺς καὶ ἐγώ, τρίτατος δ' Ἀΐδης ἐνέροισιν ἀνάσσων,

et lib. XX.

ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀΐδωνεύς." *Stanl.*

v. 630 ſq. εἰ γὰρ — εἴποι] *Nam ſi quid ſupereſſe noverit moleſtiarum, ſolus mortalium ecquis earum finis futurus*

*rus fit, nobis dixerit.* Comparet lector hanc interpretationem cum Sanravii verſione, qui vulgatam lectionem ἄκος reddidit: *nam ſi novit aliquid plus remedii malorum, ſolus mortalium finem dicet.* Sentiet, profecto lectionem ἄκος tum per ſe incommodam eſſe, tum otioſum fere efficere id quod ſequitur πέρας.

v. 632. ἦ ῥ' αἴει μου] Praeter alia ritualia, adhibitum ſemper fuit in hoc opere carmen deprecatorium: cujus generis hic eſt hymnus, nempe ψυχαγωγὸς, manium elicius. Sic Tireſias apud Senecam, ceteris ritibus peractis,

*Vocat inde manes, teque qui manes regis*
*Et obſidentem clauſtra letalis lacus;*
*Carmenque magicum volvit, et rapido minax*
*Decantat ore, quicquid aut placat leves*
*Aut cogit umbras —*

Exempla ubique ſunt in promtu." *Stanl.*

v. 634. βάρβαρα] Cujus generis eſt τὸ βαλὴν v. 656. Vocabula barbara ſummam vim et efficaciam in his ritibus habere credebantur. Idcirco cautum eſt oraculo Chaldaico, ne in aliam linguam transferrentur:

Ὀνόματα βάρβαρα μήπου ἀλλάξῃς.

τουτέστιν, (interprete Pſello) εἰσὶν ὀνόματα παρ' ἑκάστοις ἔθνεσι θεοπαράδοξα, δύναμιν ἐν ταῖς τελεταῖς ἄῤῥητον ἔχοντα. Μὴ οὖν μήτ' ἀλλάξῃς αὐτὰ εἰς τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον. Οἷον τὸ Σεραφείμ, καὶ τὸ Χερουβείμ, καὶ τὸ Γαβριήλ. Οὕτω μὲν λεγόμενα κακὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον, ἐνέργειαν ἐν ταῖς τελεταῖς ἔχει ἄῤῥητον· ἀμειφθέντα δὲ ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ὀνόμασιν, ἀσθενῆ." *Stanl.*

σαφηνῆ ad vocis intentionem, παναίολα ad variam ejus modulationem, αἰανῆ et δύσθρηνα ad lugubre et lamentabile carminis argumentum pertinet. Senſus: *Auditne me beatus* ille *divinus rex barbara elataque voce varias fundentem acerbas, luctuoſas preces?*

v. 637.

v. 637. παντάλαν' ἄχη διαβοάσω, *omnibus modis miserrimas calamitates alta voce querar*, donec scilicet ille me exaudiat.

v. 638. νέρθεν — μου; Magna ineſt vis interrogationi h. l. repetitae.

v. 639 ſqq. ἀλλὰ — θεόν·] *Tu vero*, o Tellus, *vosque reliqui inferorum ductores, patiamini quaeſo, ut excelſum illud* Darii *numen, Perſarum deus, Suſis natus, domibus veſtris exeat.* μεγαυχῆ, *inſigni gloria praeditum.*

v. 642. ἰόντ' αἰνέσατ' ἐκ δόμων] id eſt: αἰνέσατε ἰέναι ἐκ δόμων· *permittite exire;* concedite, ut exeat e domibus veſtris. Perperam vertit interpres: *celebrate mihi e domibus veſtris exeuntem.* —" *Brunck.*

v. 644 ſq. πέμπετε — ἐκάλυψεν] Et *ſurſum mittite* regem tantae dignitatis, *qualem antehac nunquam Perſica tellus operuit.*

v. 646. Suaviter animum afficiunt iſta: *Heu virum amabilem! Heu amabile ſepulcrum! Amabiles enim mores tegit.*

v. 647. φίλα γὰρ — ἤθη] Ut noſtri dicerent: *denn ach es deckt ein liebenswerthes Herz!*

v. 648. Qui h. l. dicitur: Αἰδωνεὺς ἀναπομπός, is obſervante Spanhem. ad Callimach. hymn. Pallad. v. 130. ex Athenaeo ab Aeſchylo fuerat dictus Ἀγεσίλαος." *Abreſch.*

v. 650. Cum adhuc in omnibus edd. metro prorſus perturbato lectum ſit:

Δαρεῖον οἷον ἄνακτα Δαρεῖον, ἡέ,

neceſſe eſt, ut emendationem noſtram,

Ἄκακον θεῖον ἄνακτα Δαρεῖον, ἡέ,

argumentis idoneis comprobemus, e re et ſententia ductis; nam a metri quidem reſtitutione eam jam in V. L. commendavimus. Quae v. 651. ſequuntur, οὔτε γὰρ — duplicem afferunt laudem Darii, alteram, quod cives bellica calamitate non laeſerit, alteram, quod *divinus* fuerit

fuerit in administranda regia potestate. Particula autem γὰρ, qua duplicis hujus laudis enuntiatio cum antecedentibus connectitur, haud ambigue prodit, nomini Darii v. 650. bina ab Aeschylo epitheta adjecta fuisse, quorum deinde causam ac declarationem allaturus esset. Jam ἄκακον θεῖον ἄνακτα scripsisse poetam dubitari vix potest, cum illa jam adjectiva non solum metrum optime expleant, verum etiam ἄκακον istis versiculis:

οὔτε γὰρ ἄνδρας πώποτ' ἀπώλλυ
πολεμοφθόροισιν ἄταις,

alterum vero θεῖον his, qui sequuntur:

θεομήστωρ τ' ἐκικλήσκετο —

copiosius explicetur. Restat, ut paraphrasi verborum sententiam nostram illustremus: *O Pluto, precamur ut sursum mittas innocuum divinum*, quem jure sic appellamus, *regem Darium. Neque enim unquam populum bellicis calamitatibus perdidit*, (ideoque ἄκακος fuit); *et divinus consultor Persis vocabitur*, (ideoque merito θεῖος a nobis appellatus) *divinus etiam consultor erat, quoniam exercitum feliciter duxit*, s. *administravit*. cf. v. 662. v. 852 sqq.

655. ἐποδώκει] „Gloss. in cod. Reg. ὠδήγει. Forma est ionica, ἐποδόω pro ἐφοδόω. Verbum in lexicis omissum. Simplex eadem significatione apud Herodotum occurrit. Vide Aem. Porti lexicum ionicum. Ad corvos mittendum Fabri commentum Heathio tantopere laudatum, ἐποδόχει." *Brunck.*

v. 656. βαλὴν] „Scholiastes Euphorionem laudans Thuriis hoc vocabulum tribuit. Βαλὴν, inquit, ὁ βασιλεὺς λέγεται. Εὐφορίων δέ φησι Θουρίων εἶναι τὴν διάλεκτον, ὅθεν καὶ βαλινκεῖον ὄρος, ὅ ἐστι βασιλικόν. Ceterum Sextus Empiricus lib. I. c. 17. οὔτε γὰρ ἐκ τέχνης τινὸς μεμαθήκασιν ὅ, τι οἱ παρὰ τῷ Σοφοκλεῖ ποιμένες, ἰὼ βαλὴν λέγοντες, ἰὼ βασιλεῦ λέγουσι Φρυγιστί, ἀλλὰ παρ' ἄλλων ἀκούσαντες. Ita etiam Hesychius: Βαλήν, βασιλεύς, Φρυγιστί. Quod vero dicit Scholiastes βαλιναῖον ὄρος, *montem regium*, significare, ex Plutarcho videtur hausisse, qui in lib. de fluminibus παρά-

παράκειται δὲ αὐτῷ inquit, ὄρος Βαλλιναῖον καλούμενον, ὅπερ ἐστὶ μεθερμηνευόμενον βασιλικόν. Legerim vel ex Scholiaſte noſtro βαλιναῖον vel potius βαληναῖον, Euſtathii fretus teſtimonio, qui ad Iliad. III. eundem Plutarchi locum laudat, et hunc verſum ſimul interpretatur. Αἰσχύλον, inquit, φησὶ βαλῆνα τὸν βασιλέα, ἐν τῷ, Βαλὴν ἀρχαῖος βαλήν· γλώσσης δὲ τοῦτο, ἐξ οὗ καὶ ὄρος Βαλιναῖον, ὅ ἐστι βασιλικόν· παρὰ Πλουτάρχῳ ἐν τῷ Περὶ ποταμῶν. — et βαλὴν per contractionem, quaſi a βλὴν, ſit βλῆνος. Hinc intelligendum illud Ariſtippi apud Diogenem Laërtium, qui, cum exprobraſſent ei aliqui, quod a Dionyſio conſputatus patienter tuliſſet, οἱ μὲν ἁλιεῖς (inquit) ὑπομένουσι βαίνεσθαι τῇ θαλάττῃ ἵνα κωβιὸν θηρεύσωσιν· ἐγὼ δὲ μὴ ἀνάσχωμαι ῥάμματι βαπτῆναι, ἵνα βλέννον λάβω; Βλῆνος enim eſt *rex*; βλέννος, βλέννος, ſ. βλίννος, piſcis globio ſimilis. Lexic. Anon. Ms. βλῆνος, ὁ τύραννος· βλίννος ὁ ἰχθύς. Idem alibi βαιὼν, ἰχθὺς, ὃ καὶ κλίνος, (legendum eſſe βλίνος, tum e ſuperioribus conſtat, tum ex Athenaeo lib. VII.) παραπλήσιος κωβιῷ. Luſit igitur in ambiguo vocabulorum ſono philoſophus feſtiviſſimus." *Stanl.*

v. 656 ſqq. *βαλὴν ἀρχαῖος — βάσκε πάτερ*] Vocativos junxit nominativis, ut in Agam. v. 1089. Sic Heſiod. Theod. v. 548. Ζεὺς κύδιστε. Soph. Oed. Col. 1775. ὦ πάτερ, ὦ φίλος. Nempe ejusdem eſt terminationis apud Atticos uterque caſus. Vid. Sophocl. Schol. ad Ajac. v. 957. et Servium ad Virgil. I. Aen. v. 734. et X. 327." *Abreſch.*

ἰώ, ἴκου, ἔλθ'] Haec ſynonyma fervorem deſiderii pulcre declarant.

v. 658 ſqq. *κροκόβαπτον ποδὸς εὐμαρίν*] „Heſych. Εὐμαρίδες εἶδος ὑποδήματος. Perſae calceamenti genus ipſis peculiare habuere, quod Straboni lib. XV ὑπόδημα κοῖλον. διπλοῦν deſcribitur. Nobilioribus auro et gemmis ornatum. Clem. Alex. paedag. c. II. χαίρειν οὖν ἑατέον τὰς ἐπιχρύσους, καὶ διαλιθους τῶν σανδαλίων ματαιοτεχνίας, καὶ Κρηπῖδας Ἀττικάς, καὶ τὰς Σικυωνίας, καὶ τοὺς καθούρνους Περσικούς

σικούς τε καὶ Τυρρηνικούς. Regibus, ut videtur, rubri coloris, quod tamen apud neminem alium memini me legisse." *Stanl.*

v. 660. βασιλείου τιάρας] „Tiaram Persis commune tegmentum capitis fuisse, quis nescit? Verum hoc intererat inter tiaram regiam et reliquas, quod illa solum recta, et sursum elata, ceterae deorsum vergebant, in frontem deductae. Aristoph. in Avibus:

Διὰ ταῦτ' ἄρ' ἔχων, καὶ νῦν ὥςπερ βασιλεὺς ὁ μέγας διαβάσκει
Ἐπὶ τῆς Κεφαλῆς τὴν κυρβασίαν, τῶν ὀρνίθων μόνος, ὀρθήν.

ubi Scholiastes: πᾶσι, inquit, Πέρσαις ἐξῆν τὴν Τιάραν φορεῖν, ἀλλ' οὐκ ὀρθήν, ὡς Κλειταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ· μόνοι δὲ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο. Ibidemque Κυρβασίαν eandem esse cum Tiara tradit, et adjicit, τοῖς μὲν ἄλλοις ἔδος καὶ ἐπτυγμένην, καὶ προβάλλουσαν εἰς τὸ μέτωπον ἔχειν· τοῖς δὲ βασιλεῦσιν ὀρθήν. Plura testimonia congessit vir doctissimus B. Brissonius de regno Persico lib. I." *Stanl.*

v. 662. Δαρεῖ' ἄνει] Ut hanc lectionem a nobis conjectura repertam veram putemus, illud etiam nos movet, quod βάσκε — ἄνει — φάνηθι eodem modo quo antea ἴθι, ἵκου, ἔλθ' — deinceps ponuntur, animique concitationem uberius declarant.

v. 663. ὅπως — ἄχη] *ut nova, recentia, inaudita mala audias*, qualia scil. et quanta te imperium Persarum obtinente nunquam acciderunt. cf. v. 672 sqq.

v. 664. δέσποτα δεσπότου] O pater adeoque *domine domini* nostri Xerxis.

v. 665 sq. στυγία — πεπόταται] *stygia caligo nos circumvolat*, h. e. *atra malorum tempestas* nos *circumvenit.*

v. 667 sq. νεολαία — κατὰ πᾶσ' ὄλωλε, i. e. πᾶσα κατόλωλε, *universa enim juventus jam periit*, omnes qui arma ferre possent, interierunt.

v. 671. ὦ — θανὼν] O *tu qui multum flebilis amicis occidisti.*

v. 672.

v. 672. Nondum vidi quemquam interpretem, qui se ex hujus loci difficultate commode satis expediret. Mihi quidem sic emendandus esse videtur:

Τίς τάδε, δυναστεία, δυνάστα,
Παρὰ τᾷ σᾷ δίδυμα
Διάνοι ἂν ἁμάρτια
Πάσᾳ γᾷ τῇδε;

h. e. *Quis* enim *sub tuo regno, o rex duplicem istam huic terrae immissam calamitatem deflesset?* Δίδυμα ἁμάρτια signif. rem dupliciter male gestam, quia scil. et maxima pars exercitus et potior navium numerus perierat. Illud Chorus dixerat v. 667. hoc vero v. 676. commemorat. Ac ne quis τὸ ἁμάρτιον graecum esse neget, idem vocabulum recurrit Agamemn. v. 545. ut nihil opus sit lectionem a Scholiaste prolatam, ἁμαρτήματα, amplecti, etsi metro non repugnante. διαίνειν autem saepe pro *lacrymis irrigare*, *deflere*, *lugere* dicitur, e. c. v. 1031. Universa autem haec sententia perbene cum v. 669 proxime praecedente coire videtur; q. d. valde flebilis occidisti tu civibus tuis; nisi enim tu occidisses, profecto nunc nemo nostrum calamitates istas lugeret, quae filii tui culpa nos oppressserunt. Cf. etiam v. 849 sqq

v. 676 sq. ἐξέφθινθ' αἱ τρίσκαλμοι νᾶες, ἄναες νᾶες] *Perierunt triremes naves, nenaves naves.* ἄναες non hoc involvit, quod jam *nullae* sint, sed quod navium munere functae non sint, servandi scil. militum copias. Omnino etiam ἄναες νᾶες interpretari licet *infaustae naves*, ut ἄγαμος γάμος *infaustae nuptiae.*

## IN SCENAM VI.

*v.* 678—839.

Chori precibus exauditis redit ab inferis umbra Darii, et stans in sepulcri tumulo cum senibus et Atossa confabulatur.

v. 678. ὦ πιστὰ πιστῶν] Stanl. Graeci enarratoris vestigia premens vertit: *o fida proles fidelium patrum*; mihi vero probabilius esse videtur in hanc sententiam accipere: *o fidi fidorum dominorum consiliarii*, ut πιστῶν vel ad Darium et Xerxem simul, vel ad solum Darium pertineat, q. d. *ihr treuen Diener eines treuen Herrn*; plurali δεσποτῶν, quod supplendum foret, singularis numeri loco, ut fit, adhibito.

ὦ πιστὰ πιστῶν] „Aristophanes in Ranis sub persona Bacchi de Aeschyli Persis verba facientis:

Ἐχάρην γοῦν ἡνίκ' ἤκουσα περὶ Δαρείου τοῦ τεθνεῶτος
Ὁ χορὸς δ' εὐθὺς τὼ χεῖρ' ὠὸὶ ξυγκρούσας εἶπεν, ἰαυοῖ.

ubi Scholiastes: ἐν τοῖς Φερομένοις Αἰσχύλου Πέρσαις, οὔτε Δαρείου θάνατος ἀπαγγέλλεται, οὔτε ὁ χορὸς τὰς χεῖρας συγκρούσας λέγει ἰαυοῖ, ὅ ἐστιν ἐπιφώνημα πρὸς τὸν Διόνυσον λεγόμενον χαρᾶς ἐπελθούσης. Ἀλλὰ τὰ μὲν πράγματα ὑπόκεινται ἐν Σούσοις· καὶ περίφοβός ἐστιν ἡ μήτηρ Ξέρξου ἐξ ὀνείρου τινός· χορὸς δὲ Περσῶν γερόντων διαλεγόμενος πρὸς αὐτήν· εἶτα ἄγγελος ἀπαγγέλλων τὴν περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίαν καὶ τὴν Ξέρξου φυγήν. Χαῖρις δέ φησι τὸ Δαρείου ἀντὶ τοῦ Ξέρξου. Σύνηθες γὰρ τοῖς ποιηταῖς ἐπὶ τῶν υἱῶν πατέρων ὀνόμασι χρῆσθαι, πρὸς ὃν ἐστιν εἰπεῖν, ὅτε ἐν τῷ δράματι λέγεται·

Ξέρξης μὲν αὐτὸς ζῇ τε καὶ βλέπει φάος.

Ἡρόδικος δέ φησι διττοῦ γεγονέναι τοῦ θανάτου (corrupta haec sunt, forte sic emendanda διττὸν γεγονέναι τὸ δρᾶμα, scil. τῶν Περσῶν) καὶ τὴν τραγῳδίαν ταύτην περιέχειν τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην. Δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ὑπὸ τοῦ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις, σπουδάζοντος Ἱέρωνος, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης ἐν γ' περὶ κωμῳδιῶν. Ἄλλως. Δίδυμος ὅτι οὐ περιέχουσι θάνατον Δαρείου οἱ Πέρσαι τὸ δρᾶμα· διὸ τινὲς διττὰς θέσεις (fortasse καθέσεις) τουτέστι διασκαλίας τῶν Περσῶν φασί, καὶ τὴν μίαν μὴ φέρεσθαι. Τινὲς δὲ γράφουσι Δαρείου τοῦ Ξέρξου. οἱ δὲ ὅτι τοῖς κυρίοις ἀντὶ πατρωνυμικῶν κέχρηνται, καὶ ὅτι ὁ Ξέρξης· οἱ δὲ ὅτι εἴσωλον Δαρείου φθέγγεται, ἐλεεῖ τεθνηκότος δηλονότι. Haec ille. Miror locum illum

illum Ariſtophanis veteres Criticos adeo exercuiſſe, quo nihil liquidius." *Stanl.* Nos vero hanc Schol. ad Ariſtoph. animadverſionem copioſius tractabimus in apparatu hiſtorico.

v. 679. τίνα πόλις πονεῖ πόνον;] haec interrogatio ſtatim prodit animum Darii miſericordem et patriae amantem.

v. 680. στένει ad πέδον ut cetera, non ut Schol. ad πόλις traxerim. Solemne enim erat manes evocantibus terram manibus pulſare; adeoque Darius, *gemit*, inquit, *pulſatur*, *ac* tantum non *ſcinditur ſolum.*

v. 682. πρεσμενεῖς] Haud ſcio, an praeferenda ſit altera lectio πρεσμενὴς, hoc ſenſu: *inferias autem benevolus ſ. propitius accepi.*

v. 684. ψυχαγωγοῖς h. l. proprie, *manes evocantibus animas ab inferis reducere valentibus.*

v. 685. ἔστι δ' οὐκ εὐέξοδον] „Quo modo ᾅδης δύσνοστος dicitur epigrammate graeco. Anacreon:

Ἀΐδεω γὰρ δεινὸς
Μυχὸς ἀργαλέη δ' ἐς αὐτὸν
Κάθοδος· καὶ γὰρ ἕτοιμον
Καταβάντι μὴ ἀναβῆναι.

Catullus:

*Illic unde negant redire quemquam.*

Et paſſim apud Poëtas." *Stanl.*

v. 686. χ' οἱ κατὰ χθονὸς θεοὶ] Nihil opus eſt, ut pro χ' οἱ corrigamus χ' ὅτι. Nam eadem eſt verborum conſtructio, quam Latina quoque lingua imitatur: *Cum enim alias omnino exitus haud facilis eſt, tum inferi multo ad accipiendum animas, quam ad dimittendum promtiores ſunt.*

v. 688. ἐνδυναστεύσας, *principem inter illos locum obtinens, auctoritate pollens.*

ἐκείνοις ἐνδυναστεύτας ἐγὼ] „Veterum opinio erat, reges, qui virtute et factis excelluiſſent, apud inferos magna in dignitate eſſe, imperiumque in mortuorum

ſimulacra, ſeu animas exercere. Apud Sophoclem El. 841. Amphiaraus ὑπὸ γαίας πάμψυχος ἀνάσσει. Ulyſſes in Necyia, Achilli ait v. 481.

σεῖο δ' Ἀχιλλεῦ
Οὔτις ἀνὴρ προπάροιθε μακάρτατος, οὔτ' ἄρ' ὀπίσσω.
Πρὶν μέν γάρ σε ζωὸν ἐτίομεν, ἶσα θεοῖσιν,
Ἀργεῖοι· νῦν δ' αὖτε μέγα κρατέεις νεκύεσσιν
Ἐνθάδ' ἐών." *Brunck.*

v. 689. τάχυνα δ'] *feſtinavi autem*, *ut* juſto tempore redire poſſim, adeoque *immunis ſim a culpa morae diutius tractae.* Jam tum ſcilicet opinio invaluerat, quam poſtea ſuperſtitioſa credulitas per magnam ſeculorum ſeriem tenuit, animabus, quibus, ut ab inferis redirent, ſuperasque ad aures evaderent, conceſſum eſſet, commeatum quaſi ad clepſydram dari.

v. 690. τί δ' ἔστι — κακόν;] *Quid tandem eſt illud mali, quo Perſae cummaxime premuntur?*

v. 691. Decore his verbis expreſſit Aeſchylus incredibilem illam ac paene ſervilem Perſarum erga reges ſuos reverentiam.

v. 692 ſq. ἀντία λέξαι σέθεν] Merito Stanlejus Scholiaſtae rationem negligendam putavit, ſic iſta interpretantis, quaſi ἀντία ſit i. q. ἐναντία, i. e. *auditu gravia et aſpera.* „Etenim ἀντία λέξαι eſt *coram alloqui*, ut mox v. 698. ἀντία φάσθαι, et ap. Hom. Odyſſ. O. 376. ἀντία δεσποίνης φάσθαι. Sic ἄντην et ἄντα ἰδεῖν apud eundem plus uno in loco, et Callim. H. Dian. v. 63. Pro eo ἄντα εἰσιδεῖν Eurip. Alceſt. v. 876. quomodo et Latini *contra tueri* et *intueri.* v. c. Liv. I. c. 16. Sic et ἀντιβλέπειν et ἀντοφθαλμεῖν. — In illo quod ſequitur, περὶ τάρβει, *prae timore*, *ob metum*, eſt antiptoſis pro τάρβους." *Abreſch.*

v. 694 ſqq. Pro ἦλθον in Guelf. eſt ἥκω, repetitum fortaſſe e v. 689. Impatiens morae Darius Chorum miſſis ambagibus breviter, quae opus ſit, eloqui, timidamque illam verecundiam auferre jubet. ἐμὴν αἰδῶ, *mei reverentiam.*

v. 697.

v. 697 ſq. Vide ut Aeſchylus in repetita pudoris et verecundiae ſignificatione, ſententiam tamen et elocutionem apte variaverit. χαρίσασθαι, *gratificari*, *obſequi*; nempe ne voluntate quidem Darii ſe ſatis impelli ſignificant, ut proloquendi audaciam ſumant; praeſertim quum δυσλέκτα, *infanda* ſint, quae narrari ab illo jubentur.

v. 700. δέος παλαιὸν i. q. v. 693. ἀρχαῖον τάρβος antiqua illa erga priſtinum regem ſuum verecundia, nondum ex animis deleta. Poſtquam vero iſta ἀλλ' ἐπεὶ — ἀνάσσεται ſenibus dixerat, ſtatim ad Atoſſam converſa oratione ſic pergit: *tu igitur tori mei grandaeva conſors, generoſa mulier miſſis lacrymis et querelis, apertum aliquid mihi dicito.*

v. 703. ἀνθρώπεια δ' ἄν τοι πήματ' ἔντυχοι βροτοῖς] Haec non tantum admonendi, ſed etiam conſolandi cauſa dicuntur. Itaque non ſic vertenda: *Humana ſcilicet* hominibus *accidunt infortunia*, vel ut Gallus interpres: *Les mortels ne ſont que trop ſujets à l'adverſité;* ſed hanc potius vim habent: *Humana ſunt, quae mortalibus accidere ſolent infortunia;* adeoque humaniter ferenda; redeuntque fere ad eandem ſententiam, qua Apoſtolus utitur ep. I. ad Cor. 10, 13.

v. 704. πολλὰ μὲν γὰρ] Hoc γὰρ non ſolum confirmat, accidere ſolere hominibus infortunia, nec illud inſolens videri cuiquam poſſe, verum etiam humana eſſe quae accidant, quandoquidem alia e terra, alia e mari mortalibus oboriantur. Ceterum confer Choëph. v. 583 ſqq.

v. 705. γίγνεται θνητοῖς, ὁ μάσσων βίοτος ἢν ταθῇ πρόσω] *ſi longior vita ulterius extendatur.* Frigere nonnihil videtur ὁ μάσσων, cum ejus vis jam ſequentibus verbis inſit, ἢν ταθῇ πρόσω. Bothius correxit γίγνεται θνητοῖσι μάσσω, βίοτος ἢν ταθῇ πρόσω, quod ſane acciperem, ſi μάσσω ſignificaret *majora*, non *longiora*. Neque tamen hoc

μάσσω cum eo ad terram ſolum, ſed potius ad utrumque mare et terram referendum putamus.

v. 706. ὦ βροτῶν] *O tu qui proſpera fortuna, omnium mortalium felicitatem ſuperabas, quique, donec ſolis lucem vidiſti, Perſis admirabilis beatam, ſicut deus, vitam transegiſti!* Si ὡς, ἕως ἔλευσας — legamus, ſenſus ita convertitur: *Quam admirabilis — vitam transegiſti!* Utrum eligas, certe in ſequenti verſiculo τε in δὲ mutandum cenſeo. Νῦν δέ σε ζηλῶ — *Nunc vero te unum omnium beatiſſimum duco, quod ante occubueris, quam iſtam malorum profunditatem vidiſſes!*

v. 711. διαπεπόρθηται] *everſae ſunt Perſarum res;* quam quidem hyperbolen addita clauſula mollit, ὡς εἰπεῖν ἔπος.

v. 712. λοιμοῦ σκηπτὸς, *peſtilentiae*, morbi alicujus contagioſi, *impetus.*

v. 715. κενώσας — πλάκα] *tota continente viris exhauſta.*

v. 716. πεζὸς — τάλας] *Num vero terreſtri aut navali exercitu ſtultiſſimam hanc expeditionem ſuscepit miſer?*

v. 717. διπλοῦν μέτωπον ἦν δυοῖν στρατευμάτοιν] *duplex erat facies duorum exercituum*; exquiſitius dictum. Vulg. στρατηλάτων ſic reddidit Stanl. *duplex erat acies duorum imperatorum.*

v. 718. τοσόσδε] Magnitudinem ſcil. exercitus Darius collegerat e verbis Atoſſae v. 713.

v. 721. Abreſchius dubitat, an poſt ὧδ' ἔχει puncto appoſito, ſequentibus verbis γνώμης — ξυνήψατο Darii nomen, v. 722. Atoſſae, v. 723. 724. iterum Darii praefigendum ſit. At vulgata perſonarum diſtinctio multo aptior eſt. Atoſſa enim non ſine dubitatione quadam, ut mulierem et matrem decet, iſta pronuntiat: γνώμης δέ που τὶς δαιμόνων ξυνήψατο. q. d. *Mirum vero niſi adjutorem conſilii aliquem* deorum, *malevolum* ſcilicet, *nactus fuerit.* Darius vero iſta non ſolum confirmat, verum etiam auget:

get: *Heu*, inquiens, *magnus in eum daemon irruit, ut sic insaniret.*

v. 723. ὡς — κακόν] *Adeoque jam videre licet, quam malum facinora ejus exitum habuerint.*

v. 724. Καὶ τί — ἐπιστενάζετε] Universe quidem Atossa deletum esse Persarum exercitum indicaverat; nondum tamen quomodo rem male gessissent narraverat. Id igitur nunc jam Darius exquirit.

v. 725. Ναυτικὸς στρατὸς] conf. v. 405—430. et v. 445 sqq. 478 sqq.

v. 727. cum v. 729. arctissimo nexu cohaeret, interpellante Atossam Dario. Sensus: *ita quidem, ut Susorum urbs vastitatem virorum lugeat, — et Bactriorum universus populus, in eoque senex nullus, verum omnes juvenes interierint.*

v. 728. κενῆς ἀρωγῆς] Verior nobis videtur altera lectio, κεδνῆς, quippe quae gravitate et ironiae acerbitate commendatur. Sic v. 924. κεδνὰς ἀλκάς. Vulgata lectio librarii manum prodit, qui κενῆς ex antecedente κεναυδρίαν temere repetiit. Si vero κεδνῆς serio potius accipere velis, haud repugno; tumque inest misericordiae significatio, quemadmodum v. 730. et 924.

v. 729. Βακτρίων δ' ἔρρει πανώλης ὄλβιος] „Non bene interpres *perditissimus populus:* neque enim hic πανώλης notat τὸν ἄξιον ὀλέσθαι, ut in Suppl. v. 101. Verum ἔρρει π. valet hic *funditus perit, occisione occisus est.* Aristid. Tom. II. p. 322. πανωλεθρίᾳ πράγματα ἀπολλυμένα, et noster fabulae praecedentis v. 558. πανώλεις παγκάκως τ' ὀλοίατο." *Abresch.*

v. 730. ἥβην] pertinet Atossae dictum οὐδέ τις γέρων. v. 729.

v. 731. μονάδα — πολλῶν μέτα . . .] „Dario interloquente, Atossa abruptum sermonem continuat versu abhinc altero, unde hujus pendet structura. Μονάδα Ξέρ-

ξην dixit eadem licentia, qua Eurip. in Oreſt. v. 270. μανιάσι λυσσήμασι, quam conſtruendi rationem perperam ibi reprobat Schol. At quomodo μονὰς Ξέρξης fugit, cui ipſe poëta paucos quosdam dat fugae comites? Nempe perinde hoc accipiendum, tanquam legeres φυγόντα Ξέρξην ἔρημον ὀλιγοστὸν, prout loquitur Joſeph. contra Apion. Lib. I §. 20 Ἡττηθεὶς τῇ μάχῃ, καὶ φυγὼν ὀλιγοστὸς — vel ut Herodot. lib. VI. c. 15. μετ' ὀλίγων ξυμμάχων μεμονωμένοι; atque iterum Joſeph. in vita ſua §. 118. μεμονωμένος μετὰ τῶν οἰκείων." *Abreſch.* Ceterum Atoſſa nic ea refert, quae ex nuntio acceperat. cf. v. 297. 468. 508. *Narrant vero*, inquit, *Xerxem ſolum ac deſertum paucis comitibus lubentem ad pontem illum duabus* continentibus *junctum pergere* ἄσμενον, quia in tantis malis praeclare ſecum actum putabat, ſi ſalvus ipſe hoſtes effugeret.

v. 732. τελευτᾷν] Intelligendum e ſuperiore verſiculo φασί. Nimirum cum iſta verba

Μονὰς δὲ Ξέρξην ἔρημόν φασιν οὐ πολλῶν μετὰ . . .

lentius Atoſſa pronuntiaſſet, ac poſt μετὰ pauſam quandam faceret loquendi, Darius impatiens morae eam interpellat, his verbis: *Quomodo autem et quorſum ajunt eum finire? Eſtne quaedam ſalus?* h. e. habesne mihi de ſalute Xerxis dicere? Si quis tamen malit τελευτᾶς, nihil impedio. Simillimam enim rationem infra v. 784. reperimus, ubi Chorus:

Τί οὖν; ait, ἄναξ Δαρεῖε, ποῖ καταστρέφεις
Λόγων τελευτήν; πῶς ἂν ἐκ τούτων ἔτι
Πράσσοιμεν ὡς ἄριστα Περσικὸς λεώς;

v. 734. Iterum paterni animi de filii ſalute ſolliciti ſenſum prodit Darius, quaerendo: *Et ſalvum ad hanc continentem evaſiſſe?* (ſcil. φασίν;) *Hoccine verum?*

v. 735. ναί στάσις] *Ita eſt; hoc certa narratione vincitur*, h. e. confirmatur; *neque, quod ad hanc quidem partem attinet, ulla ei ambiguitas* vel *discrepantia ineſt.* Graeca ſic ſupplenda: Κατὰ τοῦτό γε οὐκ ἔνεστι λόγῳ στάσις.

σις. Στάσις vero de rumorum discrepantia, quae fidem imminuit.

v. 736 ſqq. Nullam antea hujus oraculi mentionem factam eſſe videmus; neque vero ad evidentiam fictionis ſpectatorum intererat, cui aut quando iſtud oraculum datum eſſet, ſcire. Satis erat poëtam ſic induxiſſe Darium loquentem, ut quin is ſerio atque ex animi ſententia diceret, dubitandum non videretur.

ταχεῖα — τρᾶξις] *nimis cito ſecutus eſt oraculorum eventus, citius,* quam ſperavi equidem et optavi, *perfecta ſunt.* πρᾶξις χρησμῶν et τελευτὴ θεσφάτων ſynonyma.

ἐς δὲ — θεσφάτων] *Et quidem filium meum deus oraculorum exitu perculit.*

v. 738. „ἤὐχουν ἐκτελευτήσειν non ſatis vertit accurate interpres; αὐχεῖν nunquam, quod ſciam, notat εὔχεσθαι, *orare;* reddere debebat: *ſperabam, opinabar.*" *Abreſch.*

v. 739. ἀλλ' — ξυνάπτεται] *Sed quando quis ſuis ipſius conſiliis, ſuapte ſponte* in perniciem *ruit, deus quoque ſe ad eam rem,* ad accelerandum exitium, *adjungit.*

v. 740. νῦν κακῶν ἔοικε πηγὴ —] Hoc vulgo de ipſis malorum fluctibus intelligunt. Stanl. vertit: *Nunc videtur fons malorum omnibus amicis emergere.* Gallus interpres: *Mon fils a ouvert dans cet empire une ſource intariſſable des maux.* Ego vero ſic potius accipienda cenſeo: *Nunc omnibus amicis meis fons malorum inventus,* h. e. a me expoſitus eſſe videtur; quo pacto πᾶσιν φίλοις ad ſenes Choricos, πηγὴ κακῶν ad cauſam malorum ab ipſo Dario modo declaratam pertinebit. Cauſas nimirum has indicaverat, *primum* oraculorum praedictionem, *deinde* et Xerxis impotentiam, qua exitium ſibi ſuis quaſi jumentis advexerat, *poſtremo* divini numinis συνέργειαν.

v. 741. οὐ κατειδὼς] *haec non ſatis apud animum reputans.*

ἤνυσεν νέῳ θράσει] *juvenili audacia feſtinavit.*

v. 742 ſqq. ὅστις — κρατήσειν] *Qui ſacrum Helleſpontum, tanquam ſervum, vinculis ſe cohibiturum ſperavit, Bosporum dei numine fluentem, fretumque*, ponte ſcil. inſtrato, *immutavit, injectisque pedicis malleo fabricatis ingenti exercitui viam paravit, cumque mortalis eſſet; ſtolido tamen conſilio deos omnes, imprimis Neptunus ſe ſuperaturum eſſe, opinatus eſt.* δεσμώματα non interpretor de vinculis, quae rupto priore ponte, Xerxes furibundus in Hellespontum, et tanquam caſtigandi cauſa demitti juſſit, additis etiam, ut erat hominis inſania, CCC verberibus, Herodot. VII. 35. nam de iſta filii petulantia nihil Darius ipſe audiverat; verum univerſe de pontis Hellesponto injecti retinaculis. Βόσπορος hic eſt Hellesponti ſynonymum. Is dicitur ῥεῖν ῥόον θεοῦ, ſublimi ſententia (*den Strom Gottes ſtrömen*), quae nobis in memoriam revocat magnificum illud e libro Jobi carmen, cap. XXXVIII. 8—11. μετερρύθμιζε ad pontem ſpectat, quem Xerxes Hellesponto impoſuerat, ita ut pars freti in iſthmum mutata eſſe videretur. Huc referenda ſunt illa Herodoti: VII. 36. ἐπειδὴ δὲ ἐγεφυρώθη ὁ πόρος, κορμοὺς ξύλων καταπρίσαντες, καὶ πονήσαντες ἴσους τῇς σχεδίης τῷ τύρει, κόσμῳ ἐπετίθεσαν κατύπερθε τῶν ὅπλων τοῦ τόνου· θέντες δὲ ἐπεξῆς, ἐνθαῦτα αὖτις ἐπεζεύγνυον, ποιήσαντες δὲ ταῦτα ὕλην ἐπεφόρησαν. Κόσμῳ δὲ θέντες καὶ τὴν ὕλην, γῆν ἐπεφόρησαν. κατανύξαντες δὲ καὶ τὴν γῆν φραγμὸν παρείρυσαν ἔνθεν καὶ ἔνθεν, ἵνα μὴ φοβέηται τὰ ὑποζύγια τὴν θάλασσαν ὑπερορῶντα, καὶ οἱ ἵπποι.

v. 744. πέδαις σφυρηλάτοις de anchoris ferreis interpretor, quibus Xerxes teſte Herodoto pontem alligaverat. cf. v. 719.

v. 745. πολλὴν κέλευθον — στρατῷ] vid. ſupra v. 718. ἀνύειν κέλευθον h. l. non *emetiri viam*, ut Stanl. intp., ſed *parare, facere.*

v. 747. πρὸς τάδ'] „Sic pro vulg. πῶς τάδ' legendum arbitror. i. e. *Proinde nonne* (quod dixi jam antea v. 722.) *infa-*

*insania invasit filium meum?* Sic πρὸς τάδε et πρὸς ταῦτα nostri saepissime aliique Attici. Vid. Prometh. 1038. Sept. adv. Theb. 314." *Abresch.*

v. 749. ἀνθρώποις] „Observanda hic venit structura ἀνθρώποις τοῦ φθάσαντος pro ἀνθρώπων, dandi casu posito ἀντὶ τῆς γενικτικῆς colophonio schemate. Supra v. 208. δρόμῳ πτεροῖς ἐφορμαίνει ἱέραξ. et in Agam. v. 587. θεοῖς λάφυρα ἐπασσάλευσαν δόμοις. Vide Lesbon. lib. περὶ σχημ. novissi. Ammonii editioni subjunctum p. 181." *Abresch.*

v. 750. τοῖς κακοῖς ἀνδράσιν] „Ex his praecipue Mardonius, qui secundum Herodotum νεωτέρων ἔργων ἐπιθυμητὴς, vel ut Diodorus, μετέωρος τῷ φρονήματι, καὶ τῇ ἡλικίᾳ ἀκμάζων, et Onomacritus, quem dicit Herodotus χρησμολόγον τε καὶ διαθέτην χρησμῶν τοῦ Μουσαίου. lib. VII. 6." *Stanl.*

v. 753. ἔνδον αἰχμάζειν] Acerba inest Xerxis irrisio, cum Dario comparati. Cum bellica enim Darii laude, πλοῦτον ξὺν αἰχμῇ κτήσαντος, confertur Xerxis umbratilis desidia ἔνδον αἰχμάζοντος. Et fortasse proverbii instar usurpata est phrasis ἔνδον αἰχμάζειν, certe Stanleji emendationem ἀκμάζειν minime praetulerim.

v. 756 sqq. ἔργον — οἷον οὐδέπω τόδ' ἄστυ Σούσων ἐξεκείνωσεν πεσὸν] „Stanlejo adsentior adversus Scaligeri crisin haec tuenti, jungentique sublata hypostigme post οὐδέπω cum sequentibus, quomodo et manifesto locum legit Scholiastes, qui sensum adsecutus est, quem verba postulabant, et quem sequi debebat interpres. Ordo est οἷον (ἔργον) οὐδέπω πεσὸν ἐξεκείνωσε τόδε (sic enim lego cum Schol. pro vulg. τὸ δὲ) τὸ ἄστυ Σούσων. Πεσὸν ἔργον s. πρᾶγμα dictum, ut in Agam. v. 32, εὖ πεσόντα τὰ τῶν δεσποτῶν. Eurip. in Electr. v. 639. πρὸς τὸ πίπτον αὐτὸς ἐννόει. In Alcest. v. 1100. εἰς δέον πέσοι χάρις. Et Med. v. 54. τὰ δεσποτῶν κακῶς πιτνοῦντα. —" *Abresch.*

ἐξεκείνωσεν] cf. supra v. 117. et v. 548.

v. 762.

v. 762. Μῆδος] De Aeſchylea regum Perſiae ſerie vid. Excurſ. ad h. l. — στρατοῦ, *populi*.

v. 763. τόδ' ἔργον ἤνυσε, *hoc opus perfecit*, hoc eſt regnum firmavit ac ſtabilivit.

v. 769. θεὸς — ἔφυ] *Deus enim ei non infeſtus erat, non adverſabatur*, quia ſapiens ac modeſtus erat, nec deos ut Xerxes (coll. v. 746.) negligebat.

v. 771. Μέρδις] Primus (quem ſe Brunckius V. C. recordari negabat) emendatae hujus lectionis auctor eſt Rutgerſius var. lect. p. 231.

v. 781. ξυνήλικες] Senes choricos alloquitur. Cf. v. 678.

v. 782 ſq. *Nos omnes, qui umquam hoc imperium tenuimus, nemini profecto videamur tantas calamitates* Perſiae *intuliſſe*. Daweſio hoc parum commode dici videbatur, ob Smerdin; ſed etſi hic ignobilitate ſua dedecori Perſis erat, nullam tamen eo regnante Perſae cladem acceperunt, quod recte animadverſum eſt ab Heathio.

v. 792. αἴρομεν στόλον] Cum Darius dixiſſet, ipſum Graeciae ſolum hoſtes ſuperbos fame enecare, in mentem veniunt Choro, quae cum Xerxe fuga evaſerant copiae; itaque ſic reſpondet: *At expeditum et lectum recipimus exercitum*. Ut enim αἴρειν ſaepe eſt *reportare*, ſic etiam *recipere*, *reducere* notare poteſt. Quare nos hanc lectionem e conjectura in textum induxiſſe, facile, ut ſpero, probabunt lectores, donec meliora quis excogitaverit. Obſerves autem velim, eum non dicere πολὺν, ſed tantum εὐστελῆ καὶ λεκτὸν, quia jam ex nuntio audiverat paucos, pro tanta, quam eduxerat Xerxes, multitudine redituros eſſe.

v. 793. Darius Chori ſpem, quam in illo exercitu poſuerat, his verbis infringit: *minime vero delectam manum recipietis; imo ne ille quidem exercitus, qui etiamnum in Graecia relictus eſt, ſalvus redibit*. Haec et ſequentia divinitus a Dario dicuntur; certe aliunde nihil de exerci-

ercitu illo ſub auſpiciis Mardonii in Graecia relicto acceperat.

v. 795. Chorus, cui nuntius nihil de parte copiarum remanente narraverat, haud ſine cauſa miratur id, quod modo regem dicentem audiverat.

v. 798. θεσφάτοισιν] Hic aperte prodit Darius ſe iſta, quae jam dicturus ſit, ex oraculis divinare.

v. 799. συμβαίνει γὰρ οὐ τὰ μέν, τὰ δ' οὔ] *Non enim haec eſſe ſolet oraculorum ratio, ut alia earum pars rata, alia irrita ſit, ſed omnia potius eventum habent.* cf. Herodot. VII. 77.

v. 800 ſq. πλῆθος ἔκκριτον στρατοῦ λείπει] nempe ſub Mardonii, ut diximus, imperio. cf. Herodot. VIII. 15 ſqq.

κεναῖσιν ἐλπίσιν] Fortaſſe hic reſpicitur ad vanam oraculorum interpretationem, qua ſibi ſuisque blandiebatur Mardonius, teſte Herodoto VIII. 42 ſq.

v. 802. Ἀσωπὸς] vid. eund. VIII. 40.

v. 803. φίλον πίασμα Βοιωτῶν χθονί·] graviter et acerbe dictum: *in Boeotia occubituri; ejusque ſolum cadaverum ſuorum grata* ſcil. Boeotis *pinguedine infecturi.*

πίασμα] Sic Amphiaraus Sept. adv. Theb. v. 589. ἔγωγε μὲν δὴ τήνδε πιανῶ χθόνα.

v. 805. ἄθεα φρονήματα ſunt *impia hominum deos negligentium conſilia.*

v. 806 ſq. οὐ θεῶν βρέτη ᾐδοῦντο συλᾶν] „Themiſtocles apud Herodotum VIII, 109. de Xerxe loquens, ἐς τὰ ἱρά, inquit, καὶ τὰ ἴδια ἐν ὁμοίῳ ἐποιέετο, ἐμπιπράς τε καὶ καταβάλλων τῶν θεῶν τὰ ἀγάλματα." *Stanl.*

v. 807. οὐδὲ πιμπράναι νεώς] „Perſas Graecorum templa ſpoliaſſe et cremaſſe a Diodoro Siculo proditum eſt lib. VI. De quibus etiam Iſocrates in Panegyr. οἱ δὲ καὶ τὰ τῶν θεῶν ἔδη καὶ τοὺς νεὼς συλᾶν ἐν τῷ προτέρῳ πολέμῳ, καὶ κατακαίειν ἐτόλμησαν. Unde Alexander apud Curtium lib. III. queritur *diis dedita templa, ruinis et ignibus*

*nibus* ab ipſis *eſſe deleta*; unde et Cicero II. in Verr. eos *diis hominibusque bellum indixiſſe* ait. Qua vero ratione hoc factum velint ipſi Perſae, ab eodem diſcimus, de Legib. lib. II. *Nec ſequor*, inquit, *Magos Perſarum, quibus auctoribus Xerxes inflammaſſe templa Graecia dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent eſſe patentia et libera.* Aliam tamen cauſam aſſignat Herodotus lib. V. 102. nempe quia Athenienſes Sardibus ignem intuliſſent, et templum Cybeles indigenae deae concremaſſent. καὶ Σάρδιες μὲν, inquit, ἐνεπρήσθησαν, ἐν δὲ αὐτῇσι καὶ ἱρὸν ἐπιχωρίης θεοῦ Κυβήβης." *Stanl.*

v. 808. βωμοὶ δ' ἄϊστοι] *araе vero disturbatae deorumque ſedes paſſim ab imis fundamentis everſae ſunt.*

v. 810 ſqq. τοιγὰρ — ἐκπιδύεται] *Quapropter mala cum patraverint, haud minora patiuntur, et paſſuri ſunt, neque enim jam ſubeſt fundus malorum, ſed potius etiamnum emicare et ſcaturire pergunt.* Statim, ut opinor, verſione hac lecta intelliges, cur pro vulg. ἐκπαιδεύεται, quod ab hoc loco alienum eſt, correxerimus ἐκπιδύεται. Hoc etiam allegoriae conſecutio poſtulat. Imago enim petita eſt ex natura fonticuli aut putei, qui non prius exhauritur, quam ad fundum perveneris.

v. 813 ſq. Τόσος — ὕπο·] *Tantum ſcilicet in agro Plataeenſi ſub haſta Dorienſi ſanguinis concrementum erit.* πέλανος αἱματοσταγὴς, noſtris: *ein Blutbad.* Quod autem Darium de clade Plataeenſi vaticinantem fecit poëta, id et ad Chori ſenſum terrore ac ſtupore percellendum appoſite, et ad Athenienſium aures demulcendas callide excogitavit.

v. 815 ſqq. *Cadaverumque acervi ad ipſos usque nepotes muti quidem, at clare ſignificabunt hominum oculis, neſas eſſe mortalem natum ſuperbire ac nimium ſibi arrogare.* Graviſſima ſententia, magnificis verbis elata! Magnam vero vim habet ex ἐναργείᾳ imaginis.

v. 818 ſq. ὕβρις — θέρος] *Inſolentia enim efflorescens ſpicam ſceleris ferre ſolet, unde homo lacrymoſam meſſem metit.*

*metit.* Nec veritatem praecepti, nec translationis pulchritudinem ſatis aſſequuntur, qui ἄτης h. l. interpretantur *damni*, cum ſit magis aliquot *peccatum*, ſ. *flagitium*. Eſt enim opinio multum inter veteres celebrata, deum homines ſaſtu inſolentes et contumelioſos in majora peccata conjicere ſolere, unde tandem ſumma calamitas erumpat. Sic Νεφέλαι apud Ariſtoph. Nub. v. 1489. quaerenti ſeni, quod ſe nec opinantem deceperint et in mala conjecerint, reſpondent:

ἀεὶ ποιοῦμεν ταῦθ' ἑκάστ' ὅτ' ἄν τινα
γνῶμεν πονηρᾶν ὄντ' ἐραστὴν πραγμάτων
ἕως ἂν αὐτὸν ἐμβάλωμεν εἰς κακόν
ὅπως ἂν εἰδῇ τοὺς θεοὺς θεραπεύειν.

v. 822. ὑπερφρονεῖν τὸν παρόντα δαίμονα, eſt, praeſente fortuna non contentum, ſed elatum ad altiora adſpirare.

v. 823. ὄλβον ἐκχέῃ μέγαν.] cf. v. 161.

v. 826. σωφρονεῖν κεχρημένον, *ſapientia et moderatione animi indigentem*, *der's ſehr nöthig hat zu Verſtande zu kommen.* Id ſententiae multo aptius eſt, quam σωφρονεῖν κεχρημένοι, *praediti prudentia*, ut Abreſchius, ſ. *qui ſoliti eſtis eum inſtituere*, ut Stanlejus reddidit.

v. 827 ſq. πινύσκετ' εὐλόγοισι — θράσει] *vos eum prudentibus admonitionibus ad mentis ſanitatem informate, ut tandem inſolenti audacia deos laedere deſinat.*

v. 829 ſqq. σὺ — παιδί] *Tu vero grandaeva, cara Xerxis mater, domum regreſſa, ornatu decoro ſumto filio obviam i!* — κόσμος εὐπρεπής, *veſtes* regali ſaſtigio *dignae.*

v. 831. πάντα γὰρ] Quorſum hoc πάντα pertineat, quoque jure Stanlejus verterit *plane*, equidem non dixerim. Durum etiam videtur, cum Heathio interpretari κατὰ πάντα ſ. παντᾳῇ. Quocirca mihi quidem legendum eſſe videtur:

παντὶ

παντὶ γὰρ
κακῶν ὑπ' ἄλγους λακίδες ἀμφὶ σώματι,

unde hic ſenſus exſiſtit: *circum totum enim corpus prae dolore his ex malis concepto laciniae variegatarum veſtium laceratae pendent.* Sic Germani quoque: *Die Lappen hängen ihm um den* GANZEN *Leib.*

v. 834. ἀλλ' αὐτὸν — λόγοις] *Tu vero cura, ut eum benevolis alloquiis mitiges.* Convenientia perſonis, cum alias plerumque, tum hic imprimis reddidit Aeſchylus. Senibus enim, ut monendo corrigerent Xerxem, matri, ut blandis verbis conſolaretur, praecipientem Darium induxit. Id enim eſt πρᾳΰνειν, *animi dolorem mitigare ac mollire.*

v. 835. μόνης γὰρ — κλύων ἀνέξεται] Stanlejus, participium κλύων arctiſſime cum ἀνέξεται connectens, reddidit: *Novi enim quod te ſolam audire ſuſtinebit.* At ſi ſolam matrem auditurum eſſe Xerxem Darius noverat, fruſtra ſenibus imperaverat, ut eum hortando melius in poſterum ſapere docerent. Referendum igitur eſt ad primum matris cum filio colloquium, in quo uno Xerxes impotentia doloris abreptus acquieſcere poſſe videbatur. Hoc pacto illa his verbis ſententia ſubjicitur: *Novi enim eum tuis unius verbis parentem, tuo ſolius dicto audientem, hoc a ſe impetraturum eſſe*, ut ſe *contineat*, *ut* iſtam calamitatem *perferat*, *neve gravius* quid *in ſe ſtatuat*, *aut vitae pertaeſus violentas ipſe ſibi manus inferat.*

v. 836. ἐγὼ — ὑπὸ ζόφον κάτω] „Sic γῆς ὑπὸ ζόφον Eurip. Hippol. v. 1416. et Hec. 208." *Abreſch.*

v. 837 ſqq. Prudenter humaniterque Darius diſcedens Chorum a triſtitia ad hilaritatem revocat, vitaeque bonis, quorum nullus ſit apud inferos uſus, dum liceat, frui jubet.

IN

## IN SCENAM VII.

*v.* 840—848.

Poſtquam Darii umbra diſparuit, Chorus pariter atque Atoſſa, quomodo ejus oratio animos effecerit, paucis verbis produnt.

v. 840. καὶ μέλλοντ' ἔτι] refertur ad ea, quae Darius v. 797 ſqq. 811 ſqq. dixerat.

v. 842 ſq. πόλλ' ἐςέρχεται κακὰ ἄλγη] Verius fortaſſe fuerit κακῶν ἄλγη, ut v. 832.

v. 843. μάλιστα — δάκνει] In his verbis et matrem et mulierem facile agnoſcas. Materni enim affectus eſt, filii miſeria quam regni calamitate propius tangi; muliebris vero ſenſus, veſtes laceratas in maxima infortunii et ignominiae parte ponere.

v. 848. προδώσομεν] Haec elocuta regina discedit, nec poſtea in ſcenam revertitur. Et callide quidem hoc inſtituit Aeſchylus; gratius enim populo Athenienſium futurum eſſe intelligebat, ut tragoedia in dolore Xerxis, quam in conſolatione finiretur.

## IN SCENAM VIII.

*v.* 849—904.

Novum Chorus orditur carmen, quo Darii laudes ac merita celebrat; apte illud quidem et convenienter. Pietati enim conſentaneum erat, quem modo ab inferis regreſſum adoraſſent, ejus vivi clara facinora memoria recolere; triſtitiae vero et curae, quae nunc animos affligebat, priſtinam fortunam, unde ſe jam dejectos eſſe ſentiebant, reminiſci.

v. 850. πολισσόνομος βιοτὰ i. q. πολιτεία.

v. 855 ſq. πρῶτα μὲν εὐδοκίμου στρατιᾶς ἀπεφθινόμεθ'] Abreſchius πρῶτα Attice pro πρῶτοι dictum eſſe opinatus,

ſic reddidit: *inter alias gentes probato exercitu primas tulimus*, vel *primi fuimus;* quod, quamquam nobis quidem non perſuaſit, melius tamen eſt Heathii ratione, hoc modo interpretantis: *quae primas tenent in probatiſſimo exercitu exercebamus.* Ego vero vel vulgatae hunc ſenſum tribuendum eſſe cenſeo: *Primum quidem ob exercitum laude et gloria florentem clari eramus;* ut ἀποφαίνεσθαι, *monſtrari*, de celebritate ſic dicatur, quemadmodum monſtrari in Horatiano illo: *quod monſtror digito praetereuntium —;* vel mutatione leviſſima ſic emendandum:

πρῶτα μὲν εὐδόκιμοι
στρατιᾶς ἀπεφαινόμεθ'.

*Primum quidem clari ab exercitu, clari bellicis expeditionibus apparebamus.* ἠδὲ νόμιμα τὰ πύργινα πάντ' ἐπεύθυνον, *ac bonae leges rempublicam domi optime conſtitutam ſervabant.* Hac igitur ratione eundem fere ſenſum verborum aſſequimur, ad quem Cl. Brunckius alia via aggreſſus eſt. Is enim ἀποφαινόμενα reponit, conſtructionemque ſic inſtituit: πρῶτα μὲν τὰ ἀποφαινόμενα νόμιμα εὐδοκίμου στρατιᾶς, καὶ τὰ νόμιμα τὰ πύργινα πάντα ἐπεύθυνον· ut τὰ ἀποφαινόμενα νόμιμα εὐδοκίμου στρατιᾶς ſignificent *leges circa rem militarem, inſtituta, quibus bellum feliciter et glorioſe adminiſtratur*, τὰ πύργινα νόμιμα vero *civilia inſtituta, leges, quibus urbes muris et turribus munitae reguntur.* Nobis vero νόμιμα (pro νόμοι) primus, τὰ πύργινα autem quartus caſus eſſe videbatur. *Foris*, inquit Chorus, *bello clari eramus, domi resp. legibus optime conſtituta.* Hermannus tamen in comm. de metris Pindari, νομίσματα πύργινα reponendum cenſuit; quod ſane placet.

πρῶτα μὲν optime Stanlejus vertit *primum quidem;* cui deinde ἠδὲ, et in tertio membro δὲ reſpondet „pro ἔπειτα δὲ, ut Eurip. Med. 125. Sic poſito in priori membro τοῦτο μὲν, non ſemper in altero ſequitur τοῦτο δὲ, ſed quandoque nudum δὲ, e. c. Sophocl. Aj. 670. Oed. Col. 440. Sic poſt τοῦτο μὲν Oedip. Syr. v. 605. ſequitur

τοῦτο

τοῦτον ἄλλος, ſequitur εἶτα Philoct. 1345. ἔπειτα δὲ Antig. 63." *Brunck.*

v. 858 ſqq. νόστοι δ' ἐκ πολέμων —] *reditusque e bellis nos ſine labore, ſine calamitate felices domum reduxerunt*, ſ. quoties ex bello revertebamur, ſoſpites atque incolumes, nulla clade accepta, redibamus.

v. 861. ὅσας —] *Quot vero ille urbes in deditionem accepit, ne Halyn quidem fluvium transgreſſus, neque domo ſua motus!*

v. 865. Ordo eſt: οἷαι (πόλεις) Θρηκίων ἐπαύλων Ἀχελωΐδες εἰσὶ πάροικοι Στρυμονίου πελάγους, *quae urbes Thraciae maritimae Strymonio ſinui maris Aegaei adjacent.* Ἀχελωΐδες non ſunt Acheloides inſulae, quas ignorant hoc loco Geographi, ſed ἀχελωΐδες πόλεις dicuntur urbes maritimae, quia, ut recte monet Scholiaſtes, omne ὕδωρ Ἀχελῶον appellabatur. Θρήκια ἔπαυλα Stanlejus de tuguriis et mapalibus intelligit; nos ſimpliciter *Thracum ſedes*, h. e. *Thraciam* dictam eſſe volumus.

v. 868. λίμνας τ' ἔκτοθεν cum opponi videatur τοῖς Στρυμονίου πελάγους παροίκοις, recte, ut opinor, Heathius vertit, *procul a mari.*

v. 869 ſq. Κατὰ χέρσον ἑλκυσμέναι περὶ πύργον] *reductae circa terreſtrem* turrim *ſ. murum.* Sic enim verba procedere ſtatuo: κατελκυσμέναι χέρσον περὶ πύργον. Intelligit poëta, ni fallor, caſtellum vel murum, quod interiores Thraciae incolas a Cherſoneſo Thraciae ſejungebat, cujus generis fuit μακρὸν τεῖχος a Plinio lib. IV. c. II. memoratum: *Oppida: Cypſella Biſanthe, Macron Tichos dictum, qua a Propontide ad Melanem ſinum inter duo maria porrectus murus procurrentem excluſit Cherſoneſum.*

αἳ — ἄϊον] *quae huic regi parebant.*

v. 872 ſq. Ἑλλὰς τ' ἀμφὶ πόρον πλατὺν αὐχόμεναι] *et* urbes *circa latum Hellespontum ſuperbientes;* quod exquiſite et ſplendide dictum eſt pro *poſitae.*

v. 874. μυχια τε Προποντὶς, *et Propontidis receſſus, ſinuoſa Propontis.*

v. 875. στόμα Πόντου eſt Boſporus Thracius.

v. 876 ſq. πρῶν' ἅλιον nullo modo cum Schol. de Hellesponto accipere licet. Intelligitur *promontorium* aliquod Aſiaticum e. c. Canae, ubi exadverſum ſitae ſunt ſunt inſulae, quae deinceps nominantur.

v. 877. 878. τᾷδε γᾶ] ſcil. *Aſiae.* Omnes enim, quarum hic mentio fit, inſulae, propius ab Aſiae littore abſunt. περίκλυστοι autem commune eſt epitheton inſularum, *circumfluae.*

v. 883. 884. Andros inſula dicitur Teno συνάπτουσ' ἀγχιχείτων, h. e. ei tantum non *continens* ac *vicina.*

v. 885. 886. καὶ τὰς ἀγχιάλους ἐκράτυνε μεσακτίους] „Vocem μεσάκτους, quae vulgo legebatur, *medio conſtrictos* ſignificare, concedi forſan poteſt; at ut κρατύνειν νῆσον μέσακτον ſignificare credam *totam inſulam obtinere*, nondum equidem adducor. Neque appoſitio iſta, quam inter has inſulas et Cyprum a poëta notatam obſervaſſe ſibi viſus eſt Pauwius, ulla eſſe videtur. Nam et Cyprus tota primum Dario tributaria facta diu in ejus ditione permanſit, deinde rebellante tota inſula praeter ſolos Amathuſios, iterum ejusdem auſpiciis tota in ſervitutem redacta eſt. Vide Herodot. lib. III. 91. et v. 103 — 116. Robortellus et Turnebus μεσάκτους ediderunt; ſed vocem hanc Graecam eſſe negat Pauwius, cum ab ἄκτη non fiat μέσακτος, ſed μεσάκτιος. Recte quidem! Sed quid prohibet, quo minus μεσακτίους hic reponatur? An minus hic convenit periodus, quam pherecratius, aut anapaeſticus? Μεσακτίους igitur has inſulas dicere potuit poëta, quia μέσον quodammodo obtineat inter Aſiae Europaeque ἄκτας. Epitheton enim hoc ad Lemnum et Icariam tantum pertinet, et ad καὶ Ῥόδον repeti ἀπὸ τοῦ κοινοῦ debet ἐκράτυνε." *Heath.* Nempe haec deſcriptio ἀγχιάλους μεσακτίους opponitur illi κατὰ πρῶν' ἅλιον — τᾷδε γᾷ προσήμεναι.

μεναι. Attamen quomodo Paros, Naxus, Myconus, Tenus et Andrus a poëta ſic deſcribi potuerint, γᾷ προσήμεναι non intelligo. Imo hae inſulae a littore Aſiae reductiores ſunt, quam Lemnus et Icaria, quas tamen μεσακτίους appellat. Forte igitur legendum:

Χῖός τ', ἠδὲ Πάρος,

ut praeter iſta οἷα — Χῖός τ' nihil ad illam deſcriptionem referatur, ceterae vero inſulae ſic enumerentur, ut unice a νᾶσοί θ', non ab adjunctis αἱ προσήμεναι pendeant.

v. 891. Σαλαμῖνα, nimirum illam Teucri, patrem patriamque fugientis, in Cypro coloniam. Inde Athenae dicuntur hujus Salaminis ματρόπολις.

v. 894 ſqq. εὐκτεάνους κατὰ κλῆρον Ἰόνιον — Ἑλλάνων ſcil. πόλεις. Notiſſima eſt Graecarum in Ionia coloniarum populoſitas et opulentia.

v. 897 ſq. ἀκάματον σθένος] *inſuperabile robur.*

v. 900 ſqq. οὐκ ἀμφιλόγως θεόπεπτα τάδ' αὖ φέρομεν] *Nunc vero calamitoſam hanc deo auctore rerum converſionem experimur.* cf. v. 939.

## IN SCENAM IX.

*v.* 905 — *fin.*

Venit tandem Xerxes, adſpectu, habitu, fortuna miſerabilis; ſuasque querelas Chori quaeſtionibus, vituperiis, lamentationibus miſcet.

v. 905. ἰώ] *Heu me infelicem! Qui in abominandam iſtam et immenſam calamitatem inciderim.* ἀτέκμαρτος μοῖρα, *infortunium adeo magnum, ut, quale quantumque ſit, exputare non poſſis.* Germanis: *ein unüberſehliches Unglück.*

v. 907 ſq. ὡς — γενεᾶ] *Quam* crudeliter Perſarum *nationi inſultavit fortuna!*

v. 908. τί πάθω τλήμων] *Quid agam miſer?* Vox deſperantis de rebus ſuis.

v. 909. 910. λέλυται — ἀστῶν] *Labant mihi genua iſtam civium aetatem intuenti.* Nempe conſpectis Chori ſenibus tot millia juvenum robuſtorum ſibi periiſſe; nec fere quemquam niſi ſenem ſupereſſe dolet. Male igitur latinus interpres: *juventutem civium conſideranti.* Conf. v. 729. 439.

v. 913. κατὰ μοῖρα καλύψαι] tmeſis, pro μοῖρα κατακαλύψαι.

v. 914. Quemadmodum v. 855. εὐδοκίμου στρατιᾶς, ſic h. l. στρατιᾶς ἀγαθῆς, et ut ibi resp. legibus bene conſtituta, ita hic περσονόμος τιμὴ honos e domeſtica regni Perſarum disciplina celebratur.

v. 916. κόσμος ἀνδρῶν, i. q. alibi ἄνθος, e. c. v. 59. 921.

v. 917. ἀποκείρειν de floribus dicitur, ut Latini *detondere.*

v. 918 ſqq. γᾶ — Περσᾶν] *Terra vero cum gemitu luget Perſarum pubem a Xerxe mactatam, Orcum colonis implente.* σάκτωρ Ἄιδου, acerbiſſima regis reprehenſio. Bothius h. l. ſic refinxit: Γᾶ δ' αἰάζει τὰν ἐγγαίαν Ἥβαν Ἄϊδου σάκτορα Περσᾶν, verbaque Ξέρξᾳ κταμένᾳ gloſſatori deberi putat; idque parum abeſt, quin nobis perſuaſerit.

v. 921. χώρας ἄνθος, *flos et ornamentum patriae.*

v. 922 ſq. πάνυ γὰρ φύστις μυριὰς ἀνδρῶν, *utique enim decem millium hominum ſeges.* Haec dicens confirmat id, quod paulo ante dixerat, πολλοὶ φῶτες.

v. 924. αἰ αἰ — κεδνᾶς ἀλκᾶς] *Heu heu praeclarum robur!* Egregium regni praeſidium quod perdidi!

v. 925 ſq. βασιλεῦ, γαίας αἰνῶς] Quoniam γαίας cum ſequentibus conjunctum vix idoneum ſenſum praebet, optimum fuerit, comma poſt γαίας ponere; ita in his verbis

Ἀσία δὲ χθών, βασιλεῦ γαίας,

nova latebit vituperatio.

v. 926.

v. 926. αἰνῶς — κέκλιται] *gravi lapſu in genua cecidit;* i. e. viribus fracta eſt. „Sic Herodot. l. VI. c. 28. μετὰ δὲ ταῦτα ἡ ναυμαχίη ὑπολαβοῦσα ἐς γόνυ τὴν πόλιν ἔβαλε." *Abreſch.*

v. 933. Μαριανδυνοῦ Σρηνητῆρος] Mariandyni ſ. Mariandeni, Bithyniae populus. Apud eos ſolemnis erat cantilena, qua hominem quendam priſcum nomine Borimum inclamabant, quem viri illuſtris ac divitis filium, forma et aetatis vigore excellentem, cum ſuis intentus negotiis, meſſoribus quod biberent dare vellet, ideoque aquatum exiſſet, evanuiſſe narrabant. Ideo eum quaerentes indigenae flebilium canticorum lamentis proſequebantur. Auctor eſt Nymphis apud Athenaeum. (Deipnoſ. lib. XIV. c. 3. Cf. in Βώριμος. Item Polluc. Onom. et Heſych. in Μαριανδηνὸς Θρῆνος, et lib. IV. c. 7.) Scite igitur Chorus ab hac re colorem ſententiae duxit. Nam ipſi quoque tot millia civium, qui ad bellum exierant, nunquam rediturі, carmine lugent, eorumque deſiderio tabeſcunt. *Acclamabimus tibi*, inquiunt, *infauſtam vocem, lugubre carmen, quaſi Mariandyni cujusdam cantoris lacrymoſam naeniam.*

v. 936 ſq. Ἴετ' — αὐδάν] *Edite vero luctuoſam doloris et ejulatus plenam vocem!*

v. 939. μετάτρεπτος] cf. v. 901.

v. 940. ἧσω τοι καὶ πανόδυρτον] Niſi hic forte ſubſtantivum librariorum culpa excidit, repetendum eſt ex v. 935. ἰαχάν, vel αὐδάν e v. 937.

v. 941. λαοπαθῆ —] *celebrans calamitates luctuoſae hujus urbis progeniei ab hoſtibus immiſſas et a mari inflictas.* λαοπαθὴ βάρη clades, quam ab Athenienſium populo paſſi ſunt Perſae. ἀλίτυπα βάρη, illa nimirum ſupra narrata v. 406 ſqq.

v. 945. ἀπηύρα, ſcil. γένναν. *Graecorum enim navalis Mars* illum juventutis florem *eripuit, nobis adverſarius, infauſtum mare, et calamitoſa* (Pſyttaleae ſcil. inſulae, ubi

ii quos Xerxes in praesidiis reliquerat trucidabantur) *littora depopulatus.*

v. 948. νυχίαν πλάκα, propter oppositum δυςδαίμονα ἀκτὰν, de *maris aequore*, quam cum Abreschio de *navibus* capere praestat. νυχία πλὰξ eadem est, quae supra vocabatur θάλασσα ναυαγίων πλήθουσα καὶ φόνου βροτῶν, v. 418. δυςδαίμων ἀκτὰ quae fuerit, intelligitur e v. 445 sqq. κείρεσθαι, *demeti*, ad utrumque pulcre refertur. In maris enim aequore naves et milites classiarios, in insula Psyttalea equites peditesque demessuerant Graeci. νυχίαν, *nocturnam*, h. e. *funestam*, *infaustam*. Caliginis enim imagine saepius apud nostrum illustratur calamitatis notio.

v. 958 sqq. ὀλοοὺς ἀπέλιπον Τυρίας ἐκ ναὸς ἐρέσσοντας ἐπ' ἀκταῖς Σαλαμινίσι, στυφελοὺς θείνοντας ἐπ' ἀκτάς.] Repetitio vocabuli ἀκτὴ h. l. incommoda et parum decora. Itaque conjeci legendum θείνοντας ἐπ' ἄκρας, quod nuper in ordinem recepit Bothius.

v. 961. θείνοντας] Glossa in Reg. A. τυπτομένους. Supra v. 808. νικώμενοι κύρισσον ἰσχυρὰν χθόνα; quod hanc lectionem confirmat. Praepositio verbo jungenda: ἐπιθείνοντας στυφελοὺς ἀκτάς." *Brunck.*

v. 968. ἐπανηρόμαν] Malim optativum ἐπανεροίμαν.

v. 974. ἀσπαίρουσι χέρσῳ, *palpitant in terra.* Nimirum tanquam in rem praesentem deducit eos qui audiunt.

v. 975 sqq. ὀφθαλμὸν] ita dictum, quod ejus ope πάντα, ut loquitur Suidas (v. ὀφθαλμὸς βασιλέως) ὁ βασιλεὺς ἐπεσκόπει, *omnia* (scribit Apulejus de mundo) *quae ubique gererentur discebat.* Etenim Persarum regesi ministros quosdam habuere, qui ὀφθαλμοὶ βασιλέως, *imperatoris oculi* (reddente Apulejo), dicebantur a munere vel officio; quicquid enim in toto regno ageretur, eorum erat ad regem deferre. Hesychius: Βασιλέως ὀφθαλμός· ἐπέμπετό τις ὑπὸ βασιλέως ἐπίσκοπος, ὃς ἐφεωρᾶτο τὰ πράγματα,

ματα, ὃν τοῦ βασιλέως ὀφθαλμὸν ἐκάλουν. Aristides orat. panegyr. Cyzicena: Ὁ μὲν γὰρ τῶν Περσῶν βασιλεὺς ἐδόκει τι διάφορον κεκτῆσθαι τὸν καλούμενον βασιλέως ὀφθαλμόν. Dio Chryſoſt. Orat. III. de Regno: Ὁ μὲν Πέρσης ἕνα τινὰ ἔσχεν, ὀφθαλμὸν βασιλέως λεγόμενον, τοῦτον οὐ σπουδαῖον ἄνθρωπον. ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων· ἀγνοῶν ὅτι τοῦ ἀγαθοῦ βασιλέως οἱ φίλοι πάντες εἰσὶν ὀφθαλμοί. Quibus tamen verbis bis peccatum eſt; neque enim uni tantum, nec alicui e vulgaribus deferebatur hoc officium. Duos fuiſſe ait Scholiaſtes noſter, iſto munere functos; at Xenophon plures, imo multos; poſtquam enim eos refellerat, qui unicum exiſtimarunt, Cyrop. lib. VIII. 2. 10. [quamquam ibi Xenophon magis quid melius ſit, quam quid fieri ſoleat exponit, omninoque magis monendi principes cauſa, quam ad hiſtoriae veritatem disputare videtur.] εἰ δέ τις οἴεται ἕνα αἱρετὸν εἶναι ὀφθαλμὸν βασιλεῖ, οὐκ ὀρθῶς οἴεται· ὀλίγα γὰρ εἷς ἂν ἴδοι καὶ εἰς ἀκούσειε· mox ſubjicit, οὕτω δὲ πολλὰ μὲν βασιλέως ὦτα, πολλοὶ δὲ ὀφθαλμοὶ νομίζονται· καὶ φοβοῦνται πανταχοῦ λέγειν τὰ μὴ σύμφορα βασιλεῖ, ὥςπερ αὐτοῦ ἀκούοντος, καὶ ποιεῖν ἃ μὴ σύμφορα, ὥςπερ αὐτοῦ παρόντος. Ita et Lucianus de mercede conduct. ὦτα γὰρ καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέως πολλοὶ, οὐ μόνον ταληθῆ ὁρῶντες, ἀλλ' ἀεί τε προεπιμετροῦντες, ὡς μὴ νυστάζειν δοκοῖεν. Ariſtoteles Politic. lib. III. (Scholiaſtae Ariſtophanis in Acharn. laudatus) ἐπεὶ καὶ νῦν ὀφθαλμοὺς πολλοὺς οἱ Μόναρχοι ποιοῦσιν αὐτῶν. Quod etiam ait viros hoc officio functos graves non fuiſſe, ſed vulgares, rurſum falſus eſt Dio. Alpiſtum Xerxis ὀφθαλμὸν πιστὸν vocat Aeſchylus noſter, non otioſo epitheto: hoc enim titulo inſigniti erant proceres Perſici, quod vel ex hac fabula plus ſemel diſcendum eſt. Adhaec videntur πιστοὶ apud Perſas Eunuchi quidam, regi propter fidem ſummo in pretio. Etenim παρὰ τοῖσι βαρβάροισι (inquit Herodotus lib. VIII.) τιμιώτεροί εἰσιν οἱ Εὐνοῦχοι πίστιος εἵνεκα τῆς πάσης τῶν ἐνορχέων. Quod vero tales fuerint ὀφθαλμοὶ βασιλέως, ab Heliodoro diſerte proditum eſt, Aethiop. lib. VIII. Περσῶν γὰρ βασι-

λείας αὐλαῖς ὀφθαλμοὶ καὶ ἀκοαὶ, τὸ εὐνούχων γένος. οὐ παίδων οὐ συγγενείας τὸ πιστὸν τῆς εὐνοίας μεταστώσης, ἀλλὰ μόνου τοῦ πιστεύσαντος ἀναρτώσης. Enimvero regis oculi inter ſatrapas regni Perſici numerantur. Scholiaſtes ad illud Ariſtophanis in Acharn.

Καὶ νῦν ἄγοντες ἥκομεν ψευδαρτάβαν
Τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν·

οὕτω ἐκάλουν, inquit, τοὺς Σατράπας, δι' ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπεσκόπει, quem exſcriptum more ſuo tradit Suidas in ὀφθαλμὸς βασιλέως. Sic et Philoſtratus in vita Apollonii lib. I. Σατράπης δὲ τῇ Φρουρᾷ ταύτῃ ἐτέτακτο, βασιλέως τις εἶμαι ὀφθαλμός." *Stanl.*

ἦ καὶ — πεμπαστὰν — ἔλιπες] *Num etiam ibi Perſarum multa millia*, quorum imperator erat, *numerantem, tuum fidum oculum illic reliquiſti?* Etſi quae Stanlejum modo exponentem audivimus, vera ſunt, et idoneis ſcriptorum teſtimoniis confirmata, facile tamen fieri potuit, ut Aeſchylus hac translatione uſus nec ad illos apud Perſas proprie ſic dictos βασιλέως ὀφθαλμούς, nec ad eos, qui proprio nomine πιστοὶ appellabantur, reſpexerit, ſed potius πιστὸν ὀφθαλμόν, ſuo ingenio obſecutus, dixerit *fidum regis amicum.* Nam Germani quoque ejusmodi regis adminiſtrum ſimili metaphora appellant *des Königs rechte Hand.* πεμπαστὴς a πεμπάζειν, quod eſt proprie *quinos numerare*, univerſe autem de copiarum numeratione ponitur.

v. 981 ſqq. ὦ ὦ δαΐων — ἦτορ] In hisce verſiculis vel perſonarum diſtinctionem, vel ipſam quoque verborum ſeriem interpolatione quadam turbatam eſſe ſuſpicor. Non enim bene coëunt inter ſe ea, quae Chorus dicit, Πέρσαις — λέγεις, et quae ſubjungit Xerxes, ἴυγγα ὑπομιμνήσκεις — λέγων. Itaque vel verſum 982. ſuppoſititium eſſe judico, vel alternas dialogi partes ita diſtribuendas:

Ξέρξης.
ὦ ὦ δαΐων,

Χορός.

Χορός.

Πέρσαις ἀγαυοῖς κακὰ πρόκακα λέγεις.
Ἴυγγά μοι δῆτ' ἀγαθῶν
Ἑτάρων ὑπομιμνήσκεις
Ἄλαστα στυγνὰ πρόκακα
Λέγων.

Ξέρξης.

βοᾷ, βοᾷ
Μελέων ἔνθοθεν ἦτορ.

Χορός.

Καὶ μὴν etc.

v. 982. κακὰ πρόκακα non ut Stanl. interpretor *mala malorum praefaga*, ſed *mala praeſentia*, *urgentia*, *ante oculos poſita*.

v. 983 ſq. ἴυγγα ἑτάρων, *deſiderium amicorum*. Niſi forte Aeſchylus hic ſcripſerat ἰϋγάν, e quo ſi Choro verba tribuerentur, hic ſenſus exſiſteret: *Tu igitur me mones, ut et horum amicorum cauſa clamorem*, h. e. *flebilem leſſum*, *edam*. cf. v. 930. 940. 1036.

v. 994. Τόλμον h. l. nom. propr. τόλμον eſſet *audacem et promtum*. „τολμίστατον ſuperlativus extat ap. Sophocl. Philoct. v. 998." *Abreſch.*

v. 995 ſq. ἔταφεν — ὄπισθε δ' ἑπόμενοι.] Corrigendum ſine dubio ἑπομένοις. *Sepulti*, *ſepulti ſunt*, *non cum tentoriis curribus vectis*, *nec cum comitibus funus perſequentibus*. Aut, ſi mavis, ἑπομέναις, ut ad comitatum curruum pertineat. Si prius amplexus fueris, ὄπισθε δ' ἑπομένοις poſitum erit pro οὐδ' ἀμφὶ ὄπισθεν ἑπομένοις. Mos enim Perſis erat, principum virorum funera in curribus tentorio tectis efferre, multis quoque exſequias euntibus.

v. 997 ſq. βεβᾶσι — νώνυμοι] perierunt enim *Principes exercitus*, *perierunt*, *eheu inglorii*.

v. 1000. δυσδαίμονες non cum lat. interpr. vertendum *peſſimi daemones*, ſed *infelices*. Senſus: *Heu*, *infelices vos*,

*vos*, *qui patraſtis* clade veſtra, ſeu rebus male geſtis, *inſperatum inſigne malum*, *quale* cum voluptate *ſpectat Ate.*

v. 1003 ſqq. πεπλήγμεθα cum Ἰαόνων v. κύρσαντες conjungendum, interjectis illis εὔδηλα — δύαι.

πεπλήγμεθ' οἷαι δαίμονος τύχαι] Hanc lectionem a Scholiaſte commemoratam recte Brunckius praetulit vulgatae. *Perculſi et afflictiſumus*, *tales fortunae adverſitates* in nos irruerunt.

v. 1008 ſq. στρατὸν — πέπληγμαι] *Tantus enim exercitus nobis fuſus fugatusque eſt.*

v. 1010 ſq. τί δ' οὖν; — Περσῶν] *Quid igitur? magnae Perſarum res ceciderunt; magna eorum fortuna everſa eſt.*

v. 1014 ſqq. τάνδι — βέλεσι] *et hanc ſagittas recipientem* ſcil. pharetram . . . *ſervatum* a nobis *telorum receptaculum.*

v. 1019 ſqq. Iterum poëta auribus inſervit Athenienſium.

v. 1022 ſq. ναύφρακτον ὅμιλον exquiſite *claſſem* dixit.

v. 1024. ἀπέρρηξ'] cf. v. 466.

v. 1026. καὶ πλεῖον ἢ παπαὶ μὲν οὖν.] Hoc idem valet ac: *nunquam ſatis deplorandа haec eſt calamitas!* Vernacula oratione: *O mehr als tauſendfaches Weh!*

v. 1027. δίδυμα καὶ τριπλᾶ, i. e. *multiplicia*, *infinita.*

v. 1028. λυπρὰ —] *Triſtia nobis*, *at hoſtibus laetabilia.*

v. 1032. δίκινε, i. q. δάκρυς.

v. 1034. ἀντίδουπά τινι βοᾷν eſt *clamoribus* alicujus *clamores regerere.*

v. 1035. δόσιν — κακοῖς] *Heu malam malorum malis retributionem!* Ineſt acerba Xerxis caſtigatio. „Ceterum caſuum hic notes ejusdem vocabuli coacervationem, quam elegantiam et alii affectant. Sophocl. Oed. Col. 1300. πρόπαντα κακὰ κακῶν συνοικεῖ. v. 1323. γέρων γέροντι συγκατώκηκεν πόνος. et Ajac. v. 690. πόνος πόνῳ πόνον φέρει." *Abreſch.*

v. 1036.

v. 1036. μέλος ὁμοῦ τιθεὶς] *cantum simul condens*, de lugubribus cantilenae modis. Noſtri dicerent: *Gieſs deine Klage in Trauertönen aus.* Et ſequitur Chori vox ὀττοτοτοῖ, in cujus pronuntiatione ſine dubio flebilibus vocis flexionibus uſus eſt.

v. 1039. ἐρέσσειν h. l. *pectus tundere.*

v. 1040. διαίνομαι γοεδνὸς ὢν, *lacrymis diffluo luctu oppreſſus.*

v. 1042. μέλειν πάρεστι, δεσπότα] „Interpres: *lugubriter cantare licet.* Quem equidem ſenſum e Graecis non elicio, nec credo usquam facile μέλειν ita uſurpatum occurrere. Aeſchylus certe non alio novit ſignificatu, quam vulgari. Vid. S. C. Theb. v. 289. Agam. 379. et 578. et Rom. v. 3. Itaque μέλειν πάρεστι δεσπότα ſignificat, *id vero mihi curae eſt, domine.*" *Abreſch.*

v. 1043. ἐπορθίαζε νῦν] Rectius, ut opinor, ſcriberetur ἐπορθίαζέ νυν γόοις. *Incipe igitur, luctuoſam vocem ede;* „Ut hic ἐπορθιάζειν, ita ὀρθιάζειν ω. 684. et ἐξορθιάζειν Choëph. 169. et ἐπορθοβοᾷν Eurip. El. 142." *Abreſch.*

v. 1044 ſq. μέλαινα — πλαγά] *atra vero*, h. e. lugubris, *et gemitu miſta addetur plaga.* Haec nimirum dicentes frontem percutiunt.

v. 1046. καπιβόα τὸ Μύσιον] *et Myſorum more* h. e. admodum flebiliter *vociferare.*

v. 1048. πέρθε — τρίχα] *Et barbae mihi canos pilos perde*, i. e. *evelle.* μοι h. l. πλεονάζει.

v. 1049. ἄπριγδα vox eſt pilos ſibi prae dolore tenaciter et cum impetu vehementi evellentium. μάλα γόεδνα, ſcil. ταῦτά ἐστι, *ſupra modum haec ſunt lugubria.* Ridicule nonnulli in vocabulo γόεδνας *dotis* ſignificationem quaerunt; e. c. Heathius vertit: *dotem luctui optime convenientem.*

v. 1054. καὶ ψάλλ' ἔθειραν] *et velle comam.* Heſych. ψάλλειν, τίλλειν. idem: ψῆλαι, τίλλειν.

v. 1064.

v. 1064. γοᾶσθ' ἁβροβάται] „Recte hic se habet ἁβροβάται, leniter ac pro dignitate incedentes, non prae nimia tristitia ἀκόσμως se gerentes. Ita Hesych. ἁβρυνόμενοι, σεμνυνόμενοι; et apud Suidam ex Herodoto ἁβρὸν, σεμνόν. Et hoc sensu usurpari videtur in fragmento e veteri quodam scriptore a Suida v. Ἁβρὰ βαίνων allato: Ἐκεῖνος ὄντως ἁβρὰ βαίνων ἐδόκει ἔχων τὰς ὀφρῦς ὑπερηρμένας ἄνω, licet aliter Suidas eumque secutus Kusterus interpretentur." *Heath.* Nobis in ἁβροβάται lentus gradus, tristitiae conveniens designari videtur.

v. 1066 sq. τρισκάλμοισιν — βάρισιν ὀλόμενοι] Grave est, quod etiam in extremis, quae pronuntiat, verbis causam calamitatis nominat.

v. 1068. πέμψω — γόοις] *Prosequemur te infandis querelis, gravi luctus strepitu.* Atque ita demum Xerxem in regiam deducunt. Vide autem, quam sollerter Aeschylus in isto fenum Xerxisque colloquio omnia luctus indicia ac signa exhauserit, quam nihil omiserit, ad summam Xerxis miseriam declarandam. Clamor enim, fletus, suspiria, vociferationes, singultus, vestium scissiones, corporis afflictio, capilli barbaeque vulsiones, planctus, incessus tristis ac lentus, genuum tremor ac solutio, haec omnia inter se varie juncta tam expressum efficiunt simulacrum tristitiae, ut majus perfectiusque nihil fingi aut excogitari possit.

---

# AD PERSAS
## EXCURSUS I.

### DE TRAGOEDIAE PERSARUM CONSILIO ET ADORNATIONE.

Argumentum Perſarum ſimplex et unum eſt, e Salaminia Xerxis clade depromtum; idque poëta ſic tractavit, ut ſingulae fabulae partes ad idem caput referrentur, nulla minus apte cum propoſito cohaereret. Senum choricorum in principio dramatis de regis fortuna male timentium prologus ipſum quoque ſpectatorem attentum reddebat, in ſocietatem quandam ſollicitudinis eum vocans trahensque; isque animi ſenſus augebatur ominoſis Atoſſae ſomniis; quae quam vera fuerint mox e nuntii narratione intelligitur. Is nempe res a Xerxe male geſtas exponit; unde ſenes cum regina in ſummam animi triſtitiam vertuntur. Quae vero ſuperſint calamitates, et qua ratione in poſterum eas evitare liceat, ab umbra Darii docentur; cujus evocatio, ut tum erant hominum opiniones, et veri ſpeciem haud mediocrem habebat, (itaque ejus exemplum ad illuſtrandam Samuelis ab inferis evocati hiſtoriam uſus eſt *Herderus* in elegantiſſimo libro, de ingenio poëſeos Ebraeorum [v. *Geiſt der hebräiſchen Poeſie*, 2 Th. p. 200.]) et magnam addebat ſpectaculo gravitatem. Xerxis denique reditus finem fabulae facit idoneum, ad miſericordiam excitandam aptiſſimum. Integra igitur eſt fabula, principio ſuo, medio, fine concluſa; nihil eſt quod addi velis, nihil quod melius abfuiſſe videatur.

Multo plus autem narratur in hoc dramate, quam agitur; ſi quidem ea tantum agi in ſcena proprie dicas, quae quibus cauſis eveniant, et quomodo eveniant, ſuis ipſius oculis cernit ſpectator, non ex aliorum dictis intelligat. Una eſt actio, vero hoc nomine digna, umbrae Darii evocatio, quae quidem quibus auctoribus, et quam ob cauſam et quomodo perficeretur, ipſi qui in theatro con-

ſederant, videbant. Reliqua pars tragoediae vel in ſenſibus animorum exprimendis, vel in narratione rerum geſtarum verſatur. Prima enim ſcena ſuſpenſos inter ſpem et metum ſenum Choricorum animos oſtendit; ſecunda viſi nocturni reginae oblati narrationem habet, addito de rebus Athenienſium colloquio, in quo nulla eſt vis ad agendum aliquid, nulla colloquentium mobilitas; nulla rerum gerendarum perplexio. Nullum hic perſonarum animis vel vetus conſilium eripitur vel novum inſeritur. Sequitur ſcena, quae nuntium advenientem ſiſtit, in qua profecto omnia narratione conficiuntur; e qua magna quidem audientium perturbatio, ſummusque luctus ac triſtitia exſiſtit; nihil tamen uſpiam eſt actuoſum, nihil quo aut novas res moliri aliquem, aut inchoatas perficere videas. Idem de reliquis Chori canticis, ac de extrema ſcena, quae ejus cum Xerxe colloquium habet, exiſtimandum.

Quamquam vero, ſi agendi vim ac celeritatem ſpectes, quietum potius hujus fabulae et otioſum, quam agile vividumque ingenium eſt, magnum ei tamen e concitato narrationum genere lumen accedit. Somnii enim Atoſſae narratio aperta, dilucida, veriſimilis; illa vero, quam nuntio poëta tribuit, proelii Salaminii deſcriptio in magna dignitate ſummam quoque evidentiam habet, res ut omnis oſtendi potius oculis, quam auribus narrari videatur.

A morum notatione exigua eſt hujus tragoediae laus; unius enim fere Darii mores diligentius vel narrando expreſſi, vel ab ipſo loquente proditi et patefacti. Contra multis iisdemque egregiis morum praeceptis ac ſententiis abundat. Incertas enim hominum ſpes, et fortunae nimium fallaces blanditias (v. 91 ſqq.), periculoſam magnarum opum ac divitiarum conditionem (v. 161 ſqq.), animi humani nimiam in ſperando timendoque temeritatem (v. 598.), inſolentis hominum ſuperbiae poenas (v. 817.) apto et gravi ſermone declarari videas. In ſenſibus autem et affectibus cum alibi, tum in hac quoque tragoedia regnat Aeſchylus. Chorus enim, et Atoſſa, et nuntius, denique Xerxes, per vices metum, conſternationem, luctum, dolorem, pudorem, deſperationem ita perſpicue produnt, ut non fictum poëtae ſermonem, ſed veriſſimas naturae voces audire tibi videare. Nulla umquam flebilior elegia condita eſt, quam alterna illa Xerxis

xis et Chori querela! Quam ſinceram animi pietatem, quam fervidos deſiderii igniculos illa ſenum cantica ſpirant, quibus tum evocant animam Darii, tum abeuntem proſequuntur!

Nullum autem aliud fabulae argumentum deligere poterat, quod magis Athenienſium animos alliceret, quam Perſarum ab iis nuper devictorum hiſtoriam; in quo ſic verſatus eſt, ut ubicunque commode fieri poſſet, ſe auribus populi daret, ejusque laudis avaritiae ſatisfaceret.

Omnino autem ſic miſericordiam theatri movit, ut animos utrimque a mollitie et immanitate abduceret; ſic metum, ut eos a nimia audacia non magis, quam ab ignavia imbelliaque avocaret; *διὰ ἐλέου καὶ φόβου*, ut ait Ariſtoteles, *ποιῶν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.*

# EXCURSUS II.

## DE SERIE REGUM PERSARUM AESCHYLEA

*ad verſ. 762 ſqq.*

Stanlejo Aeſchylus multum a reliquis hiſtoricis in recenſenda Perſae regum ſerie discedere videtur. Verum ſi rem attentius disquiramus, nulla fere inter Herodotum et Aeſchylum discrepantia invenietur, certe non ejusmodi quam conciliare difficile ſit. Primum Perſarum regem Aeſchylus *Medum* dicit. Eundem nominat Suidas: *Μῆδος ὁ τῶν Περσῶν βασιλεύς.* Eſt autem ille *Darius Medus*, alias Aſtyages dictus. Quod ipſe Stanlejus Cedreni auctoritate confirmavit, qui (pag. 142.) *Μῆδος Δαρεῖος*, inquit, *καὶ Ἀστυάγης ἐλέγετο, πάππος δὲ ἦν Κύρου.* Aſtyagis hujus, ſ. Darii Medi filius, quem Aeſchylus non nominat, eſt Cyaxares. Ejus filius Cyrus tertius ab Aeſchylo numeratur. Quartus, quem non nominat, ejus filius eſt Cambyſes. Quintus Smerdis. Jam inter hunc et Darium in Aeſchyleo verborum contextu ſextus Maraphis, ſeptimus Artaphrenas recenſentur. Stanlejus hoc ita explicat, poſt necatum a ſeptem conjuratis Smerdin Magum non ſtatim Darium regnum excepiſſe, ſed e ceteris conjuratis nonnullos ante eum regnaſſe, quibus ille e medio ſublatis demum imperio potitus ſit. Atque in eandem fere ſententiam ivit Waltherus, in ſingulari libello, quo hunc locum illuſtravit; exiſtimans Aeſchylum ex antiquioribus Perſi-

cae hiſtoriae fontibus hauſiſſe. (Cf. Waltheri commentatio de antiquiſſimis Aſiae monarchis ad locum Aeſchyli v. 762 ſqq.)

Ego vero haud ſcio, an totus hic verſiculus:

Ἕκτος δὲ Μάραφις, ἕβδομός τ' Ἀρταφρένης,

a gloſſatoris potius, quam ab Aeſchyli manu profectus ſit. Cum nimirum ſeptem principes Perſarum ad Smerdin tollendum conjuraſſe notum eſſet, (eorum nomina apud Cteſiam haec ſunt: Onophas, Idernes, Norodobates, Mardonius, Bariſes, Artaphernes, Darius; apud Herodotum vero Otanes, Hydarnes, Megabyzus, Gobrias, Aſpathines, Intaphernes, Darius) ſcholiaſtes forte quidam, ad explicanda Aeſchyli verba οἷς τόδ' ἦν χρέος, adjecerat ſeptem conjuratorum nomina tribus ſenariis incluſa, e quibus tertius eo facilius in textum irrepere potuit, quod numerus ἕκτος ordini regum ab Aeſchyleo enumeratorum reſponderet. Certe ſi abeſſet hic verſiculus, nihil ad ſenſus orationisve abſolutionem deſideraretur. Praeterea me offendunt duo nomina regum nude ſic deinceps poſita. Melius quoque illo verſu deleto verba ἐγὼ πάλου τ' ἔκυρσα cum antecedentibus cohaererent, et Herodoti narrationi optime convenerint. Sed nolumus huic conjecturae diutius immorari.

IN

IN

# AESCHYLI

# AGAMEMNONEM

IN

# AESCHYLI AGAMEMNONEM.

## ARGUMENTUM TRAGOEDIAE.

Bello Trojano jam ad finem vergente, uxor Agamemnonis Clytaemneſtra ſpeculatori in excubiis poſito hoc negotium dederat, ut diligenter ſignum obſervaret, quod Graeci expugnata Troja, ignibus accenſis, (ita enim convenerat) edituri eſſent. Ipſa enim adulterii cum Aegiſtho initi ſibi conſcia, verensque ne Agamemnoni ejus criminis poenas daret, conſilium cum adultero ceperat, mariti e bello reducis interficiendi. Ille igitur φύλαξ in regii palatii tecto conſtitutus (Agam. v. 3.) primus in hac tragoedia ſpectatorum oculis objicitur, ſortem ſuam deplorans, vigiliaeque jam in longum extractae labores et moleſtias, quibus defungi aliquando miſere cupiebat, enarrans (v. 1—22.). Quae dum ſecum loquitur, repente facem in proxima ſpecula accenſam conſpicit, indeque ſummo cum gaudio Trojam captam, ſeque compotem voti ſui factum intelligit. Protinus itaque pergit ad Clytaemneſtram, laetum ei nuntium allaturus (v. 23—39.). Jam in ſcenam prodit Chorus, v. 40., qui ſenibus conſtat, propter aetatem a bello immunibus, praeſidioque urbis relictis (v. 72.) Hi ſpeculatore illo non viſo adeoque victoriae Graecorum nondum gnari, de

bello Trojano ſermonem faciunt, anxios ſe de exitu et ſuſpenſos animis eſſe haud obſcure ſignificantes. Etenim ſuccurrit ipſis prodigium illud duarum aquilarum, quae, cum principes Graecorum ad expeditionem Trojanam ſuſcipiendam congregabantur, ante ipſum palatii regii atrium, leporem gravidum, unguibus extremo in curſu impeditum, devoraverant. Quod etſi Calchas Graecis fauſtum belli quamvis diuturni exitum portendere denuntiaverat, obſcure tamen averſatus erat infortunia, quae Graecorum expeditionem turbare poſſent ex ira Dianae, ipſi domui Agamemnonis propter illud oſtentum aquilarum miſerum cum ſoetu leporem ante partum necantium, infeſtae. Quin etiam preces addiderat augur, ut averteret hanc Dianae vindictam, ne forte ea navibus Graecorum ventum adverſum immitteret, ſeque infauſta quadam victima (Iphigeniam innuerat) expiari vellet; hoc enim ſemen fere discordiae ſcil. inter Clytaemneſtram et Agamemnonem, ex eoque ne quid redituro regi accidat metuendum eſſe. Haec igitur Calchantis vaticinia obſcure tum quidem enuntiata, poſt autem, cum, navibus in Aulide vento adverſo impeditis, Iphigenia placandae Dianae immolata eſſet, in clariore luce poſita jam altius repetit Chorus, ſuſeque cruenti illius ſacrificii hiſtoriam perſequitur, ſubinde prodens timorem novi alicujus mali, quod ex caede Iphigeniae ſerius ocius emerſurum eſſe praeſagit (v. 169 ſqq.). Poſtremo boni ſenes, ut omnia bene eveniant precati, oratione convertuntur ad Clytaemneſtram (v. 265.), quam paulo ante jam de nocte ſurgentem diisque omnibus ſacra facientem mirati fuerant (v. 83 ſqq.). Haec ipſis Trojam hac nocte captam eſſe nuntiat, quomodoque id ex ſigno ſacrum accenſarum liquido cognoverit, oſtendit (v. 271 — 357.). Quibus auditis Chorus Jovi gratias agit, multisque verbis Trojae ſortem Paridisque debitam poenam proſecutus (v. 358 ſqq.), tandem eo delabitur, ut obſcuram animi ſollicitudinem prodat, qua, veritus, ne Agamemnoni, vel

vel ex civium, tot ſuorum bello caeſorum funera querentium, odio, vel ex deorum invidia, novaſetiam infortunia immineant, ſeniliter angitur (v. 438 — 481.). Extremo loco de veritate nuntii aut ſigni dubitat, metuens ne Clytaemneſtra nimis forte credula ante victoriam triumphaverit (v. 482 — 496.). Cui tamen ſuſpicioni medetur regina, praeconem Archivorum e longinquo advenientem conſpicata (v. 497 — 510.); qui jam in ſcenam delatus, ſalutatis diis, a Clytaemneſtra compellatus, Trojam dirutam eſſe confirmat, de belli calamitatibus exponit, regemque ſalvum brevi venturum oſtendit (v. 511 ſqq.); poſt, quum eum Chorus de Menelao percontatus eſſet, aegre adducitur, ut ſignificet, claſſem Achivorum procellis vexatam, naufragioque disjectam eſſe; adeo ut Menelao quid factum ſit, quo devenerit, ſalvusne ſit an perierit, dicere non poſſit (v. 623 — 688.). His dictis accinit Chorus, multaque ſuper Helenae raptu Paridisque crimine juſtoque exitio queſtus, convertitur ad Agamemnonem, quem procul advenientem conſpexerat (v. 689 ſqq.). Neque ita multo poſt rex ipſe prodit in ſcenam, curru vectus, comitemque Caſſandram ſecum adducens. Is primum quidem animi ſenſus expromit, diisque gratias agit (v. 810 ſqq.); deinde obviam ei procedit Clytaemneſtra (v. 855.), et quae mariti diutius abſentis deſiderio curaque paſſa fuerit narrando perſecuta, aut ementita potius, rogat virum, ut nunc jam de curru deſcendat, aedesque longo poſt tempore inviſat. Cum autem honoris cauſa viam purpureis ſtragulis ſterni juſſiſſet, initio negat Agamemnon ſe pedibus purpuram calcaturum, veritus ſcilicet, ne propter ſuperbiam in invidiam numinis incurreret; ſed victus tandem precibus et argumentis Clytaemneſtrae cedit. Remotis igitur arbitris (a Caſſandra enim peregrina Graecam linguam intelligi non putabat) Chorus jam paulo clarius quidem (v. 975 ſqq.), ſed tamen tectis adhuc

verbis fatum Agamemnonis praefagit. Clytaemneſtra denuo aedibus exit (v. 1033.). Caſſandramque curru deſcendere jubet. Haec diu ſilens, poſtquam Clytaemneſtra morae impatiens in domum rediit furibundae ſimilis Apollinem inclamat (v. 1070.), caedemque regis inſtantem, propheticis verborum involucris uſa, vaticinatur. Quibus auditis Chorus vehementer perturbatus, curioſis interrogationibus eo tandem Caſſandram adducit, ut clare ac perſpicue rem eloquatur (v. 1247.); denuntians, jam in eo eſſe, ut Agamemnon ab uxore ejusque adultero interficiatur. Addit ſibi quoque ab ejus manibus necem ſatis deſtinatam; venturum tamen oſtendit ultorem, Oreſtem ſcilicet, poenas de ſceleſta regina ejusque adultero ſumturum. Haec vaticinata aedes intrat, morti ſe oblatura. Paulo poſt audiuntur Agamemnonis intus vulnerati et moribundi clamores (v. 1355.); choroque altercanti, ac quid ſibi faciendum ſit trepide deliberanti, ſupervenit Clytaemneſtra (v. 1383.), qua ratione, et quam ob cauſam caedes Agamemnonis perpetrata ſit, ultro enarrans. Minisque Chori ſpretis ei contemtis indicat ſe jure maritum occidiſſe, propter Iphigeniam crudeli nece mactatam; deinde partem culpae in malum Atridarum genium confert, Atrei ſcelerum etiam in filio vindicem. Tandem egreditur Aegiſthus (v. 1388.), ferox et laetabundus, quicum Chorus graviter expoſtulat; resque haud dubie ad ferrum ſpectare videtur. Clytaemneſtra tamen, verita ne ſcelera ſceleribus cumulando iram deorum ſibi contrahat, Aegiſthum ſpernere minas plebeculae jubet; atque, rebus feliciter geſtis contentum, in poſterum a vi et caede, ſi fieri poſſit, abſtinere.

---

FA-

## FABULAE AGAMEMNONIS FUNDUS, ITEM SCENAE LOCUS, TEMPUS, PERSONAE, ORNATUS SCENICUS.

Hactenus de argumento tragoediae; sequitur ut de fabulae originibus pauca dicamus. Agamemnonem a Clytaemnestra ejusque adultero, eodem die quo redierit in patriam, occisum esse, jam ante Aeschylum Homerus auctor fuerat. Cui si credimus, Agamemnon uxorem ad bellum Trojanum proficiscens probo cuidam et spectatae fidei viro, eique ἀοιδῷ commendaverat, cujus monitis non magis, quam ipsa animi sui indole, utpote quae per se bona esset, Clytaemnestra sublevata diu fortiter restitit Aegisthi precibus ad indignum adulterii facinus eam sollicitantis. Postea vero Aegisthus istum ἀοιδὸν in desertam insulam deportavit, eoque sibi ad expugnandam reginae pudicitiam viam munivit (Odyss. III. v. 464 sqq. Quam cum deinde sibi morigeram habuisset, consilium cepit Agamemnonis, cum primum rediisset, insidiis interficiendi (Odyss. IV. 91.). Itaque duobus auri talentis conduxit speculatorem, qui reditum Agamemnonis observaret. Is totum fere annum excubias agens, diligenterque ne se effugeret, cavens, tandem, ubi eum procul advenientem conspexerat, ilico Aegisthо nuntiavit. Re comperta Aegisthus viginti robustos homines in insidiis constituit, regemque convivio exceptum adortus est. Pugnaque inter utriusque socios coorta, et Agamemnon trucidatur, et socii ab utraque parte mutuis caedibus conficiuntur (Odyss. VI. 150 sqq.). Tristem hunc vitae exitum ipse Agamemnon Ulyssi flebiliter narrat, ad inferorum sedes delapso. Se nihil tale opinantem, suum potius adventum liberis famulisque gratum fore sperantem sceleratae uxoris dolo captum atque ab Aegisthо ad exitiales epulas vocatum fuisse. Ibi se sociosque circa craterem mensasque plenas trucidatos concidisse, ipsumque moribundum jam frustraque manus ad gladium intendentem

audiviſſe miſerabilem Caſſandrae vocem, ad latus ſuum a doloſa Clytaemneſtra interfectae. Haec igitur eſt Homerica rei narratio, quam Aeſchylus multis modis immutavit. Aeſchylus enim Iphigeniae mactatione Clytaemneſtram, ut maritum ulciſceretur, incenſam eſſe perhibet; hanc autem fabulam Homerus prorſus ignorat. Aeſchylus Agamemnonis reditum ab excubitore, cui Clytaemneſtra hoc negotium dediſſet, obſervari fingit: Homerus ab Aegiſthi ſpeculatore pecunia ad eam rem conducto. Aeſchylus caedem Agamemnonis in ipſius aedibus perpetratam oſtendit, Homerus contra in Aegiſthi domo occiſum eſſe narrat. Aeſchylus in balneo, ſingulari quodam ſtrategemate, induſio ſcilicet, quod manicas non haberet, irretitum ipſius Clytaemneſtrae manu occiſum; Homerus autem inter convivium ab delecta manu armatorum ex inſidiis circumventum eſſe dicit. Pindarus Pyth. XI, 26. Agamemnonem a Clytaemneſtra Argis una cum Caſſandra interfectum ſcribit; utrum vero illud ira propter filiam a patre immolatam accenſa, an adulteri monitis adducta fecerit, in dubio relinquit.

Scenam dramatis Argis eſſe ante regias Agamemnonis aedes, Aeſchylus ipſe diſerte notavit. Ac ſpeculator ille quidem in tecto palatii excubiarum cauſa conſtitutus erat. Chorus vero, reliquaeque perſonae in platea ſ. area ante regis palatium partes ſuas agebant.

Actio autem fabulae matutino diei tempore incipit; quod e v. 25. colligitur, ubi ſpeculator ſe reginam e ſomno excitatum ire declarat. Reliquae vero diei horae nuſpiam in hac tragoedia notis deſignantur.

Perſonae dramatis praeter Chorum ſenum Argivorum, hae ſunt: ſpeculator, Clytaemneſtra, praeco ab Agamemnone miſſus, Agamemnon, Caſſandra, Aegiſthus.

„Chorus conſtabat quindecim hominibus. Schol. Ariſtoph. ad Equites: ὁ δὲ Τραγικὸς ιέ· ὡς Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι. Cave vero, ne hoc intellexeris factum eſſe lege

At-

Attica, qua cautum eſt, ne chorus perſonis ultra quindecim conſtitueretur: etenim lata eſt lex iſta poſt hanc Tragoediam exhibitam; nempe occaſione Eumenidum, fabulae hujus tragoediae (quae Oreſtias dicta) tertiae." *Stanl.*

Speculatorem illum, qui prologum agit, Agamemnonis θεράποντα fuiſſe ſignificat graeci argumenti ſcriptor; cujus verbis in quibusdam libris additur: οὐχὶ ὁ ἀπὸ Αἰγίσθου ταχθεὶς φύλαξ. Sed ipſe, nec quis ſit, nec a quo ignem aut facem, expugnatae Trojae indicem, obſervare juſſus ſit, commemorat.

„Praeconi, ut recte obſervat Stanlejus, graeci argumenti auctor nomen Talthybii ſuo Marte appoſuit; nam apud Aeſchylum nullum eſt. Et quare Talthybii potius quam Eurybatis ei affinxerit, incertum eſt. Apud Senecam in Agamemnone is nuntius, qui Trojae excidium et Graecanicae claſſis naufragium Clytaemneſtrae indicat, Eurybates dicitur. Uterque et Talthybius et Eurybates praecones erant Agamemnonis, quorum apud Homerum multa mentio."

Ceterum in edd. Turn. Vict. et Canteri perſonis hujus Dramatis annumerabatur Ἄγγελος, cui tribuebantur iſta, quae v. 268 ſqq. dicuntur; quae Choro tribuenda eſſe recte Stanlejus intellexit, nuntiumque illum e numero perſonarum circumſcribendum eſſe vidit.

Scena longam urbis plateam repraeſentabat, paſſim aris deorum ornatam, cf. v. 91 ſqq. cujus in anteriore parte viſebatur Agamemnonis regia. cf. v. 3. 529.

Abſolvitur autem haec tragoedia ſcenis XVI., quarum prima v. 1 — 39. agitur a ſpeculatore ſolo ſecum loquente; ſecunda v. 40 — 264. Chori canticum continet, Clytaemneſtrae ſacra faciente; tertia v. 265 — 361. Chori et reginae colloquium de Trojae expugnatione ignibus accenſis ſignificata; quarta Chori oden, qua ejus urbis caſum celebrat, v. 362 — 496; quinta brevem Clytaemne-

mneſtrae, quae praeconem procul conſpexerat, cum Choro confabulationem, v. 497 — 510.; ſexta iisdem praeſentibus praeconis narrationem, v. 511 — 622.; ſeptima, digreſſa Clytaemneſtra, Chori et praeconis de reditu Graecorum colloquium, v. 623 — 688.; octava Chori carmen, v. 689 — 782.; nona Chori et Agamemnonis dialogum, tacente Caſſandra, v. 783 — 854.; quibus ſcena decima accedit Clytaemneſtra, v. 855 — 974., qua cum Agamemnone domum ingreſſa, Chorus, undecima ſcena, Caſſandra in curru remanente, animi metum de Agamemnonis fortuna cantico exprimit, v. 975 — 1032. Scena duodecima Clytaemneſtra fruſtra Caſſandram curru deſcendere et ſe ſequi jubet, v. 1033 — 1066. Decima tertia Caſſandrae vaticinia ejusque cum Choro colloquium habet, v. 1067 — 1351. Decima quarta ſequitur Chori in duas partes discedentis, caeſi Agamemnonis clamore audito, dialogus, v 1352 — 1372. Decima quinta Chori cum Clytaemneſtra altercatio, v. 1373 — 1577. Ultima Aegiſthum ſiſtit coram Clytaemneſtra et Choro ferociter Agamemnoni caeſo inſultantem, Chori autem minas et opprobria ſuperbe contemnentem; quem tandem Clytaemneſtra partim mitigans, partim confirmans domum abducit.

## IN SCENAM I.

*v.* 1 — 39.

Speculator in tecto aedium regiarum conſtitutus annuarum excubiarum moleſtias queritur v. 1 — 7. earumque cauſam exponit v. 8 — 11. Simul domus Agamemnoniae fortunam abſente domino haud optime adminiſtratae identidem deplorare ſe ſignificat v. 12 — 18. Iterumque, ut mox ab excubandi labore vacatio detur, optanti v. 20. 21. repente conſpicitur ignis in proxima ſpecula accenſus, quem ſummo cum gaudio excipit, ac Trojam captam eſſe reginae nuntiaturus deſcendit.

Ob-

Obſervandum eſt autem, poëtam noſtrum hujus excubitoris animum Agamemnoni fidum ac benevolum effinxiſſe, ne quis forte Homerica narratione de Aegiſthi ſpeculatore duobus talentis corrupto deceptus aliter ſentiat. Cum enim v. 18 ſq. teſtetur, ſe domus Agamemnoniae ſortem deplorare, quod a priſtina, quae optima fuiſſet, adminiſtratione ad ſtatum deteriorem deflexerit; cum v. 34. diſertis verbis optet, ut ſibi contingat regi exoptatiſſimo manus porrigere, quid eſt quod quis amplius ad fidem hominis in regem agnoſcendam requirat? Aeſchylus autem hujus famuli conditionem callidiſſime ſic efformavit, ut bene quidem illicitam inter Aegiſthum et reginam conſuetudinem divinaſſe (v. 37.), nihil autem de inſidiis regi paratis reſciviſſe videatur. Hoc modo ſpectatorum curioſitatem excitari neceſſe erat, ſed ita ut augeretur iis fames, non ut ſatietatem continuo cognoſcendi caperent. Praeterea decem primis verſibus ſcienter effecit poëta, ut ſpectator, quis loquatur, quid rerum gerat, quo in loco ſit conſtitutus, facile intelligat; neque tamen in his quidquam theatri cauſa dici, ſed omnia potius e loquentis ingenio et conditione fluxiſſe videantur.

v. 1 ſqq. Θεοὺς — μῆχος] *Deos equidem poſco horum laborum finem, annuarum excubiarum vacationem.* Abreſchius Pauwiusque vulgatam lectionem μῆχος defendunt; quae nobis, quocunque modo conſtruatur, durum orationis nexum efficere videtur. Nam ſive cum ſcholiaſta praepoſitionem κατὰ ſubintelligas, ſive, quod durius eſt, μῆκος quaſi adverbii loco poſitum ad illa ἣν κοιμώμενος trahas, impeditior fit, quam pro reliqua hujus prologi facilitate ferri poteſt, orationis ſtructura. Itaque praeferendum eſt μῆχος, ut in Φρουρᾶς ἐτείας μῆχος ſit ἐπεξήγησις quaedam et uberior declaratio verborum τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων, ex quo ſimul verborum concinnitas efficitur Aeſchylo valde familiaris. Eundem in modum λαμπάδος το σύμβολον explicatur per ſubſequentia αὐγὴν πυρός, et quod

quod continuo ſequitur, ἐκ Τροίας φάτιν, ei perſpicuitatis ergo additur ἁλώσιμόν τε βάξιν. Praeterea, ut alibi apud noſtrum ἄκος et ἄχος permutata a librariis vidimus, ſic apud Herodotum quoque c. 151., ubi legitur ἐπεί τι δὲ κακοῦ οὐδὲν ἦν σφι μῆχος, in quibusdam vett. lib. erat μῆκος, quod eſt ab nonnullis editoribus eo loco ſervatum.

Φρουρᾶς ἑτείας] Notandum eſt hunc excubitorem nocturnum tantum fuiſſe, ita ut ſingulis diebus a ſolis ortu ad occaſum alius, qui interdiu ab aedibus obſervaret, ejus vices exciperet. Quod cum ipſa rei natura, tum illa quae ſequitur muneris deſcriptio docet.

ἣν κοιμώμενος] *qua* ſcil. Φρουρᾷ *excubans*, *quas quidem excubias agens deſuper in tecto Atridarum.* — ἄγκαθεν Stanlejus vertit *ſuper*, Heathius *jamdudum*, *a longo tempore*. „Verum et hic et alibi idem eſt quod alias ἄνωθεν. *deſuper*, *ex edito loco.* De tecto enim aedium obſervaſſe ſpeculatorem dubitare non ſinit verſus 317., ἔπειτ' Ἀτρειδῶν ἐς τόδε σκήπτει στέγος Φάος. Sic autem adverbio ἄγκαθεν iterum utitur noſter Choëph. v. 425. ἄνωθεν ἀνέκαθεν κτύπῳ ἐπιῤῥοθεῖ, et Eumen. v. 375. ἄγκαθεν βαρυπεσῆ καταφέρω ποδὸς ἀκμάν, quomodo nempe apud Atticiſmi obſervantes perpetuo uſurpari volunt Phrynichus et Thom. Magiſter, licet, ut hic addit, Herodotus ſemel de tempore adhibeat; imo ſaepius, vid. lib. II. c. 43. V. 62. VI. 63." — *Abreſch.*

v. 3. στέγαις Ἀτρειδῶν] cf. v. 526. Apud Sophoclem in Electra v. 9. Pelopidarum vetus regia Mycenis ponitur.

κυνὸς δίκην] Aeſchyli aetate comparatio a cane ducta, non magis ignobilis erat, quam Homerica ſimilitudo ad Ajacis fortitudinem deſignandam ab aſini indolentia petita. Hac imagine igitur ſumma in vigilando fides et aſſiduitas deſignatur. cf. v. 615. 696.

v. 4—6. ἀστρῶν — αἰθέρι] *aſtrorum vidi nocturnam concionem ſ. chorum*, *et ſplendidos illos* coeli *rectores*, *in* ae-

*aethere eminentes, qui hiemem et aeſtatem mortalibus ferunt.* ὁμήγυριν ἀστρῶν Muſaeus quoque dixit. λαμπρους δυνάστας ſolem ac lunam intelligit, quod Virgilius ſub Liberi et Cereris nomine ſic alloquitur:

*vos o clariſſima mundi*
*Lumina, labentem coelo quae ducitis annum.*

δεσπότην κόσμου ſolem appellat auctor Orphicor. hymn. VII. 16. Ac ſi quis quaerat, quomodo vigil nocturnus ſolem contemplari potuerit, facile reſpondetur, eum occidente ſole in ſtationem ſuam conceſſiſſe, nec eam priusquam ſol ortus eſſet, praeſertim aeſtivo tempore reliquiſſe. Si quis tamen cum Bothio Zodiaci ſigna intelligere velit, nihil impedio; incommodum tamen eſt, quod illa jam in verbis ἀστρῶν — νύκτερων ὁμήγυριν comprehenduntur.

v. 8. καὶ νῦν — σύμβολον] *„Quin cum maxime, quin etiam nunc obſervo facis ſignum*, quaſi dicat, *necdum finem ſortitur vigilandi labor.“ Abreſch.*

v. 8 ſqq. λαμπάδος σύμβολον facis ſ. ignis accenſi ſignum amplius exponitur per αὐγὴν — βάξιν, *ſplendorem ignis qui afferat nuntium a Troja, ejusque expugnatae famam.* Sed hujus Φρυκτωρίας ratio accurate et copioſe deſcribitur infra v. 291 ſqq.

v. 20 ſq. ὧδε γὰρ κρατεῖν γυναικὸς ἀνδρόβουλον ἐλπίζω κέαρ] Mirum eſt, quantum in his explicandis inter ſe diſſentiant interpretes. Sunt qui vertant ἀνδρόβουλον *de viro ſollicitum*, quae notio vereor ut huic vocabulo recte ſubjiciatur. Stanlejus interpr. *viro inſidiantem*, exiſtimans ex verſu 18. et 35. intelligi, ſpeculatorem inſidiarum quas Clytaemneſtra marito ſtrueret gnarum fuiſſe. In quo falſus eſt vir doctiſſimus. Nam quod v. 18. ſe caſum Agamemnoniae domus deplorare, quodque poſtea v. 36 ſq. dicit:

τὰ δ' ἄλλα σιγῶ, βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας
βέβηκεν,

in

in eo apertum eſt nihil aliud quam vitam reginae tangi impermiſſa gaudia cum moecho captantis: hoc eloqui clarius propter timorem veretur, idque proverbio ſignificat, quod de iis, qui libere loqui non auderent, uſurpabatur. Deinde quod addit, ipſas aedes, ſi vocem acciperent, clariſſime elocuturas, v. 37. 38., hoc nullo modo de inſidiis regi ſtructis, de adulterio vero optime intelligi et callidiſſime dici poterat. Quid? quod Aeſchylus ipſe pugnantia ſecum frontibus adverſis, ut ait Horatius, compoſuiſſet, ſi ſpeculatorem hunc v. 34. ut ſibi contingat regi dexteram porrigere, fideliter ſane et humaniter optantem, adeo ſimul perfidum finxiſſet, ut nollet ei, quod ejus vitae ſtrueretur, exitium indicare. Et ſi adulterium Clytaemneſtrae regi proderet, verendum erat, ne ſibi non crederetur, in detegendis adulteri inſidiis non item. Quae quum ita ſint, ἀνδρόβουλον quidvis aliud potius quam *viro inſidiantem* ſignificet. Pauwius Robortellianam lectionem amplexus ὧδε γὰρ κρατεῖ γ. α. ἐλπίζον κέαρ hoc modo eam interpretatur: *Sic enim continuat mulieris de viro cogitans ſperare animus.* Enimvero ut hoc non urgeam, ita nec ſenſum ſatis aptum, nec planum verborum cum antecedentibus nexum effici, vel unum ſufficit ad evertendam Pauwii ſententiam, quod verbo κρατεῖν et adjectivo ἀνδρόβουλον ſignificationem tribuerit prorſus ab his vocabulis alienam. Nam neque illud *continuare* umquam ſignificat, neque hoc poteſt verti *de viro cogitans.* Abreſchius eadem Robortelli lectione praelata, ſenſum eſſe decernit iſtum: *Ita quippe me facere jubet mulieris viro inſidians et ſperans animus.* Cujus opinioni ſuffragari non poſſumus, quod inſidiarum Clytaemneſtrae gnarum fuiſſe ſpeculatorem ponit, id quod ſecus eſſe paulo ante demonſtravimus. Nec in verbo κρατεῖν jubendi notionem facile quaeſiverim. Heathius, ἐλπίζει corrigens, ita vertendum exiſtimat: *hucusque enim voti ſe compotem futurum ſperat mulieris cor viro favens*, aut, ſi quis malit, *viri deſiderio captum*; utrumque enim ſignificare poſ-

poſſe epitheton ἀνδρόβουλον. Quod ſi vel maxime viro doctiſſimo concederem, fieri poſſe ut vocabulo ἀνδρόβουλον haec vis et poteſtas ſubjiciatur, (nam nunc quidem exempla, praeſertim ex Aeſchylo petita, deſidero) tamen eam vim verbi ab hoc loco alieniſſimam eſſe contenderem. Quomodo enim ſpeculator, qui animum reginae noſſet, eum *viro fuventem*, aut ejus *deſiderio captum* diceret? Cl. le Grand, diſtinctionem poſt κέαρ tolli, et v. 12. pro εὖτ' ἂν δὲ — ſcribi jubet εὖτ' ἂν γέ quo facto locum ſic intelligendum eſſe exiſtimat: *Sic enim contineri poſſe mulieris accenſum amore animum ſpero, ſi trepida iſtac roſcidaque utar noctis requie ſomniis inacceſſa.* Scilicet in ea eſt opinione vir doctus, iſta verba εὖτ' ἂν δὲ — non habere, unde pendeant, niſi cum prioribus uno tenore jungantur, quod ſecus eſſe poſt apparebit. Nec video, quam vim ad continendum mulieris animum continuatae ſpeculatoris excubiae habere potuerint. Accedit denique illud, quod ἀνδρόβουλον minus commode interpr. *amore accenſum*. Nobis vero epitheton illud nihil aliud ſignificare videtur, quam *animum virilem*, h. e. *viriliter* vel *ſapientem* vel *ferocientem*, ſeu ſecundum veriorem ſcholiaſtae paraphraſin (alteram enim, quam offert, κατὰ ἀνδρὸς βουλευόμενον, h. e. *viro inſidiantem*, ſupra confutavimus) τὸ μειζονα ἢ κατὰ γυναῖκα βουλευόμενον. Atque hunc ſenſum vocabulo tribuendum eſſe, non ſolum verſus 358. confirmat, ubi Chorus Clytaemneſtrae his verbis blanditur:

Γύναι, κατ' ἄνδρα σώφρον' εὐφρόνως λέγεις,

h. e. *regina, pro virili tua prudentia*, et quae muliebre ingenium ſuperet, *ſapienter loqueris;* ſed etiam, ut ſic interpretemur, uſus loquendi cum univerſo verborum contextu ſuadet. Ut enim Choëph. v. 624. γυναικοβούλους μήτιδας φρενῶν, nemo aliter explicaverit, quam per *muliebria conſilia*, ſic h. l. ἀνδρόβουλον κέαρ eſt virilis animus, viriliter ſapiens, ſ. ferociens. Κρατεῖν autem nihil aliud eſt, quam *vincere*. Itaque ſpeculator haec dicit: *Quin*

*etiam nunc in eo ſum, ut obſervem facis illud ſignum, Trojam captam eſſe, mihi nuntiaturum; ſic enim*, h. e. *quod ſi contigerit, ſpero fore, ut mulieris viriliter ferocientem animum vincam;* h. e. ſpero me effecturum, ut, cum audiverit maritum expugnata Troja mox ad patrios lares reverſurum, ab illa licentia in poſterum abstineat, maritoque potius quam adultero obſequatur. Quod verum eſſe, magis etiam e v. 31 ſqq. colligitur, ubi fidus in regem ſpeculator ſe domini collapſam rem domeſticam hoc nuntio accepto reſtituturum affirmat. Quod quomodo aliter interpretemur, niſi hac ratione, ut ſperet homo, Agamemnonis reditu impotentem Clytaemneſtrae animum commotum iri, ut ad fidem regi marito ſuo debitam revertatur?

v. 12 — 19. εὖτ' ἂν — διαπονουμένου] *Ex quo tempore autem hic ſub dio pernocto, cubilique utor a ſomniis non frequentato (metus enim ſomni loco mihi praeſto eſt, ne umquam arcto ſomno palpebras claudam); quando igitur cantare aut vociferari inſtitui, hoc quidem oppoſitum adhibens ſomni remedium, tunc ſoleo gemens domus hujus infortunia deplorare, nequaquam, ſicut olim, optime adminiſtratae.* In errorem duxit interpretes, quod illud εὖτε redderent *interea*, quum vertere debuiſſent, *quando*, aut *ex quo tempore*. Sic Sept. adv. Theb. v 344. εὖτ' ἂν πόλις ἁλοῖ. Igitur totus ille locus eſt ὑπέρβατον, ubi oratio excurrit a verbis εὖτ' ἂν δὲ usque ad ἐπισκοπουμένην, ibi autem inſiſtit, parentheſi Φόβος γὰρ — συμβαλεῖν ὕπνῳ interjecta; deinde conſtructione illa reſumta ὅταν δ' ἀείδειν etc. usque ad finem decurrit.

νυκτίπλαγκτος εὐνὴ eſt *cubile, ubi quis non dormit, ſed potius discurrit, ein unſtätes Nachtlager.* ἐνδρόσος roribus et pluviis expoſitus.

v. 14 ſq. Φόβος γὰρ ἀνδ' ὕπνου — συμβαλεῖν ὕπνῳ] Vocabulum ternis verſibus proxime inter ſe junctis ter recur-

currit, praeter morem Aeſchyli, variare verba ſoliti. Itaque, niſi ἀθλέῳ pro ἄνθ' ὕπνου placeat, ſi in codd. legeretur:

τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ἐμέ.

hoc ſane praeferrem.

v. 16. μινύρεσθαι, minurire, minurizare, proprie eſt avium, ut luſciniae vel hirundinis; transfertur autem ad ſubmiſſam tenuemque vocis querulae modulationem.

v. 17. ὕπνου — ἄκος] Significat autem ſpeculator, ſe nocturnum tempus fallere cantando aut minuriendo, ut qui ſaepe hoc remedium adhibeat, ne ſomno opprimatur. Non nimis ſcil. urgendum eſt etymon verbi ἀντίμολπον in explicanda ejus notione, cum h. l. nihil amplius notet, quam *adverſum*, *discrepans* aut *oppoſitum*. Sic in Eurip. Med. v. 1126. ἀντίμολπος ὀλολυγῆς κωκυτός eſt ejulatio valde ab ejulatu discrepans, redditurque a Scholiaſta per ἀντίφθογγον, ἐναντίον τῇ εὐχῇ.

Pro ἐντέμνων ἄκος Heathius conj. legendum eſſe ἐντείνων, *voce ſublata intendens*. Fruſtra, ſi quid video. Sed induxerant hominem doctiſſimum ineptiae Pauwianae, qui illud ἐντέμνων ἄκος ἀντίμολπον ita declaraverat intelligendum eſſe, ut ſignificaret: *hoc cantionis contra ſomnum remedium* ſicut victimam (ὡς σφάγιον) *incidens* vel *diſſecans*. Sane ridicule. Nemini autem niſi Pauwio in mentem venire poterat, tropum illum, qui latet in locutione ἄκος ἐντέμνειν, adeo urgere et premere, ut abſurdum quid exiret, non poëtae vitio ſed interpretis calumniae tribuendum. Ἄκος ἐντέμνειν nihil aliud eſt, quam *remedium parare*, quoniam prima medicamenta erant herbae et radices, quae refecando parabantur. Sic in Eurip. Andromacha v. 121. εἴ τι σοι δυναίμαν ἄκος τῶν δυσλύτων πόνων τεμεῖν; ubi τεμεῖν, pro eo quod vulgo legebatur εὑρεῖν, recte a Brunckio V. Cl. revocatum eſt. Etenim Scholiaſtes quoque τεμεῖν in ſuo codice legerat; quod teſtatur ejus explicatio: Τεμεῖν] ἀπὸ τῶν ῥιζοτομούντων ἡ μεταφορά.

τεμεῖν οὖν ἀντὶ τοῦ εὑρέσθαι. Sic apud noſtrum Choëph. 537. ἄκος τομαῖον πημάτων. In locutione igitur ἐντέμνων ἄκος ſervatur metaphorae conſtantia; utrumque enim vocabulum a medicinae ſimilitudine ad quodvis aliud remedium translatum; at ſi poëta ſcripſiſſet ἐντείνων, *intendens*, vitioſe illud cum ἄκος conjunxiſſet, unamque metaphoram a chordarum vel vocum ſonis ductam cum alia ex medicorum arte ſumta conglutinaſſet.

v. 19. διαπονεῖν h. l. i. q. διοικεῖν, *adminiſtrare.*

v. 20 ſq. νῦν — πυρός.] *Nunc vero felix et fauſta mihi ſit vacatio a labore, nocturno igne jam, qui laetum nuntium offerat, apparente.*

v. 22 ſqq. ὦ χαῖρε — χάριν.] *O ſalve fax noctis diurnam lucem*, h. e. clariſſimam proſperitatem, *et multorum chororum inſtitutionem* nobis *nuntians, qui Argis ob hunc eventum celebrabuntur.*

ἡμερήσιον φάος] Comparavit Stanl. Perſ. v. 298. 299. Agam. v. 530.

v. 28. ὀλολυγμὸν εὐφημοῦντα] „ὀλολύζειν et ὀλολυγμὸν in meliorem ſaepe partem ſumit Aeſchylus; ut v. 595. ἀνωλόλυξα μεν πάλαι χαρᾶς ὕπο· et v. 603. ὀλολυγμὸν ἄλλος ἄλλοθεν κατὰ πτόλιν ἔλασκον εὐφημοῦντες ἐν θεῶν ἕδραις." *Stanl.*

Senſus: *Jamque Agamemnonis uxorem clara voce excitabo, ut celeriter de lecto ſurgens in aedibus clamorem gaudii gratulationisque plenum huic faci occinat, ſi quidem captum eſt Ilium, ut aperte fax illa nuntiat.*

v. 31. αὐτὸς — χορεύσομαι] *Atque ipſe ego choreae praeſultator ero.* προοίμιον non ſolum eſt citharoedorum (*das Vorſpiel*) ſed etiam ſaltatorum (*der Vortanz*). Significat igitur ſe ipſum publicae ovationis initium facturum.

v. 32. τὰ δεσποτῶν — θήσομαι] *Collapſam enim dominorum* h. e. Agamemnonis *fortunam reſtituam.* Melius enim eſt εὖ et θήσομαι jungere, quam, quod Abreſchio pla-

placuit, εὖ et πεσόντα, quamquam alibi quoque εὖ πίπτειν uſurpatum. cf. v. 19.

v. 33. τρὶς ἓξ βαλούσης — Φρυκτωρίας] *cum mihi iſta ſpeculatio optime evenerit:* ſumta comparatione e luſu teſſerarum, ubi ſi ternis teſſeris ludas, optimus jactus eſt, ter ſena puncta jeciſſe. „Paroemia ſatis nota Zenob. Cent. 4. Adag. 23. τὸ μὲν γὰρ τρὶς ἓξ τὴν παντελῆ νίκην ὀηλοῖ· τὸ δὲ τρεῖς κύβοι τὴν ἥτταν. πάλαι γὰρ τρισὶν ἐχρῶντο πρὸς τὰς παιδιὰς κύβοις, καὶ οὐχ, ὡς οἱ νῦν, ὀυσί. Porro apud Euſtathium in Odyſſ. Λ. pro τῆςδέ μοι legitur τῆς Διός, nec id librariorum incuria. Ipſe enim Euſtathius videtur ſequi pravam lectionem. Ἀστείως, inquit, Ὁμήρου ἐνταῦθα εἰπόντος τὸ

ἑτέρως ἐβάλοντο θεοί,

ἤγουν οὐκ εὖ κατὰ τὸ

Τρὶς ἓξ βαλούσης τῆς Διὸς Φρυκτωρίας

οὐδὲ κατὰ τὸ

Αἰεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι

ἀλλὰ ὀηλονότι κατὰ τὴν τύχην, ὡς εἰπεῖν παλίμβολον." *Stanl.* Cf. Suid. in τρὶς ἓξ, ubi hunc locum laudat, corruptis tamen quibusdam in vulgato textu verbis.

v. 34 ſq. γένοιτο — βαστάσαι χερί] „Recte interpres, *hac ſuſtineam manu.* Morem tangit, quo lautioris fortunae homines, humeris manibusque aliorum, miniſtrorum praecipue, nixi incedunt. Admetus ap. Eurip. Alceſt. v. 926. σὺν ὑμεναίοις ἕστειχον ἔσω φιλίας ἀλόχου χέρα βαστάζων. Add. not. ad Petron. c. 65. Poſſet autem videri, βαστάσαι χεῖρα χειρὶ per ſe etiam ſignificare *contrectare manum manu.* Sic *Suid.* βαστάσαι οὐ τὸ ἆραι ὀηλοῖ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς, ἀλλὰ τὸ ψηλαφῆσαι." — *Stanl.*

v. 36 ſq. τὰ δ' ἄλλα σιγῶ· βοῦς βέβηκεν] *Reliqua vero ſileo; magnus bos linguam inceſſit.* Proverbium notiſſimum de iis, qui pecunia corrupti ea tacent, quae eloqui et prodere deberent; translatum deinde ad hos, qui propter timorem, ſ. ob mulctae metum, libere loqui non

auderent. Et hanc quidem rationem hic valere, e reliquo ſpeculatoris ſermone colligitur. Cum enim fido ſit in Agamemnonem animo, non profecto in eum corruptelae ſuſpicio cadit. Suidas: Βοῦς ἐπὶ γλώττης· ἐπὶ τῶν μὴ δυναμένων παῤῥησιάζεσθαι· ἢ διὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ζώου, ἢ διὰ τὸ τῶν Ἀθηναίων νόμισμα βοῦν ἔχειν ἐγκεχαραγμένον, ὅπερ ἐκτίνειν ἔδει τοὺς παῤῥησιαζομένους. Eadem habet Heſychius. cf. etiam Polluc. lib. IX. ſ. 62. Athenaeus lib. XII. c. 12. e Menandri piſcatoribus, ubi quosdam exules Heracleotas induxerat, hunc verſum affert: παχὺς γὰρ ὣς ἔκειτ' ἐπὶ στόμα, quem Caſaubonus in eandem ſententiam interpretatur. „Theognis:

Βοῦς μοι ἐπὶ γλώσσης κρατερῷ ποδὶ λαξ ἐπιβαίνων,
Ἴσχει, κωτίλλειν καίπερ ἐπιστάμενον.

Ceterum ni fallor Pythagoricum quiddam ſapit. Philoſtrat. vita Apollon. Γλῶτταν τε ὡς πρῶτος ἀνθρώπων συνέσχε βοῦν ἐπὶ αὐτῇ σιωπῆς εὑρὼν δόγμα de Pythagora loquens. unde eleganter idem in Scopeliano Sophiſta, πεπεδημένοι τὴν γλῶτταν εἶναι καὶ βοῦν ἀφωνίας ἐπ' αὐτὴν βεβλημένοι." *Stanl.*

v. 37 ſq. οἶκος — λέξειεν] *domus autem ipſa, ſi vocem acciperet, clariſſime eloqueretur.* Haud obſcure tangit Clytaemneſtrae adulteria. „Simili ratione Eurip. Androm. v. 924. δόμοι φθέγμ' ἔχοντες, et Hippol. 1074. ὦ δῶματ' εἴθε φθέγμα γηρύσασθέ μοι. Idem Hec. v. 836. εἴ μοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίοσι καὶ χερσί. Nec disparile illud Ariſtaen. lib. I. ep. 10. med. εἴθε ὦ δένδρα καὶ νοῦς ὑμῖν γένοιτο καὶ φωνή. Ipſam h. l. phraſin habes in Soph. Electr. v. 551. Φκίει δ' ἂν ἡ θανοῦσα εἰ φωνὴν λάβοι. Eurip. Iphig. Taur. v. 52. nec non Lucian. de luctu p. 431. πρὸς ἃ ὁ νεκρὸς αὐτὸς ἀποκρίναιτ' ἂν εἰ λάβοι φωνήν." *Abreſch.*

v. 38 ſq. ὡς ἑκὼν — λήθομαι] *Quare lubens equidem intelligentibus* (ſcil. Clytaemneſtrae vitam aeque atque ego perſpicientibus) *loquor*, et cum iis una queror, *et non intelligentes lateo*, h. e. caveo tamen, ne aliis harum rerum

rerum ignaris aliquid impertiam, verens nimirum, ne forte quis, reginae quam mihi benevolentior, ei quae dixerim renuntiet. Abreſchius vertit: *nam volens et dedita opera intelligentibus loquor*, quaſi dixerit ſapienti et intelligenti ſat dictum; et ad ſpectatores reſpexerit, quod nobis quidem non placet.

## IN SCENAM II.

*v.* 40—264.

Chorus ingreditur ſenum Argivorum. Cujus primum carmen antequam perſequamur, operae pretium eſt, pauca de cauſis, quas ex Aeſchyli inſtituto habuerit, ut male de Agamemnonis fortuna timeret, in univerſum disputare. In omnibus enim hujus tragoediae Choricis regnat perturbatio quaedam ſenum de Agamemnonis fortuna ſollicitorum. Hic metus primum, ſed obſcure proditur v. 67 ſqq. ubi Chorus, poſtquam dixerat Jovem hoſpitalem pro raptu Helenae Atrei filios adverſus Parin miſiſſe, Trojanis pariter ac Graecis certamina plurima et graviſſima impoſiturum, haec addit: „Ceterum utcunque res ſe habeant, certe fatalem eventum ſortientur; neque enim furiarum irae vel ſacrificiis vel fletu et lamentatione demulcentur. Quibus verbis apertius quidem dirae Menelai in uxoris raptorem, tecte tamen etiam, quod ex conſecutione ſententiarum apparet, imprecationes, quibus Thyeſtes fratrem Atreum ejusque genus devoverat, tanguntur. Quamquam ſi quis forte poëtam ad Thyeſtae diras in his verbis reſpexiſſe pernegaverit, pertinacius non repugnabo; dummodo mihi detur, non omnino id a veri ſpecie abeſſe, propterea quod in Caſſandrae vaticiniis clare ac perſpicue caedes Agamemnonis, cum propter alia, tum maxime propter Thyeſtae diras fatis decreta eſſe perhibeatur. cf. v. 1094. Altera autem cauſa de Agamemnonis forte male timendi, eaque certius prodita, haec eſt ſenibus illis, quod propter Iphigeniae im-

molationem Calchantis responso obscuro illo quidem, sed mala tamen quaedam praesagiente, commoti, ne quid regi siniſtri eveniat, verentur. Hoc primum significant, cum a Clytaemneſtra, quam sacrificia per urbem obeuntem viderant, petunt, ut sollicitudini suae medeatur, v. 100 — 104. qua cogitatione, propter nexum idearum, ut fit, eo deveniunt, ut omnem illam hiſtoriam de portento duarum aquilarum ante navigationem Graecorum viso, de Calchantis interpretatione, de ira Dianae ejusque expiatione per Iphigeniae mactationem facta, prolixius enarrent, finem tamen dicendi in eodem argumento, metus nimirum significatione, ponant, v. 254 — 260. Poſt quum a Clytaemneſtra, Trojam captam esse, comperiſſent, in eo quidem juſtam Paridis poenam agnoſcunt, novam tamen Agamemnoni male ominandi causam afferunt, invidiam scilicet et odium populare, quod Agamemnon subierit, cum propter hujus mulieris raptum bellum suscepiſſet, glorioſe quidem jam finitum, sed populo suo propter multas civium caedes calamitoſum. Atque hoc eſt illud argumentum, quod Chorus a v. 438. ad ad v. 481. ita persequitur, ut verbis utatur, tectis illis quidem, et involutis, tamen ad sensum animi explicandum satis appoſitis. Idem denuo sed breviter tangitur v. 799 sqq. poſtquam a praecone certior factus, Trojae everſionem carmine celebraverat. Ultima tandem ratio, qua Chorus adducitur, ut male regi ominetur, poſita eſt in suſpicione, quam de regina, partim Calchantis vaticinio (v. 154 sqq.) ductus, partim ipsa mulieris cum Aegiſtho consuetudine commotus, dudum conceperat. Quae quidem suſpicio etsi senum animis perpetuo obversabatur, prudentiſſime tamen a poëta inſtitutum eſt, ut eam non ante, quam Agamemnon redux aedem intraſſet, clarius proderent. Cum enim regina maritum domum deductura, Jovem invocaſſet, ut sua vota perficeret (v. 973.), horum verborum ambiguitate senes admonentur, ut et omnem illam curam, quae dudum esset in ani-

animis fixa, denuo prodant, et apertius inde a v. 1023., quam ſuſpectum habeant reginae animum, ſignificent. Has igitur ſollicitudinis Chori et varias multiplicesque cauſas, et diverſas pro occaſione dicendi ſignificationes mirifice Aeſchylus per omnes Chori partes ſparſit, itaque temperavit, ut parem in hoc genere artificii e recentioribus tragicis, praeter Shakeſpearium, habeat fortaſſe neminem.

In primo autem ingreſſu Chori vel hoc ſenum, praeſidio urbis relictorum, perſonis convenientiſſimum eſt, quod inde a quo Agamemnon ad bellum Trojanum profectus ſit decimum jam annum volvi queruntur. Eſt vero univerſa illa oratio v. 40 ſqq. admirabiliter ficta, nec quidquam habet, quod a dicentium perſonis abſonum ſit, aut ab eorum conditione et fortuna discrepet. Cum enim ſenilis eſt ipſa loquacitas, tum in excubiis nihil fere habebant boni ſenes, quo vigiliarum laborem ac moleſtiam ſolarentur, praeter confabulationem de bello, Graecorumque rebus geſtis. Deinde meticuloſa illa mens et ſuſpicioſus animus vehementer ſenes decet, ut qui magis memoria quam ſpe vivant, judice Ariſtotele; cujus verbis in hac re eo lubentius utor, quod in eo capite ſecundi libri Rhetoricorum, in quo ſenum mores deſcripſit, jucundiſſimum eſt obſervare, philoſophum non magis acute hujus aetatis ingenium et mores notaſſe, quam eos tragicus noſter arte expreſſos in ſcena repraeſentaverit.

v. 40. Δέκατον] „Annum intellige decimum non abſolutum, ſed ineuntem; (nec enim viro eruditiſſimo Samueli Petito aſſentior, qui leg. attic. p. 55. aſſerit Agamemnonem decem annos abfuiſſe, undecimo ineunte domum rediiſſe;) quippe non niſi novem anni perfecti transierunt; de quibus interpretatus eſt Calchas portentum illud de Dracone octo pullos cum matre devorante, Ovid. lib. XII. 21.

*Atque novem volucres in belli digerit annos.*

Homerus Iliad. II.

Ὡς οὗτος κατὰ τέκνʼ ἔφαγε στρουθοῖο καὶ αὐτὴν
Ὀκτὼ ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, ἣ τέκε τέκνα·
Ὡς ἡμεῖς τοσαῦτʼ ἔτέκα πτολεμίξομεν αὖθι
Τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν.

hoc est Cicerone interprete de Divinat. lib. II. 30.

*Nam quot aves tetro mactatos dente videbis,*
*Tot nos ad Trojam belli exantlabimus annos,*
*Quae decimo cadet, et poena fatiabit Achivos.*

Expeditionem illam a Graecis verno tempore fuisse susceptam, maxime est probabile; praesertim cum apud ipsos moris esset mare claudere ab autumno ad tempus vernum, verno aperire, prout Hesiodus, Theophrastus aliique testantur. Quinetiam vere decimo captam urbem docet Propertius:

*Et Danaum decimo vere rediisse rates.*

Eadem anni tempestas apud Virgilium invenitur, Aeneid. II.

*vix prima inceperat aestas*
*Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.*

Enimvero inter expeditionem Graecorum et expugnationem urbis novem tantum annos intercidisse diserte testatur Marmor Arundelianum: ΑΦ ΟΥ ΟΙ ελλη ΝΕΣ ΕΙΣ ΤΡΟΙΑΝ ΕΣΤΡΑΤΕΥΣαν ΕΤΗ etc. *Ex quo Graeci in Trojam expeditionem fecerunt, anni* 954. *regnante Athenis Menestheo anno ejus decimo tertio. Ex quo Troja capta est, anni* 945. *regnante Athenis Menestheo vicesimo secundo ejus anno, mensis Thargelionis die vicesimo quarto.*" *Stanl.*

ἐπεὶ] „Hesych. ἐπεὶ, ἀΦ' οὗ, ubi vid. not. — Soph. Ajac. v. 497. ἐπεὶ τὸ σὸν λέχος ξυνῆλθον εὐΦρονῶ τὰ σά. ut Lat. *quod* et *cum*. Plaut. prol. Aulul. v. 4. *jam multos annos est cum possideo.*" *Abresch.*

v. 41. μέγας ἀντίδικος Abreschius intp. Φοβερὸς, ut cum dicitur μέγας ἄνεμος, χειμὼν, κότος, etc. Simplicius autem est exponere *magnus*, *potens adversarius*.

v. 43 sq.

v. 43 ſq. Διθρόνου — τιμῆς] *duplici throno, geminique ſceptri honore a Jove* decorati, Menelao ſcil. Spartanum, Agamemnone Argivum regnum obtinente.

v. 44. ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶν, *validum*, h. e. forte, bellicoſum *par Atridarum*. „Eodem pacto Plutarchus Agin et Cleomenem reges Spartiatarum appellavit ζεῦγος δημαγώγων. Et Cicero Antonium et Dolabellam *jugum impiorum*, Philip. II. *Stanl.*

v. 45. χιλιονάυταν] „Euripides in Androm. v. 106. εἷλέ σε ὁ χιλιάνυς Ἑλλάδος ὠκὺς Ἄρης. Unde et Lycophr. v. 210.

ὁ χιλιάρχος τοῦ πολυῤῥαίστου στρατοῦ.

Virgil. Aen. II. 197.

*Quos neque Tydides, nec Lariſſaeus Achilles*
*Non anni domuere decem, non mille carinae.*

Ovid. Metam. lib. XII. 6.

*conjurataeque ſequuntur*
*Mille rates.*

Propertius, 2, 26, 38.

*Et Danaum Euboico littore mille rates.*

Seneca in Agam. v. 39.

*Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,*
*Cujus ſecutae mille vexillum rates.*

Quod vero tantum κατὰ τὸ ὁλοσχερέστερον accipiendus ſit hic numerus, monet Varro de R. R. lib. II. c. 1. *Si inquam numerus non eſt ut ſit ad amuſſim, ut non eſt, cum dicimus mille naves iiſſe ad Trojam —*; et recte quidem monet, etenim Homerus mille centum octoginta ſex ponit; Plutarchus mille ducentas, alii aliter." *Stanl.*

v. 46. τῆσδ' ἀπὸ χώρας] Late dictum. Aulide enim ſolviſſe Graecorum claſſem, notiſſimum eſt. cf. v. 199.

v. 47. στρατιῶτιν ἀρωγάν, *militare praeſidium*, exercitum magnum et fortem.

v. 48. μέγαν — Ἄρη] *magnum ex animo Martem elangentes*, h. e. bellum et caedem ſpirantes. „ἐκ θυμοῦ, quod,

quod, Plauto captiv. a. I. ſc. V. *corde et animo atque viribus perſequi* dicitur. κλάζοντες videtur pertinere ad comparationem ſubſequentem. Heſych. κλάζοντες, κραυγάζοντες." *Stanl.*

v. 49 ſqq. τρόπον — ὀλέσαντες] *vulturum ritu, qui prae dolore ob pullos ereptos, ſupra cubilia circumvolitant, alarum remis remigantes, quod laborem in ſervandis pullorum gratia nidis perdiderint.* Suaviter harum avium naturam et mores expreſſit poëta. Similiter Oppianus de aucup. l. I. c. 2. p. 174. ed. Schneider. de harpis: Φιλοῦσι δὲ τὰ τέκνα ὑπερφυῶς, καὶ εἰ λαθών τις ἀγροῖκος ἅρπης νεοττοὺς ὑποκλέπτει, ὑπερόψεται μὲν τῆς τροφῆς, οὐκ ἀποπτήσεται δέ που τῆς καλιᾶς, ὀδυρμῶν δὲ πάντα ἐμπλήσει, καὶ γυναῖκά τις εἴποι θρηνεῖν, καὶ δακρύων ἐπιῤῥοῇ τὰς παρειὰς αὑτῆς ἐπικλύζειν.

ἐκπατίοις ἄλγεσι παίδων, pro ἄλγεσι διὰ παίδας ἐκπατίους. Eſt autem ἐκπάτιος i. q. μέτοικος v. 58. h. l. *abactus, e medio raptus.*

v. 52. πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι] „Lucret. lib. VI. 743.

*Remigio oblitae pennarum vela remittant.*

Plaut. in Amphitr. [ſed in ſcena ſuppoſita]

*Non ocyus quivi ſi me Daedaliis tuliſſem remigiis.*

Quem potuit imitari Virgilius, qui de Daedalo *remigium alarum* dixit lib. VI. ut et Martianus Capella lib. VIII. Similiter Apulejus Metam. lib. V. *Remigio plumae captu maritum proceritas ſpatii fecerat alienum.*" *Stanl.*

v. 53. δεμνιοτήρη] Heſychius: Δεμνιοτήρη πόνον, Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι. Καθότι οἱ νεοσσοὶ ἔτι τοιοῦτοι εἰσὶν, ὡς τὰ δέμνια τηρεῖν καὶ κατέχειν, μηδέπω πέτεσθαι δυνάμενοι, πόνον δὲ τὸν περὶ τὴν τροφὴν αὐτῶν. Cf. Virgil. Georg. IV. 510 ſqq. De pullis nidos ſervantibus interpretatur, ego potius de vulturibus." *Stanl.* Si Heſychii expoſitio admittenda eſſet, δεμνιοτήρη πόνον ὀρταλίχων pro ipſis pullis periphraſtice dictum eſſet, ut Jocaſta ap. Eurip. Phoen. 30.

τὸν

τὸν ἐμὸν ὠδῖνων πόνον pro infante, quem pepererat. Sed multo melius aptiusque est, de perdita vulturum opera, quam in nutriendis pullis posuerant, accipere.

v. 54. ὀρταλίχων] Hesychius: Ὀρταλίχοι οἱ μήπω πετόμενοι νεοσσοί.

v. 55 sq. Ἀπόλλων — Ζεὺς] „Vulturum miseretur Apollo, quia augurum deus: Pan, quia venatorum; Jupiter, quia tyrannorum." *Stanl.*

ἀΐων — ὀξυβόαν] *audiens ab avibus illis editum acutum et luctuosum clamorem.*

v. 58. μετοικων pro μετοικισθέντων, ut recte Schol. exp. ad h. l. At enarrato: ad Sophocl. Oed. Col. v. 988. reddit ἐνοίκων, non enim ad pullos, sed ad parentes vultures retulit. Stanlejus genitivo μετοίκων ad ὀξυβόαν retracto, vertit *ob hos abactos.* Verius cum sequentibus jungitur hoc sensu: *horumque abactorum poenas fero exigentem mittit raptoribus Erinnyn.* Furia h. l. pro vindicta.

„ὑστερόποινος ἐρινύς, quae Sophocli ὑστερόπους." *Stanl.*

v. 60 sqq. οὕτω — γυναικὸς] *Sic Atrei filios praepotens hospitalis Jupiter adversus Alexandrum mittit, propter multinubam* h. e. adulteram *mulierem*, scil. Helenam, *multa — certamina impositurus.*

v. 63 sqq. πολλὰ — ὁμοίως] Stanlejus genitivos illos, γόνατος et κάμακος, cum suis epithetis, absolute positos existimavit, quos ego melius ab accusativo πολλὰ παλαίσματα regi putem. Quod igitur ille sic vertit: *mittit hospitalis Jupiter plurima et membra gravantia certamina, genu arenis fulto, fractaque in primitiis hasta impositurus Danais simul et Trojanis*, id malim ita reddere: *plurimas membraque gravantes luctas genuum terra fultorum, hastarumque in proeliis de urbe expugnanda confertis frangendarum Graecis pariter ac Trojanis impositurus.* Hoc modo et ipsa locutio exquisitior fit, et constructio verborum planior. Luctatorum autem erat genu niti, adeoque bene

dici

dici poterant παλαίσματα γόνατος κονίαισιν ἐρειδομένου, διακναιομένης τε κάμακος. Illa deinde participia ἐρειδομένου et διακναιομένης, non rem praeteritam, ſed praeſentem, non actam, ſed agendam ſignificant. (*Kämpfe geſtützter Knieen und brechender Lanzen.*) προτέλεια autem non univerſe de proeliis ante urbis expugnationem, ταῖς πρὸ τῆς ἁλώσεως μάχαις, ut eſt apud Schol.) ſed de initiis proeliorum primisque concurſibus intelligenda eſſe mihi videntur. Primum enim haſtis pugnabant, deinde, illis fractis, gladiis utebantur.

γυιοβαρῆ] Haec lectio aptiorem profecto ſenſum praebet, quam Turnebiana γαιοβαρῆ. Luctae enim ſ. proeliandi labores membra gravant et fatigant.

v. 67 ſq. ἔστι — ἔστι.] ſcil. πράγματα, i. e. *utcunque eſt, utcunque ſe res habet.* „Cujus modi formulis utuntur Graeci, quoties aliquidpiam non admodum probant, palam tamen reprehendere nolunt. Sophocl. Oedip. Tyr. vſ. 1472. ἡ μὲν ἡμῶν μοῖρα ὅπηπερ εἶσιν ἴτω. Oed. Colon. vſ. 277. οὐδὲν εἰδὼς ἰκόμην ἵν' ἱκόμην. vſ. 349. εἶσ' οὕπερ εἰσί. et in Ajac. v. 1139. ἧς (ſ. ἧσθ') οἷός περ εἶ. Similiter Eurip. Med. vſ. 889. ἀλλ' ἐσμὲν οἷον ἐσμέν. Ariſtid. T. III. p. 713. ἦν ὅστις ἦν. Paulus Apoſtolus I. ad Corinth. c. XV. vſ. 10. εἰμὶ ὅ εἰμι. Ariſtoph. equit. vſ. 332. εἰσὶν ἄνδρες οἵπερ εἰσίν. Rurſus Eurip. in Med. vſ. 1011. ἤγγειλας οἷα ἤγγειλας. Heliod. lib. III. p. 202. ἔδρασεν ὅτι δὴ καὶ ἔδρασεν. Eurip. Electr. vſ. 289. ἔκυρσεν ὧν ἔκυρσεν. Ariſtid. Tom. I. p. 136. προείλετο μὲν διδάσκαλον ἐξ ἁπάντων ὅν τινα δὴ καὶ προείλετο. Noſter infra v. 1295. εἶδον Ἰλίου πόλιν πράξασαν ὡς ἔπραξε. unde Euripidis illud in Iphig. Taur. vſ. 692. τὸ μὲν γὰρ εἰς ἐμ' οὐ κακῶς ἔχει πράσσονθ' ἃ πράσσω. Nec multum hinc recedunt haec Sophocl. in Ajac. vſ. 1159. ὥνπερ ἄρχεις ἄρχε. Oed. Colon. vſ. 1780. ἔπραξεν οὖν, ἔπραξεν οἷον ἤθελεν. et infra vſ. 1058. πείθοιο ἂν εἰ πείθοιο. et 1403. χαίροιτ' ἄν, εἰ χαίροιτε." *Abreſch.*

v. 68.

v. 68. τελεῖται δ' ἐς τὸ πεπρωμένον] *Perficientur autem ſecundum fata, ſ. fatorum legibus convenienter: fatalem utique exitum ſortientur.* Haec proxime quidem Trojae exitium tangunt; veruntamen obſcura quoque ineſt eorum, quae Agamemnoni fatis deſtinabantur, praeſagitio. cf. quae ſupra diximus p. 115.

v. 69 ſqq. οὔθ' ὑποκλείων — παραθέλξει.] *Neque aliquis vel precibus, vel libationibus, vel lacrymis inflexibilia furiarum ingenia deliniverit.* ἀπύρων ἱερῶν vel eſt a nominativo ἄπυρα ἱερά, ut ſacrificia igne carentia dicantur pro ſuriis, quorum ſacris nec ignis nec vinum adhibebatur: metonymia duriuſcula illa quidem, ſed tamen in poëta audaciores ſaepe ſpiritus ſumente ferenda; vel ab ἄπυροι ἱεραὶ ſcil. θεαὶ, ut ipſae furiae appellentur *deae igne carentes*, ſ. quibus absque igne ſacrificia fiant: ſuppreſſo, ut fit, Eumenidum nomine; meliorem certe haec explicandi viam, niſi forte verſiculum unum poſt ἀπύρων ἱερῶν intercidiſſe conjicias, equidem non invenio. Ceterum huic loco ſimillimum eſt fragmentum poëtae a Stobaeo Serm. Eth. 117. excitatum: ibi mors eodem, quo hic furiae, modo, inexorabilis deſcribitur:

Μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἑρᾷ
Οὔτ' ἂν τι θύων, οὔτ' ἐπισπένδων ναοῖς
Οὐ βωμός ἐστιν, οὐδὲ παιωνίζεται.
Μόνου τε πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ.

v. 72. ἡμεῖς δ' ἀτίται ſignificat *nos autem illaeſi*; ut ὁ ματροφόνος ἀτίτας Eum. v. 256. eſt *matricida impunis.* σαρκὶ παλαιᾷ conſtruendum eſt cum ſequentibus τῆς τότ' ἀρωγῆς ὑπολειφθέντες, hoc ſenſu: *nos autem illaeſi atque extra belli periculum conſtituti, propter ſenectutem corporis in illa expeditione domi relicti, manemus.*

v. 74 ſq. ἰσχὺν — ἐπὶ σκήπτροις] *robur puerile*, puerilis aetatis vigore haud majus, *baculis ſuſtinentes.* „Hinc ſcipionem Callimachus γεροντικὸν ὅπλον vocat, Epigr. I.

— ὁ δὲ σκίπωνα, γεροντικὸν ὅπλον, ἀείρας.

Et

Et apud Suidam neſcio quis,

— γηραλέον νῦν,
ἀντὶ πανοπλίης, βάκτρον ἀμειψάμενος."

*Stanl.* „Magis adhuc extenuat ſenis vires Eurip. in Phoen. vſ. 1713. tribuens ei ὀνείρου ἰσχύν· quod tamen ipſum noſtro debetur; nam ſequitur in continenti ὄναρ ἡμεροφάντων ἀλαίνει. Νέμειν hic valet ἔχειν, ut alibi. Ἐπὶ σκήπτροις ἔχειν τὴν ἐλπίδα, alia licet in re, dixit idem in Oreſt. vſ. 1058." *Abreſch.*

v. 76 ſqq. ὅ τε γὰρ — ἀλαίνει] *Puerilis enim medulla in pectore vigens aequalis eſt ſenectuti viribus; ſiquidem virtus bellica illi ſedi haud ineſt; ſenectus autem decrepita, foliis jam exareſcentibus tripes fere inambulat, pueruloque nihilo robuſtior ceu ſomnium diurnum oberrat.* Le Grand ex correctione ſua Ἄρης οὐκ ἔνι δ' ὥρᾳ τόδ' ὑπέργηρων ſic vertebat hunc locum: *Tenellae enim aetatis medulla ubi dominatur infra pectora aequabilis eſt inertiae decrepitae, militaris autem vigor* (utrique) *haud ineſt, et aetate quicquid ſupra modum conſenuit* (*fronde jam arefacta*) *tripedes quidem greſſus ciet, nec potentius infantulo* (quaſi) *ſomnium diurnum oberrat.* At niſi placeat χώρᾳ ad antecedens στέρνων referre, optimum fuerit, Heynio auctore legere Ἄρης οὐκ ἔνι γ' ὥρᾳ, *victus bellica certe huic aetatulae haud ineſt.* Cf. Aeſchyli ἱκετιδ. v. 757., ubi ſimiliter de ſexu muliebri dicitur: γυνὴ μονωθεῖσ' οὐδέν· οὐκ ἔνεστ' Ἄρης. Quod autem dicitur ſenectus τρίποδας ὁδοὺς στείχειν, *tripes ambulare*, id ad baculum vel ſcipionem referri, quibus niti ſoleant ſenes, vel ex decantatiſſimo illo Sphingis aenigmate notum. Sic Hecuba apud Euripidem Troad. v. 275. cui Graecorum ſervitura ſit quaerens, Ἐγὼ δὲ, inquit, τῷ πρόσπολος, ἃ τριτοβάμονος χερὶ δευομένα βάκτρου, γεραίᾳ κάρα; h. e. *ego autem cujusnam ancilla ero, quae baculo inſtar tertii pedis indigeo?*

v. 83 ſqq. Σὺ δὲ — θυοσκινεῖς] *Tu vero, Tyndarei filia, regina Clytaemneſtra, quid hoc rei eſt? quid novi accidit?*

*cidit? qua fama accepta, cujus nuntii fiducia ſacrificia huc illuc miſſa*, h. e. per omnia urbis altaria diſtributa, *peragis?* περίπεμπτα enim non eſt, ut Stanl. opinatur, de victimarum partibus, quas amicis mittere ſolebant, intelligendum.

v. 88 ſqq. πάντων — φλέγονται] In his recte Heathius verſum 91. ex gloſſematibus ortum ideoque ejiciendum putat. Quod ſi quis improbet, non video quomodo alia ratione hunc verſum defendere poſſit, niſi forte hac, ut dicat fervori loquentium et alacritati tribuendum eſſe, quod deorum genera nullo ordine habito memorentur, quaedam etiam bis, quamvis diverſis nominibus appellentur.

v. 91. δώροισι φλέγονται, *donis lucent*, poëtice pro: *flammis, quibus victimae adolentur, reſplendent.*

v. 92 ſqq. ἄλλη — βασιλείῳ] *alia vero aliunde (h. e. aliis ex altaribus) ad coelum usque ſurgens flamma evolvitur, delibuta olei caſti mollibus ſincerisque fomentis, una cum libatione e regia cella depromta.* λαμπὰς non eſt proprie quae dicitur *fax aut lampas*, ſed metaphorice, *flamma* facis inſtar relucens. χρίσμα h. l. oleum, quo flamma quaſi inungebatur. Hoc ab uſu *ſanctum* ſ. *caſtum*, ab natura *molle* ſ. liquidum, a puritate *ſincerum*, non adulteratum, dicitur.

v. 97. λέξασ'] Ne quis hac lectione offendetur propterea quod poſt participium ſequitur παίων τε γενοῦ, Hermannus ad Viger. (dicti) m. gr. oppoſuit ſimile exemplum.

θυμοβόρον φρένα λύπην] Solet interdum verbo aut adjectivo compoſito ſubſtantivum addi, cujus vis jam in compoſito verbo vel adjectivo latebat. Senſus totius loci hic eſt: *Ex his dicas nobis velimus, quae dicere potis ac jus fasque ſit, et medearis huic ſollicitudini, quae nunc quidem interdum infeſta ſ. malevola nos invadit; jam autem fauſta ſpes, ex ſacris illis elucescens, dispellit inſatiabilem curam,*

*moeſtitiamque animi edacem* (v. 101.). *Stanlejus* ἀγανὰ φαίνουσ', ita interpretatur, ut ſit *amica* ſcil. eventa oſtendens metro invito (v. 100.); itaque ἀγανὰ cum ἐλπὶς conſtruendum, ut φαίνει ſit neutraliter poſitum pro *apparet*, ſicut ap. Homerum Il. XI, 64. Ἕκτωρ — ἐν πρώτοισι φάνεσκεν i. e. *apparuit*. Bothius edidit ἀγάν' ἀμφαίνουσ', ne ſic quidem male, niſi vulgata defendi poſſet. Θυμοβόρον *Heſychius* exp. χαλεπόν, ὑπὸ τοῦ θυμοῦ ἐσθιόμενον ἢ τὴν ψυχὴν κατεσθίοντα.

v. 104 ſqq. κύριος — ὅπως Ἀχαιῶν] Stanlejus vulgatam lectionem ſic vertit: *Potis ſum enarrare, quo auſpicio Robur virorum in ſupremo magiſtratu conſtitutorum* (i. e. principes Menelaus et Agamemnon) *iter ſuſceperit; adhuc enim fiducia ex augurio divinitus oblato orta aſpirat cantum; aetasque, licet grandis et nobis omnibus ex Choro coaeva, tamen vires ad canendum ſubminiſtrat. Potis ſum, inquam, enarrare, quo pacto* etc. Hanc interpretationem duo circumveniunt incommoda. Quomodo enim ſenum chorus, qui paulo ante ſenectutis infirmitatem queſtus eſſet, jam vires ad canendum ipſi huic aetati tribuerit? Nec video, quomodo σύμφυτος αἰὼν dici poſſit *ſenum*; σύμφυτος enim aut *congenitus*, aut *cognatus* eſt, nec quisquam ſenectutem vel *aetatem congenitam*, vel *aetatem cognatam* dixerit. Iſta perpendenti mihi vehementer initio blandiebatur Heathii ratio, qui locum ita conſtitutum: Κύριος εἰμὶ θροεῖν ὄδιον κράτος Αἴσιον ἀνδρῶν Ἐντελέων (ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει Πειθὼ μολπᾷ) Ἀλκὰν σύμφυτον αἰών. Ὅπως, Ἀχαίων Δίθρονον κράτος Ἑλλάδος ἦβαν σύμφρονα τάγοιν πέμπει τευκρίδ' ἐπ' αἶαν, hoc modo interpretatur: *Idoneus ſum enarrare victoriae omen fauſtum in itinere oblatum viris principibus* (*adhuc enim divinitus inſpirat fiduciam vaticinium*) *audiens quo pacto avis impetuoſa miſerit robur cognatum Achivorum geminum imperium* (i. e. Agamemnonem et Menelaum) *Graeciae pubem eadem cum ducibus ſentientem, cum haſta poenarum exactore Trojanam ad terram.* Verum enim vero diutius acriusque intuenti hanc ra-

rationem quamvis ingenioſam, et ſenſu commodiore probabilem, aliae occurrebant difficultates, quae quo minus eam plane amplecterer, impedirent. Ἐκτελέων ab Heathio mutatum eſſe in ἐντελέων, quod ſignificat *praefectorum*, probo; pulchre enim quadrat. Sed an μολπὰ h. l. commode de illo prodigio, quod narraturus eſt chorus, intelligi poſſit, coepi dubitare, quod putabam, cum de prodigio potius oculis viſo, quam de oraculo ſ. vaticinio auribus accepto ſermo futurus eſſet, aliud vocabulum, e. c. ξύμβολον, τέρας, aptius fuiſſe. Deinde quod Heathius αἰὼν in αἴων mutavit, in eo quidem nec elegantiam conjecturae nec probabilitatem deſidero, (ſcio enim haec vocabula ſaepius inter ſe permutari,) attamen hoc me male habet, quod hac ratione Chorum illius prodigii auritum tantum teſtem fuiſſe exiſtimandum ſit, quem oculatum fuiſſe, ſi orationis perpetuitatem ſpectemus, credibilius eſt. Quid? quod metrum vocabulo αἴων repugnare videtur. Verſus enim antiſtrophicus οὕτω δ' εἶπε τεράζων eſt dactylicus trimeter; cui bene quidem reſponderet ἀλκὰν σύμφυτος αἴων, Heathiana emendatio non item. Quae cum ita ſint, olim hunc locum ita emendandum cenſebam:

Κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος
Αἴσιον ἀνδρῶν
Ἐντελέων (ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει
Πειθὼ μολπὰν)
Ἀλκὰν σύμφυτον ᾄδων.

Cujus ne nunc quidem poenitet, cum ſecundis curis meliora mihi reperiſſe videor. Certe ſenſus exſiſtit probabilis, nec ut opinor Aeſchylo indignus: *poſſum enarrare fauſtum omen in itinere viris principibus oblatum (adhuc enim divina ſuada cantum inſpirat) cognatum robur canens, quo pacto geminos imperatores Achivorum, pubis Graeciae concordes duces miſerit* etc. Hoc modo fratres Agamemnonem et Menelaum, quos paulo poſt διθρονον κράτος appellat, ἀλκὰν σύμφυτον dixiſſet. Sed, ut dixi, facilio-

rem huic loco medelam poſtea inveni; qua uſus ſum in textu conſtituendo; nimirum ut legatur:

(ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει
Πειθὼ μολπᾶν
Ἀλκᾷ σύμφυτος αἰέν·)

h. e. *Potis ſum celebrare fauſtum virorum principum ad bellum proficiſcentium robur (adhuc enim divinitus immiſſa cantum inſpirat fiducia, ſemper potentiae cognata) quo pacto; inquam, Achivorum duplex robur, Graecae juventutis concors imperium cum exercitu poenarum exactore rapax ales Trojanam in terram miſerit.* Hoc igitur modo id, quod initio dicitur κύριός εἰμι θροεῖν, explicatur ſequentibus verbis ἔτι γὰρ — αἰέν, quibus illius enuntiati cauſa redditur. Nempe propterea hunc cantum viribus ſuis aequum eſſe pronuntiant, quod ſe animari ſentiant a fiducia divinitus immiſſa, quae ſemper vires conjunctas habeat. Itaque πειθὼ eodem modo deſcribitur ἀλκᾷ σύμφυτος αἰέν, quo noſtratium aliquis poëtarum dixit: *Tugend und Freude ſind ewig verwandt.* Et quemadmodum apud Homerum viris fortibus θάρσος τε μένος τε, h. e. bellandi fiducia pariter ac robur a Minerva inſpirata dicuntur, ſic h. l. Chorus canendi facultatem fiduciae divinitus immiſſa tribuit. Κράτος ἀνδρῶν ἐντελέων optime de fortibus imperatoribus Agamemnone et Menelao accipias, ut v. 110. iidem δίθρονον κράτος appellantur; ut ſit i. q. κρατεροὶ ἄνδρες ἐντελεῖς. Et quod adjicitur ὄδιον ad expeditionem bellicam, αἴσιον vero ad fauſtum illud in itinere prodigium, quod mox narraturus eſt Chorus, ſpectare videtur. Ἡ θεόθεν πειθὼ eſt fiducia, quam ſenes ex eodem prodigio divinitus oblato capiebant. Haec igitur ipſis cantum inſpirabat; niſi enim ea fuiſſent confidentia, ut illud oſtentum in itinere principibus oblatum laeto belli exitu confirmatum iri ſperarent, non profecto illud cantu celebrare auſi fuiſſent. Ἀλκὰ hic de *canendi facultate*, ut de eadem στομάτων ἰσχὺς Choëph. 719., aut ut Hagedornius cantum *die ſüſse Kraft der Kehlen* appellavit. v. 112.

v. 112. ξὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι] „Euripides apud Ariſtophanem Ran. 1323. τὰ Αἰσχύλου χορικὰ μέλη διεσπαρμένα ex variis Tragoediis citans, haec affert:

Σφίγγα δυσχμερίαν
Πρύτανιν κύνα πέμπει
(Τὸ Φλαττόθραττο Φλαττόθρατ.)
Ξὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι
Θούριος ὄρνις —

ad quem locum Scholiaſtes: τὸ δὲ: Ξὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι, ἐξ Ἀγαμέμνονος, ἐκ τῆς συνεπείας τοῦ Κύριός εἰμι θροεῖν" *Stanl.*

v. 113. θούριος ὄρνις] „aquila ſcil. quae duplex apparebat, Agamemnonem et Menelaum ſignificans." *Stanl.*

v. 115. 116. κελαινὸς — ἀργὸς] „Inter ſex aquilarum ſpecies ab Ariſtotele recenſitas (de hiſt. anim. lib. IX. c. 32.) prima a colore πύγαργος, tertia a colore itidem μελαναίετος appellatur. Hanc igitur Aeſchylus κελαινὸν, illam ἐξόπιν ἀργίαν nominat." *Stanl.* Pro ὅτ' ἐξόπιν ἀργίας, quod vulgo legebatur metri cauſa, nunc reſcripſi ὅτε τοὐξόπιν ἀργός.

v. 117. ἵκταρ] „Sic Eum. v. 990. ἵκταρ ἥμενοι Διός. Heſych. ἵκταρ, ἐγγὺς, ἀπὸ τοῦ ἱκνεῖσθαι." *Stanl.*

v. 118. χερὸς ἐκ δοριπάλτου] Stanl. accepit *de manu Jovis fulminatrice*, ita ut ille hasce aquilas emiſiſſe dicatur. Commodius autem eſt χερὸς ἐκ δοριπάλπου de *manu dextra* intelligere; ut aquilae a dextra veniſſe dicantur. Sic παρ' ἀσπίδα eſt *ad ſiniſtram*, παρὰ δόρυ *ad dextram*. Germani dicunt *die Degenſeite* pro latere ſiniſtro. Notum eſt oſtenta dextra credita eſſe felicia, atque ſic etiam Bothius nuper interpretatus eſt. Accedit quod infra quoque ἐξεῖα dicuntur haec φάσματα στρουθῶν.

v. 120 ſq. βοσκόμενοι — γένναν] Simplicem ſententiam *veſcentes lepore* ſic eloquitur, veſcentes *leporino genere multa prole foecundo*. Ceperant enim aquilae leporem feminam, eamque gravidam.

v. 122. βλαβέντα] „Recte Schol. πρὸς τὸ σημαινόμενον. Subintelligendum enim λαγωὸν, cum ad γένναν referri non poſſit." *Stanl.*

v. 123. αἴλινον] „Hic verſus eſt quaſi intercalaris, qualis, ni fallor, et iſte, quem ſugillat apud Ariſtophanem Euripides,

Ἰήκοπον οὐ πελαθεὶς ἐπ' ἀρωγάν." *Stanl.*

αἴλινος h. l. ſimpl. *carmen*, non ut alias, *lugubre carmen*. Heſych. Αἴλινος, ὕμνος, ᾠδή.

τὸ δ' εὖ νικάτω] „Bene ominandi formula. Sic Ariſtid. Tom. I. p. 30. νικώη δὲ τὰ βελτίω, et infra v. 225. τὸ δ' εὖ κρατοίη μὴ διχορρόπως ἰδεῖν." *Abreſch.* Nempe quia portentum illud duarum aquilarum partim fauſtum, partim ob iram Dianae infauſtum erat, precatur Chorus, ut laetior pars vincat, ut bona tantum omina rata ſint, mala vero irrita.

v. 124. λήμασι δισσοὺς] Egregie Lobeckius ad Sophoclis Ajacem emendavit λήμασι πιστούς.

πομποῖς δ' ἀρχοῖς οὕτως εἶπε τεράζων]. Paululum mutavi vulgatam lectionem: πομπούς τ' ἀρχούς, οὕτως δ' εἶπε τεράζων. quam ſi ſequaris, inverſa verborum conſtructione uſum eſſe ſtatuas neceſſe eſt pro Ἀτρεΐδας μαχίμους πομπούς τ' ἀρχούς, ἐδάη λαγοδαίτας. Senſus igitur eſſet: *Venerandus vero exercitus augur* (Calchas) *cum vidiſſet duo animis geminos Atridas pugnaces; reliquosque duces expeditionis comites, agnovit* h. e. intellexit *leporis epulatores;* ſ. aſſecutus eſt veram hujus portenti vim, eoque Agamemnonem et Menelaum cum exercitu ſignificari vidit; *ſic vero fatur prodigium interpretans: Longo poſt tempore capiet Priami urbem haec expeditio, omnes vero intra murorum ambitum opes, quibus ante populus abundabat, fatum vi diripiet.* Multo tamen aptius eſt, quod edidimus:

Ἀτρεΐδας μαχίμους, ἐδάη λαγοδαίτας
Πομποῖς δ' ἀρχοῖς
Οὕτως εἶπε τεράζων.

v. 131.

v. 131 sqq. Οἷον μήτις ἄτα — στρατευθέν.] h. e. e versione Stanleji: *Tantum* (precor) *ne qua calamitas divinitus missa obnubilet procusum fraenum magnum Trojae expeditione profectum.* Non injuria Pauwium offendit discrepantia metaphorarum in hoc loco concurrentium. Exercitus Graecorum exquisite dicitur *fraenum magnum Trojae*; sed male cohaeret cum ista translatione verbum proprium στρατευθέν. Quomodo dici recte possit *fraenum expeditione proficisci*, non video. Accedit quod vocabulum στόμιον augeatur in vulgata lectione epitheto προτυπές. Quod primum ut vertere liceat *procusum* vehementer vereor. Deinde si liceat, vitium illud constantiae in verbis transferendis neglectae ingravescat potius, quam imminuatur. Durius enim est *procusum fraenum Trojae expeditione proficiscens*, quam simpliciter *fraenum expeditione proficiscens*, dicere. Itaque pro illo προτυπές, corrigendum arbitratus sum προτυπεῖσα, idque cum ἄτα construendum. Quam quidem emendationem viris doctis probatam non dubitavi in textum recipere. Etenim in προτυπές vitium latere, praeter illam interpretandi difficultatem, hanc ob causam verisimile est, quod metrum versus laboret, unaque syllaba deficiat, si cum strophico comparetur. Ἄτα προτυπεῖσα autem quin significare possit *calamitatem erumpentem*, nemo credo dubitabit. — Quod reliquum est, στόμιον μέγα Τροίας στρατευθὲν (etsi de veritate lectionis dubito) forsan tamen excusari possit, vel ita, ut dicatur, oraculi obscuritatem talia requirere, (Lycophronis exemplo studiose Cassandram sic loquentem inducentis) vel quia στόμιον Τροίας tropice dicatur στρατὸς vel στόλος Graecorum, participium στρατευθὲν non ad verbum στόμιον praecise, sed πρὸς τὸ σημαινόμενον, ad id, quod subintelligatur, referendum esse.

v. 134. οἴκτῳ] Sic correxi vulg. οἴκῳ, in quo constructio cum sequentibus laborat. *Misericordia enim affecta casta Diana irata est volucribus patris canibus*, h. e. aquilis.

v. 141.

v. 141. Δρόσοι ἄεπτοι μαλερῶν λεόντων sunt catuli imbecilles vel tenelli rapidorum leonum. Vocem ἄεπτοι graecam esse, dubitare me non sinit auctoritas Aristophanis Grammatici, qui ἐν Γλώσσαις teste Eustathio pro χεῖρας ἀάπτους, quod est apud Homerum Iliad. A. 567, legerat ἀέπτους, quod interpretatur Eustathius vel ἀῤῥήτους, vel δυσπαρακολουθήτους. Cl. Abresch. ad Hesych. v. ἄπτον, ait, ἄεπτον haud incommode notare posse ἰσχυρὸν, ut quod satis virium haberet πρὸς τὸ ἅμα ſ. ὁμοῦ ἕπεσθαι. Mallem tamen hic loci unam e duabus glossis a Scholiasta allatis sequi, qua ἀεπτοῖσι explicat per τοῖς ἕπεσθαι τοῖς γονεῦσι μὴ δυναμένοις, qui propter tenellam aetatem nondum adeo pedibus valent, ut cum parèntibus exire ad praedam possint. Si quis tamen est, qui vocem ἄεπτοι vel omnino graecam, vel hic saltem genuinam et Aeschyleam pertinaciter neget, is pro δρόσοισιν ἀέπτοισι facile vel ἀάπτοισι, quos tangere ſ. laedere non licet, vel ἀήτοισι h. e. insatiabilibus possit, me judice, substituere. ἄητοι, ἀκόρεστοι, ἢ παρὰ τὴν τροφὴν ἄπληστοι. *Hesych.* Illud ἀήτοισι non male responderet sequenti φιλομάστοις. Mihi tamen δρόσοισιν ἀέπτοισι genuinum videtur. Quod autem deinde legebatur, μαλερῶν ὄντων, id ego ferri non posse semper existimavi. Nam quid sibi vult illud ὄντων? Tali appendicula vocabuli plane otiosi facile carebamus. Commodum Etymologici M. auctor voce Ἔρσαι, haec notavit: ἔρση γάρ ἐστιν ἡ δρόσος· καὶ Αἰσχύλος ἐν Ἀγαμέμνονι τοὺς σκύμνους τῶν λεόντων δρόσους κέκληκε. Quid potest esse clarius, quam illum in hoc loco λεόντων legisse? Stanlejus tamen, qui illum Etymologici locum primus excitavit, nihil eo commotus est, sed potius in textu illum versum sic reddidit: *pullis nondum volatilibus ob debilitatem;* in notis autem ita: *Catulis tenellis ferarum etiam noxiarum;* ut eum fluctuasse satis appareat. Quod autem Abreschius V. C. dicit, non sequi ex verbis Etymologici, eum λεόντων legisse, cum τὸ θηρῶν ita potuerit explicare, id mihi non persuadet, praesertim cum futilitas

litas lectionis ὄντων ſat magnum corruptelae indicium praebeat. Certe vel absque illa auctoritate λεόντων hic legendum eſſe putarem. Ita enim a ſpecie ad genus pergit Aeſchylus, Dianamque dicit benevolam eſſe leonum catulis pariter atque omnium ferarum foetibus. In ſequentibus cum dicuntur δεξιὰ μέν, κατάμομφα δὲ φάσματα στρουθῶν, jubent nos viri docti in memoriam revocare portentum illud ab Homero Iliad. B. v. 300 — 340. narratum, de dracone novem paſſeres devorante. At hoc plane ἀπροσδιόνυσον eſt. Quid lepori Aeſchyleo cum paſſeribus Homericis? Non enim, quia Homerus fabulam aliquam narraverit, continuo eam Tragicis quoque obtrudendam eſſe ſupra monuimus. Στρουθοὶ h. l. non alii ſunt, niſi ipſae illae aquilae, de quibus antea ſermo fuerat. Negat quidem Heathius hoc verbum unquam niſi de paſſeribus uſurpatum eſſe. Sed injuria. Non jam ad ſcholiaſten provocabo, qui στρουθῶν h. l. intp. ἀετῶν; ſed locupletiorem habeo teſtem Euſtathium, qui ad Iliad. B. 300. (p. 435. T. I. ed. Polit.) diſerte: Ἰστέον δὲ, inquit, ὅτι ἡ μὲν τοιαύτη στρουθός, εἰδικῶς οὕτω λέγεται· ἔστι δὲ ἄλλως ἡ γενικὴ λέξις. Ac niſi olim στρουθὸς generatim quamvis avem denotaſſet, ſcire vellem, quomodo acciderit, ut ſtruthiocameli dicerentur λιβυκοὶ στρουθοί; ſtruthiocamelos enim paſſeres lybicos nominare, aeque ridiculum eſſet, ac ſi elephantos mures indicos dixiſſent; aves autem lybicas dicere conſentaneum erat, cum ſolenne ſit gentibus, peregrina animalia, cum proprium non habeant, communi nomine appellare, addito, quod patriam ſignificet, adjectivo. Pro αἰτεῖ, quod ſenſum commodum non admittit, doctiſſimus Legrand conjecit αἰεί, *ſemper*; quod etſi ingenioſe excogitatum eſt, tamen vereor ne h. l. voculae praeter neceſſitatem intruſae ſimile ſit. Viſum igitur nobis eſt αἰτῶ reponere, quod et huic periodo aptum eſt, nec a ſequentibus alienum, ubi pergit vates Ἰήϊον δὲ καλέω παιᾶνα. Sic illud αἰτῶ et hoc quod ſequitur καλέω ſibi mutuo reſpondent. Pro φάναι

praetuli lectionem Robortelli κράναι, *perficiat.* Poſt cum Diana dicitur σπευδομένα θυσίαν ἑτέραν, ἄνομον, ἄδαιτον, equidem illud ἑτέραν neque, ut Stanlejus, ἀλλόκοτον ſignificare, neque cum Pauwio τῷ δείπνῳ ἀετῶν opponi, neque, quod vult Heathius, ad alia, quae ante Iphigeniae immolationem facta eſſent, ſacrificia referendam eſſe putem; ſed ex vicinia verborum colligo tribuendum eſſe vocabulo ἑτέραν ſenſum exquiſitiorem, quo interdum ſignificat, euphemiſmo quodam, i. q. κακὸν, ſ. *infauſtum.* Vide quae notavit vir ſummus, L. C. Valckenarius in diatribe in Euripidis deperditorum dramatum reliquias (p. 112.). Poſtremo pro παλίνορσος v. 159. conjicio legendum eſſe παλίνορσον, ſic ut ad Agamemnonem redeuntem referatur; latet enim in adjectivo δεισήνορα accuſativus ἄνδρα, ut adeo παλίνορσον quarto caſu, cum ſubſtantivo ἄνδρα, quamvis non diſerte expreſſo, facile tamen ſubintelligendo, conſtrui, more Aeſchyleo, poſſit. Eleganter etiam inter plures nominativos eo loco concurrentes accuſativus ille interjiciatur. Si tamen vulgatam παλίνορσος ſervandum putes, interpretandum erit de reditu Clytaemneſtrae ab Iphigeniae immolatione, quam Aulide factam eſſe fabulis perhibebatur. Sed emendationem noſtram confirmant illa Caſſandrae verba v. 1224.

Ἐκ τῶνδε ποινάς φημι βουλεύειν τινὰ
Λέοντ' ἀναλκιν ἐν λέχει στροφωμένον
Οἴκουρον, οἴμοι, τῷ μολόντι δεσπότῃ
Ἐμῷ.

Jam ſupereſt, ut totum illum locum, pro ea quam expoſuimus ratione vel emendatum vel explicatum, latine convertamus. *Pulchra igitur dea illa, tantopere favens tenellis rapidorum leonum catulis omniumque agreſtium mammas amantibus ſ. lactentibus ferarum foetibus, jucundum harum avium, precor, portentis exitum det, fauſtis* illis quidem ob ſignificationem, *ſed culpandis tamen* ob numen Dianae laeſum; *jaculatorem autem invoco Apollinem, ne quas ventorum adverſorum Graecis diuturnas puppium retentrices*

*trices navigandi difficultates creet Diana, urgens sacrificium infaustum, haud epulandum, litium fabrum, consanguineum, virum non metuentem* (h. e. e quo jurgia domestica et odium oriantur conjugis virum non metuentis). *Manet enim reducem metuenda domus custos dolosa, memor ira*, h. e. opperitur maritum reducem uxor, domi desidens, insidiosa, memorem iram servans) *vindictam pro filia exactura.*

v. 148 sqq. ἀπλοίαι ἀντίπνοοι, navigandi difficultates ob reflantes ventos infestae; ἐχενηίδες, quae naves quasi vinculis alligant; Iphigenia autem immolanda dicitur θυσία ἄνομος, quod nefas esset filiam a patre immolari. Sic Eurip. Iphig. Aul. v. 398.

Ἐμὲ δὲ συντήξουσι νύκτες ἡμέραι τε δακρύοις
Ἄνομα δρῶντα, κ' οὐ δίκαια, παῖδας οὓς ἐγεινάμην.

Porro eadem θυσία vocatur ἄδικτος, quia ab hoc funesto sacrificio *epulae* aberant, quae in ceteris celebrari solebant. νεικέων τέκτονα σύμφυτον οὐ δεισήνορα pro νεικέων τέκτονα συμφύτων οὐ δεισηνόρων, eadem prorsus figura, ut recte Heathius observat, qua supra v. 49. dicebatur ἐκπατίοις ἄλγεσι παίδων. Aeschylus igitur causam, quae Dianam ad retinendam in Aulide classem Graecorum impulerit, hanc affert, meo quidem judicio futilissimam. Dianam nimirum Agamemnoni iratam fuisse ponit, propterea quod congregatis apud eum principibus Graecorum, cum duas Jupiter aquilas portenti causa in leporem gravidum immisisset, hunc ante regis aedes cum foetu devoratum dea illa, utpote gravidis animalibus favens, aegre tulisset. Longe probabiliore figmento Sophocles Dianae iram Agamemnonis culpae tribuit, qui cervam in luco deae venatus, insolenter simul verbis se efferens, confixisset. Electr. v. 576. cf. Hygin. fab. 98. 261. Euripides autem Iphigeniam Dianae ex voto quodam Agamemnonis debitam fuisse ponit. Quo enim anno ea nata esset, antequam in lucem ederetur, Agamemnonem Dianae pulcherrimum ejus anni foetum vovisse, adeoque ut eam

eam immolaret, religione fuisse obstrictum. Iphig. Aul. v. 530. Iphig. Taur. 24. Alii denique, ut Callimachus hymn. in Dian. v. 262 sq. ideo regi succensuisse Dianam, quod eam ad venandi certamen provocasset, narravere. Ceterum comparari potest ad vocabulum οἰκονόμος illustrandum v. 1234. et Euripidis Hecuba v. 1277. ubi Clytaemnestra dicitur οἰκουρὸς πικρά. Conf. etiam Troad. 360 sqq.

v. 163. Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστὶν] „Ita Plin. Nat. hist. 2. 7. *illud, quicquid est, summum.* Appositе vir doctissimus P. Victorius, Var. lect. lib. 13. cap. 2. *Qui in vetere cultu deorum deos invocabant, nominibusque eos appellabant, timentes ne apud eos offenderent, si forte non suo nec grato illis nomine vocassent, saepe veniam errati sui petebant, totosque se ad eorum voluntatem referebant, in arbitrio ipsorum ponentes, ut e multis id nomen adsciscerent, quo magis delectarentur, suaeque insciticae ignoscerent. Hoc fecit accurate Catullus, ritumque hunc custodivit in hymno ad Dianam; cum enim pluribus nominibus deam hanc ipsam vocasset, ad extremum inquit:*

*Sis quocunque tibi placet sancta nomine.*

Nec non Euripides, cujus hic locus a Clemente citatur Strom. lib. 5. Σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι χοὴν πέλανόν τε φέρων, Ζεύς, εἴτ' Ἀΐδης ὀνομαζόμενος στέργεις· σὺ δέ μοι θυσίαν ἄπορον παγκαρπίας δέξαι, πλήρη, προχυτίαν. *Non tantum autem e Poëtarum scriptis magnus hic ipsorum in hac re metus percipitur, verum etiam e gravissimo omnium auctore Platone, qui ita inducit Socratem in Philebo loquentem, cum Protarcho incredibilem animi sui reformidationem exponeret:* τὸ δ' ἐμὸν δέος, ὦ Πρώταρχε, ἀεὶ πρὸς τὰ τῶν θεῶν ὀνόματα οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον, ἀλλὰ πέρα τοῦ μεγίστου φόβου· καὶ νῦν τὴν μὲν Ἀφροδίτην, ὅπῃ ἐκείνη φίλον, ταύτῃ προσαγορεύω. Haec ille. Non absimilis occurrit locus apud Euripidem in Troad.

Ω

Ω γῆς ὄχημα, καὶπὶ γῆς ἔχων ἕδραν,
Ὅστις ποτ' εἶ σὺ δυσόπαστος εἰδέναι,
Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεως, εἴτε νοῦς βροτῶν,
Προσευξάμην σε." *Stanl.*

εἰ — κεκλημένῳ] Hoc paullo accuratius, quam Stanlejus, ita reddiderim: *si hoc sub nomine invocari ei gratum sit.* Κεκλημένος h. l. est qui invocatur, non tantum qui appellatur, ut Eurip. Supplic. v 625. κεκλημένους μὲν ἀνακαλούμεθ' αὖ θεοὺς vocata numina iterum invocamus.

v. 166. Τοῦτό νιν προσεννέπω est, *hoc nomine eum jam compello.* Hesychius προσεννέπειν interpretatur προσαγορεύειν.

v. 167 sqq. οὐκ ἔχω — ἐτητύμως] Si nihil in his corruptum esse statuamus, hoc modo vertenda erunt: *Non possum, quamvis omnia perpendam, absque Jove conjicere, an hoc vanum curae pondus vere oporteat abjicere.* Sed primum πλὴν Διὸς an significare possit *absque Jove*, h. e. *citra Jovis auxilium*, ambigi potest. Deinde vocabulum μάταν non unam ob causam suspectum est. Primum enim ejus culpa Strophicus versus

Πλὴν Διὸς εἰ τόδε μάταν

non respondet antistrophico

Ζῆνα δέ τις προφρονῶς.

Deinde duriusculum est, ne quid gravius dicam, dicere τόδε μάταν ἄχθος pro τοῦτο τὸ μάταιον ἄχθος. Heathius probitatem illius locutionis agnoscit quidem, nullis tamen exemplis confirmat. Ubi enim τόδε reperiatur alibi cum adverbio μάταν compositum, ibi non dubito quin μάταν cum verbo aliquo, non cum τόδε, construendum sit; v. c. apud Euripidem Iphig. in Aul. 1617. est πῶς δὲ φῶ; παραμυθεῖσθαι τούσδε μάτην μύθους; at ibi μάτην ad παραμυθεῖσθαι pertinere, quis non videt? ut Clytaemnestra hoc innuat: *Quid dicam? Num dicam frustra hosce sermones, aut narrationes, consolandi mei causa fingi?* Denique, si verum esset μάταν, haudquaquam satis apte ad sen-

ſenſum compoſitum id eſſet cum ἐτητύμως, quo vocabulo prima Antiſtrophe clauditur. Etenim quis ferret hodie Germanice ſic loquentem: *Ich weifs nicht, ob ich mir dieſe vergebliche Sorge mit Recht (oder mit Grunde) erſparen kann.* Nonne eum aut ita efferre juberemus quod vellet: *Ich weifs nicht, ob meine Sorge vergeblich iſt;* aut ſic: *Ich weifs nicht, ob ich mir dieſe Sorge mit Recht erſparen kann.* Simillima eſt horum verſuum ratio. Si τόδε μάταν ἄχθος Φροντίδος eſt, ut Heathius exiſtimat, *vanum hocce curae pondus*, non video, quomodo Chorus incertus eſſe potuerit, an id onus ἐτητύμως, *vere* ſ. *jure*, *abjici* debeat. Sane enim nemo, qui ſapiat, ſine cauſa timere aut angi velit. Alibi apud Aeſchylum recte ſibi opponuntur μάτην et ἔτυμα, ut Prometh. vinct. 294.

Γνώσει δὲ τάδ' ὡς ἔτυμ' οὐδὲ μάτην
Χαριτογλωσσεῖν ἔνι μοι.

Quae cum ita ſint, mihi quidem non dubium eſt, in mendo cubare vocem μάταν; idque mendum, optime tolli videtur ſic, ut corrigamus:

Οὐκ ἔχει τις εἰκάσαι
Πάντ' ἐπισταθμώμενος
Πλὴν Διός, εἰ τόδ' ἐμᾶς
Ἀπὸ Φροντίδος ἄχθος
Χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.

Ita et metro conſuletur et ſententiae. Jam enim totius, in qua verſamur, Strophes hic ſenſus erit: *Jupiter, quisquis eſt, ſi hoc nomine ſe invocari gaudeat, hoc ipſo eum jam compello. Nemo enim poſſit decernere*, etiamſi *omnia perpendat*, *praeter Jovem*, *utrum hoc meae curae pondus vere* ſ. *tuto oporteat abjicere.* Pulchre autem correctio noſtra ſimili loco confirmatur, ubi ſenes chorici de eadem re, de ſollicitudine ſcilicet ſua, loquuntur, v. 996 ſqq.

Εὔχομαι δ' ἀπ' ἐμᾶς τιν'
Ἐλπίδος ψυθῆ πεσεῖν
Ἐς τὸ μὴ τελεσφόρον.

Quod

Quod enim ibi eſt ἐμᾶς ἐλπίδος, *mei timoris*, id hoc loco eſt ἐμᾶς φροντίδος; atque ut ibi optat chorus, ut aliquid de ſuo timore falſum ſit, ita hoc loco incertus eſt, an ſollicitudinem ſuam tuto deponere poſſit.

v. 172 ſqq. οὐδ' ὅστις — τὸ πᾶν·] *Neque enim qui olim erat magnus* (ſcil. *deus*) *audacia nihil non oppugnante abundans, quicquam nobis* (de futuro harum rerum eventu, quem ſcire cupimus) *dicere poſſit, cum olim fuerit* (nunc vero ſcil. occiderit) et *qui poſtea exſtitit*, ſimiliter *victorem nactus periit. Jovem autem qui pia mente epiniciis celebraverit, is compos utique ſapientiae fiet;* Jovem inquam, qui ſapere mortales docet, quique hanc legem ſanxit, *ut quae nocumenta, eadem documenta ſint. Nam etiam in ſomno cruciatus e conſcientia malorum facinorum praecordia circumfundit, et vel ad invitos venit prudentia. Haec autem utique dei* ſcil. Jovis *donum eſt, potenter ſublimi ſolio inſidentis*, h. e. potenter mundi gubernacula tenentis. Hoc loco non de univerſo quodam genere hominum ferocia impotenter ſuperbientium, poſt autem gravi caſu pereuntium, (quod magnus quoque Grotius putabat), ſed potius de duobus numinibus, quae ante Jovem regnaverint, ſermonem eſſe, facile, ut ſpero nobis conceſſerit, quicunque ad oppoſitionem illam e particula adverſativa δὲ ter repetita, οὐδ' ὅστις — ὅς δ' — Ζῆνα δέ — atque ad antecedentis ſtrophae ſententiam animum intenderit. Ille autem, quem Chorus olim magnum et praepotentem fuiſſe dicit, Οὐρανός eſt, ſ. *Coelus;* qui vero poſtea victorem nactus periit, eſt *Saturnus*, Coeli filius. Hoc primum egregie confirmat locus Prometh. vinct. v. 956. οὐκ ἐκ τῶνδ' ἐγὼ — αἴσχιστα καὶ τάχιστα, h. e. *nonne ego ex his arcibus*, i. e. ex imperio coeleſti *reges duos excidiſſe vidi? Et hunc* (ſc. Jovem) *nunc regnantem tertium adſpiciam turpiſſime et citiſſime* ſcil. regno coeleſti excidentem. Ibi igitur eodem fere modo Jovis anteceſſores deſignantur. Nam quod h. l. interpretes de Typhoëo poëtam lo-

qui

qui putarunt, id vel hoc uno poteſt argumento convinci, quod Typhoëus Jovem quidem de ſolio deturbare aggreſſus, ſed ab eo victus eſt, et a magnis conatibus depulſus; hic autem aperte Aeſchylus de diis loquitur, qui re vera deorum regnum olim obtinuerunt, nec tantum invadere conati ſunt, quique ante Jovem imperio praefuerunt, quorum neutrum in Typhoëa cadere poteſt. Magnus autem probabilitatis cumulus interpretationi noſtrae accedit e diligentiore verborum, quibus duo illos priores ante Jovem rerum dominos Aeſchylus deſcripſit, conſideratione. Nam Coelus dicitur παμμάχῳ θράσει βρύων, propter ſaevitiam in omnes liberos; etenim, ut Heſiodus ait, Theogon. v. 154.

Ὅσσοι γὰρ Γαίη τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο
Δεινότατοι παίδων, σφετέρῳ δ' ἤχθοντο τοκῆϊ
Ἐξ ἀρχῆς.

Qui locus adeo clarus eſt, adeo cum noſtro ſententiae ſimilitudine conjunctus, ut eum ipſum Aeſchylus reſpexiſſe nobis videatur. Coelus autem propter ἀεικέα ἔργα, ut dicit Heſiodus v. 167 ſq., propter illud ἄμαχον θράσος, quibus verbis noſter in hac re utitur, a Saturno, ſeditione facta, genitalibus turpiter falce demeſſis, regno expulſus eſt. Ὅς δ' ἔπειτ' ἔφυ, *qui vero poſtea exſtitit*, h. e. Saturnus, qui ei ſucceſſit, τριακτῆρος ἰοΐχεται τυχών, *victorem nactus periit*. Cf. locus Platonis Euthyphr. cap. 6. Αὐτοὶ γὰρ οἱ ἄνθρωποι τυγχάνουσι νομίζοντες τὸν Δία τῶν θεῶν ἄριστον καὶ δικαιότατον. καὶ τοῦτον ὁμολογοῦσι τὸν αὐτοῦ πατέρα δῆσαι, ὅτι τοὺς υἱεῖς κατέπινεν οὐκ ἐν δίκῃ· καὶ ἐκεῖνόν γε αὖ τὸν αὐτοῦ πατέρα ἐκτεμεῖν δι' ἕτερα τοιαῦτα. — Τριακτὴρ igitur eſt Jupiter, et quanquam ita proprie dicitur is, qui ter in ludis gymnaſticis vicit, tamen hoc loco iſta vis verbi non adeo premenda eſt, ut ad ineptas argutias cum Heathio abeamus, qui quidem hic usque eo ingenio ſuo indulget, ut noſtrum ad tres illas Graecorum victorias, ad Salamina, ad Plataeeas, atque ad Mycalen, re-

reſpexiſſe ſomniet. Simpliciter igitur Saturnus victori filio ſuo ceſſiſſe dicitur: nihilque aliud h. l. ſenum choricorum animis obverſatur, quam Jovis victoriae de Saturno reportatae recordatio. Quod vel ex eo patet, quod ſtatim τῶν ἐπινικίων mentionem faciunt. Notum eſt enim epinicia ſ. Paeanas inventori Apollini tribui, qui primum ejus generis carmina Jovi poſt Saturnum devictum cecinerit. Hinc eſt, quod Tibullus (II. 5, 7.) Apollinem his verbis alloquitur:

*Sed nitidus pulcerque veni, nunc indue veſtem*
*Sepoſitam, longas nunc bene pecte comas.*
*Qualem te memorant Saturno rege fugato*
*Victori laudes concinuiſſe Jovi.*

Οἴχεται h. l. non eſt proprie *periit*, ſed *ſuccubuit, proſtratus eſt;* eſtque praeſens pro praeterito poſitum, ut Eurip. Androm. v. 919.

Ceterum qui h. l. non Coelum et Saturnum, ſed Ophiona et Saturnum a poëta deſignatos eſſe velit, utatur ſuo judicio; nihil enim impedio. Ut enim in aliis, ſic in eo quoque fabulae variant, ut ſecundum quosdam primum Ophion cum Eurynome, deinde Saturnus cum Rhea, poſtremo Jupiter cum Junone regnum deorum obtinuiſſe ferantur. Cf. Apollon. Rhod. Arg. I. 503. ibique Cl. Brunck.

v. 174. οὐδὲν ἂν λέξαι] Hoc refertur ad v. 172. ſignificatque deos illos imperio dejectos nihil de futuro rerum eventu praedicere poſſe.

v. 177. τις] „i. q. πᾶς τις." *Abreſch.*

v. 178. κλάζειν cum compoſitis inde derivatis alias quidem apud noſtrum conſtruitur cum accuſativo rei, dativo autem perſonae; v. c. autem Agam. 163. 208. Perſ. 112. Sept. adv. Theb. 230. Nihil tamen mutem, quamvis facile ſit Ζηνὶ τῷ — ὀδώσαντι, τῷ — θέντι reſcribere. Nam ſolenne eſt noſtro accuſativos duo cum hujus generis verbis jungere, rei alterum, alterum perſonae. Ζῆνα

ἐπινίκια κλάζειν, est Jovem (sc. victorem) carminibus celebrare, ab eoque victoriam precibus expetere. Ἐπινίκιον enim, sicut Paean, non semper de gratiarum actione pro parta victoria, sed etiam de carminibus, quae pro sperata victoria, pro avertendis malis quibuscunque dicuntur, usurpari solet. vid. Eustath. ad Il. A. 463. X. 391. Τεύξεται φρενῶν τὸ πᾶν non est h. l. *compos fiet usquequaque sui propositi*, ut Stanlejus vertit; sed potius i. q. ὁλοσχερῶς φρόνιμος ἔσται, quae est interpretatio Scholiastae nequaquam, si quid video, spernenda. Id sequentia docent, τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώσαντα etc. ubi haud obscure agitur de prudentia, quae hominibus dono divino veniat, e poenarum sensu mala facinora consequentium.

v. 181. τὸν πάθη μάθος] Ut notum est proverbium τὰ παθήματα μαθήματα, sic bene dici potest τὰ πάθη μάθος ἔχει. Μάθος vero etiam diserte legitur in Aldina, quod perperam a quibusdam sequentibus mutatum est. Pro πάθει autem πάθη scripsi, non facili magis mutatione, cum η et ει centies a librariis permutata sint, quam idoneis argumentis ductus, quae istam emendationem suaderent. Nam et pluralis numerus hic aptior est, et accusativum (πάθη) non dativum (πάθει) postulat constructio. Jupiter ἓξη πάθη μάθος ἔχειν, *hanc quasi legem sanxit, ut quae noceant, eadem et doceant.* Quod autem τῷ in τὸν mutavi, id eo faciendum esse arbitratus sum, quod substantivo πάθος hic articulo nihil opus esset, (indefinite enim talia efferri solent,) et quod τὸν repetitum propter vim anaphorae, sententiae venustatem ac pondus augeret:

ΤΟ'Ν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώσαντα, ΤΟ'Ν πάθη μάθος
θέντα κυρίως ἔχειν.

Dici autem non potest, quoties illam sententiam τὰ παθήματα μαθήματα, et quam varie extulerint tragici qui superstunt omnes. E Sophocle tantum excitabo ultimos

An-

Antigones verſus, multum hunc noſtrum locum illuſtrantes:

Πολλῶ τὸ Φρονεῖν εὐδαιμονίας
Πρῶτον ὑπάρχει. Χρὴ δὲ τά γ' εἰς θεοὺς
Μηδὲν ἀσεπτεῖν. μεγάλοι δὲ λόγοι
Μεγάλας πληγὰς τῶν ὑπεραύχων
Ἀποτίσαντες
Γήρᾳ τὸ Φρονεῖν ἐδίδαξαν.

Chorici autem ſenes noſtri Jovem ab iis qui ſapere velint invocandum, et carminibus, ut pericula avertat, implorandum eſſe monent. Hunc enim ſolum eſſe, qui omnia regat, (veteribus diis Coelo et Saturno excluſis) hunc et piis hominibus, qui eum precibus ſalutent, hanc mentem dare, ut ſibi a malitia cavere ideoque etiam a poenis tuti eſſe poſſint; hunc vero etiam eos, qui deliquerint, damnis inflictis ad ſapientiam perducere.

v. 133. Στάζειν πρὸ καρδίας dicitur dolor: qua imagine ſaepius utitur Aeſchylus, ut graves animi affectus cor quaſi inundare, ſeu in cor ſtillare dicantur, propter ſanguinis ſcilicet effuſionem, ejusque in corde nimiam repletionem. Sic v. 1130. ἐπὶ δὲ καρδίαν ἔδραμε κροκοβαφὴς σταγών. Sic de ira Choëph. 181. ἐμοὶ προσέστη καρδίας κλυδώνιον χολῆς. Μνησιπήμων πόνος eſt angor e recordatione ſeu conſcientia malorum facinorum. Nam angore conſcientiae fraudisque cruciatu agitantur homines, qui ſe ſceleribus alligaverunt. Nec dubium eſt, quin Chorus hic reſpexerit ad piaculum ex immolatione Iphigeniae conceptum. Quod autem additur ἔν θ' ὕπνῳ, *etiam in ſomno*, vel eo ſpectat, quod, qui atrox quoddam facinus commiſere, ſine cura quieſcere non poſſunt, vel intelligitur de ſomniis terribilibus, quibus facinoroſi anguntur, e ſomnoque excitantur, quod egregie confirmatur Choeph. v. 30 ſqq. ubi Clytaemneſtra nocturnis viſis excitari dicitur: Τορὸς γὰρ Φόβος ὀρθόθριξ Δόμων ὀνειρόμαντις ἐξ ΥΠΝΟΥ κότον πνέων, ἀωρόνυκτον ἀμβόαμα Μυχόθεν ἔλακε περὶ φόβῳ. — Graviſſima autem eſt ſententia, nec tamen

men gravior quam vera: Καὶ παρ' ἄκοντας ἦλθε σωφρονεῖν. Homines enim, divinam facinorum ultionem experti, *inviti*, h. e. nulla alia ratione dociles, et cum ſenſu doloris, quo melius caruiſſent, ſapere diſcunt. Δαιμόνων χάρις eſt *Jovis gratia* ſ. *donum*. Familiaris enim Aeſchylo eſt pluralis pro ſingulari poſitus. v. c. de eodem Jove dicitur Prometh. 149.

Νέοι γὰρ οἰακονόμοι κρατοῦσ' Ὀλύμπου
Νεοχμοῖς δὲ νόμοις Ζεὺς ἀθέτως κρατύνει,
Τὰ πρὶν δὲ πελώρια νῦν ἀΐστοῖ.

Atqui non plures erant novi οἰακονόμοι, ſed unus Jupiter imperium deorum invaſerat. cf. Prometh. 310. 438. Sic Choëph v. 51. dicuntur δεσποτῶν θάνατοι, pluraliter, de unius Agamemnonis caede.

Quod autem v. 190 ſq. additur βιαίως σέλμα σεμνὸν ἡμένων, id, quam vim haberet, interpretes, qui univerſe de ſede ſeu ſedili intellexerunt, non ſatis animadvertiſſe videntur. Cum autem σέλμα ſit tranſtrum navis, ſimilis eſt locutio σέλμα σεμνὸν ἧσθαι Romanae, qua ſummi magiſtratus reip. dicebantur *in puppi ſedere*, *et clavum tenere*. Et ſaepius hac imagine uſus eſt Aeſchylus, ut deorum hominumque imperium cum gubernatione quaſi navis cujusdam compararet. Cf. Agam. 1627 ſq. Ita loco paulo ante commemorato, nemo dubitare poteſt, οἰακονόμον Jovem dici ex rei nauticae ſimilitudine. Atque adeo ſi quis h. l. phraſin Aeſchyleam noſtro ſermone imitari vellet, non diceret: *die Gottheit*, *die mächtig auf dem erhabenen Throne ſitzet*, (quamquam et haec imago alibi occurrit, ut Suppl. 106 ſqq.) ſed potius: *die Gottheit*, *die gewaltig auf erhabenem Sitze das hohe Steuerruder lenkt*. Itaque non opus eſt, cum doctiſſimo *le Grand* βιαίως in βεβαίως mutare. Saepe enim ſummam Jovis vim ac potentiam Aeſchylus celebrat, e. c Prometh. 162 ſqq. v. 403. v. 673. v. 706. Nec magis quemquam offendere debet verbum ἧμαι cum accuſativo conſtructum, etſi alibi

bi ut Choëph. 947. Suppl. 106 — 108. ἧμαι cum ἐπὶ ſequente genitivo conjungitur. Sic enim ἐφέζειν cum quarto caſu occurrit Agam. v. 673. Eumen. 449. et ἔφημαι Eumen. v. 412.

Ceterum non eſt ſilentio praetereundum, quamquam Chorus h. l. univerſe loqui videri poteſt, non tamen adeo locum communem eſſe, ut ad propriam perſonam accommodatus non ſit a tragico noſtro, quem hoc ipſo excelluiſſe diximus, quod tantum non ubique, quid locus et tempus poſtularet, viderit, et ut cuique perſonae convenientia redderet, feliciter elaborarit. Nam in his verbis στάζει — σωφρονεῖν tacita ineſt ſignificatio ſollicitudinis de Agamemnonis fortuna, quem propter Iphigeniae filiae caedem punitum iri ominatur. Illam enim regis fortunam obſervari ſenum Choricorum animis et antecedentium v. 151 — 167. conſequentiumque v. 192 ſqq. argumentum declarat, quae, niſi ita eſſet, ſane cum interjectis v. 168 — 191. male cohaererent; et vere extra dubium ponit locus Agam. 1561 ſqq. noſtro et ad ſententiam et ad elocutionem ſimillimus. Caeſo enim Agamemnone, Chorus, poſtquam erat cum Clytaemneſtra altercatus, haec autem v. 1561. jure caeſum eſſe regem contenderat ob Iphigeniae immolationem, in haec verba erumpit:

Ὄνειδος ἥκει τόδ' ἀντ' ὀνείδους.
Δύσμαχα δ' ἔστι κρῖναι.
Φέρει φέροντ', ἐκτίνει δ' ὁ κτείνων.
Μίμνει δὲ μίμνοντος ἐν χρόνῳ Διὸς
Παθεῖν τὸν ἔρξαντα. θέσμιον γὰρ
Τίς ἂν γονὰν ῥῷον ἐκβάλοι δομῶν;

h. e. *Probrum probro cumulatur. Difficile autem eſt haec judicare* (quem ſcil. exitum habitura ſint). *Aufert* (Clytaemneſtra) *auferentem* (ſcil. regem, qui Iphigeniam mactaverat); *luit autem* h. e. luet caedem regis) *interfector* (quo nomine Clytaemneſtra et Aegiſthus ſignificantur). *Et quamdiu Jovis regnum manebit, tam diu vetus illa lex*

*valebit, ut quo quis peccaverit, eodem et puniatur. Quis enim legitimam prolem domo exturbet?* Ut igitur illo loco ex caede Agamemnonis et ejectione Oreſtae Chorus reginae poenam Jovis ominatur, ſic his, in quibus verſamur verſibus, de ſorte Agamemnonis propter filiae caedem male metuit; utroque loco nixus graviſſima ſententia: Jovem nullum facinus inultum relinquere, ſed ejus poenam certo quamvis tardo interdum pede ſceleſtos perſequi.

v. 188 ſqq. καὶ τόθ' ἡγεμὼν etc.] *Ac tum quidem imperator natu major* (Agamemnon) *navium Achaicarum, vatem* (*Calchantem*) *minime vituperans, incidentibus* (potius) *caſibus aſſentiens, quando navigandi impotentia, naves exhauriente, gravabatur populus Achaicus, e regione Chalcidis ſtationem habens in Aulidis littoribus retro ſtrepente fluctu madentibus: venti autem a Strymone ingratum otium et famem afferentes, importuni, hominum ſeductores, nec navibus nec funibus parcentes, longum tempus addentes morae, florem Argivum carpebant. Poſtquam vero acerbae tempeſtatis infauſtum remedium* (ipſa hac tempeſtate) *gravius principibus vates denunciavit, mentionem faciens Dianae, ut terram ſcipionibus percutientes Atridae lacrymas non tenerent*, tunc *igitur rex natu major haec dixit: Gravis quidem calamitas, non parere! Gravis vero, ſi filiam lacerave ro, domus ornamentum, maculans virginis occiſae ſanguine paternas manus ad aram. Quidnam horum ſine malis? Quomodo autem claſſis defertor fiam, a ſociis deficiens? Sacrificium enim, quod ventorum impetum ſedaret,* (*h. e.*) *virgineum ſanguinem vehementer et iracunde flagitare jus fasque eſt. Bonum enim eſſet!* Hic primum illud obſervamus, conſtructionem verborum inchoatam verſu primo ſecundae antiſtrophes uno eodemque ſpiritu decurrere, usque ad primum tertiae Antiſtrophes verſum. Tollenda igitur erant punctorum ſigna, poſt ultimum ſecundae Antiſtrophes, et poſt tertiae Strophes ſextum itemque ultimum verſum; cum enim longiſſimus ſit verborum

borum circuitus, poëta noſter argumentum verſus primi ſecundae Antiſtrophes

Καὶ τόϑ' ἡγεμὼν ὁ πρέσβυς

iterum repetit Antiſtrophen tertiam exorſus, conſtructionis filo quaſi reſumto,

Ἄναξ ὁ' ὁ πρέσβυς τότ' εἶπε φωνῶν.

Quod autem Agamemnon dicitur μάντιν οὔτινα ψέγων, quod Stanlejus vertit, *vatem neminem vituperans*, id potius latine ſic erat reddendum, *vatem nequaquam vituperans*. Nam neque erat alius vates, quem rex culpare poſſet, praeter Calchantem, et οὔτις apud noſtrum ceterosque Tragicos ſaepe pro ſimplici negatione οὐ ponitur. Sic v. c. Sophocl. Electr. v. 515. οὔτις πω ἔλειπεν ἐκ τοῦδ' οἴκου πυλύπονος αἰκία idem eſt ac οὐδέπω. — Non eſt autem hoc loco ſilentio praetereundum, Aeſchylum et Euripidem in notandis Agamemnonis moribus diverſam plane viam ac rationem iniiſſe. Aeſchylus enim regem, tempeſtate quidem primum coorta, ſingit neceſſitati parentem, fortunaeque caſibus acquieſcentem; ἐμπαίοις τύχαισι συμπνέοντα· poſt autem Calchantis oraculo de immolanda filia audito, vehementer animo commotum, et ad ſummam conſilii inopiam redactum; tandem vero urgentibus Graecis, cum eos Iphigeniae ſanguinem jure ſuo depoſcere decreviſſet, victum, animoque ad vitam filiae pro republica negligendam obſirmato, cedentem. Apud Euripidem vero Iphig. in Aul. Agamemnon tempeſtate coorta, ſecunda navigatione carens, vehementer angitur et conſternatur; Graecisque flagitantibus, ut exercitum dimittat, cedere non vult, ne ſperata imperii gloria fruſtretur; Calchantis itaque vaticinio edoctus, Iphigenia Dianae immolata ſecundam Graecis navigationem fore, lubenter ſe id facturum promittit, literis etiam ad uxorem datis jubet eam filiam quaſi Achilli nupturam ad naves mittere. Paulo poſt autem filiae caritate paternique amoris affectu victus, poſtquam diu noctem inſomnem

ducens secum ipse pugnaverat, aliam epistolam seni cuidam famulo dat, ad uxorem perferendam, qua nuptias filiae in aliud tempus dilatas esse scripserat, ac ne jam filiam mitteret, interdixerat. Sed haec epistola a Menelao intercipitur; unde inter eum et Agamemnonem lites oriuntur, Menelao sacrificium Iphigeniae vehementer urgente, Agamemnone autem constanter, ut patrem decebat, repugnante. Dum haec aguntur, nuntius intervenit, narrans jam venire Clytaemnestram cum filia, nec longe eas abesse. Quo nuntio Agamemnon plane perculsus miseriamque suam tristemque fortunam accusans, adeo movet Menelai misericordiam, ut is suapte sponte fratri significet, se jam a pristina sententia discedere, filiamque ei suam jam eripere amplius nolle. Agamemnon autem fratris quidem animum laudat, negat autem sibi propter caeteros Graecos, quibus jam denegari non possit Iphigenia, illius benevolentia uti licere, ferendam sibi potius esse illam, quae evitari nequeat, calamitatem. Quibus inter se comparatis facile intelligitur, Agamemnonem Aeschyleum Euripideo duriorem, fortiorem et constantiorem esse.

v. 191. ἐμπαίοις] *incidentibus;* ita postea v. 357. πρόσπαια κακά." *Stanl.* συμπνέων, *accommodans se, non repugnans.*

v. 192. ἁπλοίᾳ κενaγγεῖ] „i. e. omnem absumente commeatum, omnia vasa evacuante. Vox κενaγγία frequens Hippocrati. Vid. Foes. oecon. et Steph. Thes." *Abresch.*

v. 194 sq. Cum ab Aeschylo dicitur populus Achaicus πέραν Χαλκίδος ΕΧΩΝ, ἐν Αὐλίδος παλιῤῥόθοις τόποις, illud ἔχων non interpretor cum Scholiasta ἐχόμενος, *retentus*, quod fieri non potest per usum loquendi, sed ἔχειν est h. l. *habitare*, *aliquo loco degere*, *commorari;* ut ἔχειν de urbibus usurpatum interdum significat *situm esse*, *adjacere*, v. c. Xenoph. Ἀναβ. VII, 8.

Παλίῤῥοθοι Αὐλίδος τόποι dicuntur propter aestum Euripi, cui Aulis adjacebat, seu ejus fluxum et refluxum; qua imagine utitur Lucanus V. 235.

Eu-

Euripusque trahit *curſum mutantibus undis*
Chalcidicas puppes ad iniquam claſſibus Aulim.

v. 196 ſq. venti adverſi, qui Graecos detinebant, appellantur κακόσχολοι, νήστιδες, δύσορμοι, h. e. *qui ſaepe ingratum otium important* navigare cupientibus, *qui famem ſaepe* navigantibus *afferunt*, dum eos ſcilicet ad ſcopulos deſertos, ubi cibi ſit inopia, detrudunt, *qui denique impediunt, quo minus nautae feliciter appellere, ſeu in portus intrare queant.* Nimirum in his epithetis vis paſſiva in activam mutata eſt. Proprie enim κακόσχολοι, νήστιδες, δύσορμοι ſunt *male feriati, jejuni, importuni.* Eodem modo hae ventorum tempeſtates dicuntur βροτῶν ἄλαι, *hominum errores*, h. e. *qui homines circum maria et littora errare cogunt.*

v. 200. κατέξαινον ἄνθος Ἄργεος] pulchra metaphora; proprie enim venti floribus, quos decutiunt, nocent. Eſt autem ἄνθος Ἄργεος (ut ſupra Perſ v. 59. ἄνθος Περσίδος αἴας. Eurip. Troad. 808. ἄνθος Ἑλλάδος) *delecta manus Graecorum*, qui propter adverſos ventos otiò marceſcebant.

v. 221. ἀρχὰς — ἐπιθυμεῖν] Bothius e conjectura edidit ὀργαῖς περιόργοις ἐπιθυμεῖν.

εὖ γὰρ εἴη] male reddidit Stanlejus, *quod bene eveniat*; eſt enim h. l. excuſandi formula, qua rex ſignificat, ſe non magnopere poſſe Graecos culpare, quod Iphigeniae mactationem flagitent; *eſſet enim*, inquit, *utile et conducibile.* Ac fortaſſe vera lectio eſt: εὖ γ' ἂν εἴη.

v. 222 ſqq. Primis quartae Strophes verſibus dura ſors Agamemnonis deſcribitur neceſſitatis vinculis adſtricti, indeque ad quilibet audendum compulſi. Ἐπεὶ δ' ἀνάγκας ἔδυ λέπαδνον, *poſtquam vero* (rex) *neceſſitatis jugum ſubiit, ejusque fraena accepit.* — Λέπαδνον proprie eſt lorum, quo equi ad jugum vel ad temonem alligantur; omnino tamen, hac verbi proprietate neglecta, poëta videtur reſpexiſſe ad ſimilitudinem, quae inter neceſſitatem et fraena ſive habenas, quibus equi reguntur et coercentur, intercedit. — Φρενὸς πνέων δυσεβῆ τροπαί-

αν, ἄναγνον, ἀνίερον, *tum mentis converſionem* ſ. *conſilii mutationem, impiam, inceſtam* ſ. *profanam ſpirans.* — Τροπαία ſubſtantivum eſt noſtro, ſignificatque *converſionem, mutationem*, v. c. Choëph. 773. Ζεὺς τροπαίαν κακῶν θήσει, uni Scholiaſtes recte explicat μετατροπήν, eſt enim vocabulum ad animorum a priſtina conſiliorum ratione deflexam ab equorum flexu translatum. Φρενὸς autem τροπαίας dicitur δυσσεβής, ἄναγνος, ἀνίερος, Homeri ratione, qui ſaepe ſubſtantivis triä epitheta jungit, unum quidem antecedens ſubſtantivum, reliqua autem duo poſtpoſita. Nec ſane hic otioſa poſuit Aeſchylus epitheta; nam cum duplex ſit mentis mutatio, vel a pravitate ad meliorem frugem redeuntis; vel a bonis conſiliis ad pejora deflectentis, non magis ad vim ſententiae quam ad perſpicuitatem pertinebat, adjectivis quibusdam definiri, quam vim neceſſitatis ad animos hominum convertendos intelligi vellet. Coacervatio autem iſta: δυσσεβῆ, ἄναγνον, ἀνίερον, et atrocitatem facinorum deſignat, ad quos miſeri mortales dira neceſſitate adigantur, et hoc ſimul affıcit, ut ab univerſo (generatim enim haec dici nullum dubium eſt) animum tamen ad certam perſonam certumque tempus Agamemnonis, triſtemque ejus caſum traducamus. Subit enim animum noſtrum recordatio verborum Calchantis, quibus, ne Diana poſtularet θυσίαν ἑτέραν, ἄνομον, ἄδαιτον, deprecatus erat v. 156. Nihil igitur impedire videtur, quo minus illorum verſuum hunc ſenſum eſſe ſtatuamus: *Poſtquam vero* (rex) *neceſſitatis jugum ſubiit, ejusque fraena accepit, tum ſane mutationem animi ſpirans impiam, nefariam, profanam*: h. e. quibus et alii mortales ad atrocia facinora mentem convertere ſaepe coguntur, et hic ipſe Agamemnon ad *impium, inceſtum profanumque* ſacrificium filiae animum inclinabat. ἄναγνον h. l. eodem ſenſu dicitur, quo Lucretius I. 99. uſurpat in eadem re vocabulum *inceſte*:

*Sed* (ut Iphigenia) *caſta inceſte, nubendi tempore in ipſo,*
*Hoſtia concideret mactatu moeſta parentis.*

Jam

Jam ſequitur parentheſis: Τόθεν τὸ παντότολμον Φρονεῖν μετέγνω βροτούς, *unde ille ad quidlibet audendum promtos fieri ſolere mortales ſero* (ſeu quaſi ex poſtfacto) *intellexit* (ſuo nimirum exemplo filiae vitam illudentis edoctus, ceterorumque ducum talem hoſtiam flagitantium) θαρσύνει γὰρ αἰσχρόμητις τάλαινα παρκοπὰ πρωτοπήμων, h. e. *audaces enim eos facit maleſuada et infelix fraus, qua ſe jam ante obligaverunt, et ex quo tanquam fonte cetera facinora promanant.* Μετέγνω h. l. eo ſenſu dicitur, quo id verbum antiquitus uſurpatum fuit, ut ſignificaret, *aliquid poſt intelligere*, ſeu *ſero intelligere*, *etwas hinterher ſehen.* Ex hac verbi ſignificatione altera illa notior vulgo, *poenitendi* nimirum, detorta eſt; quoniam is, quem alicujus rei poenitet, ſero ſeu ex poſtfacto intelligit, eam rem ſibi noxiam aut inutilem fuiſſe. Μεταγινώσκειν nec apud Homerum, nec apud Heſiodum, nec apud Pindarum, quantum equidem ſcio, occurrit. Sed eodem quo hic ponitur ſenſu, occurrit Suppl. v. 116. adeoque haec vis vocabuli ex Aeſchylo declaranda eſt. Senſus igitur eſt, *unde* (nimirum *ex dura neceſſitate*) *ille ſero intellexit homines ad quidlibet audendum promtos fieri ſolere.* Nimirum pro vulg. βροτοῖς, reſcripſimus βροτούς. Et hoc quidem primum Scholiaſtae verba confirmant, qui βροτούς, non βροτοῖς, legiſſe videtur; cum hoc modo explicat: ὅθεν ἔγνω πάντα τοὺς ἀνθρώπους τολμᾶν, ἀπὸ τῆς ἀνάγκης δηλονότι. Deinde nec Stanleji, nec Heathii rationes difficultatem hujus loci expediunt. Stanlejus vertit: *unde ſupra modum ſapere poenituit mortales;* quam quidem verſionem nec ipſa verba ferunt, et vero quae ſequuntur plane ſubvertunt. Nam ſi eſt ut poeniteat mortales conſiliorum, quomodo hanc ipſam poenitentiam cum audacia plura et majora perpetrandi conglutinant? Heathius Pauwii opinionem commentis recte abjectis alia ſubſtituit, haud multum, quod pace ejus dixerim, meliora. Reſcribit enim τόθεν τὸ παντότολμον Φρονεῖν μὲν ἔγνων βροτοῖς, eaque ſic vertit: *Inde animum ad omnia audacem ac prom-*

*promtum mortalibus venire obſervavi.* Ut enim illud non urgeam, conſtructionem vel ſic impeditam eſſe, ſenſumque, quem Heathius exire putat, non ſponte fluere, ſed quaſi piſtillo quodam extundendum eſſe, hoc maxime lectorem ab ejus partibus avocare debet, quod ineptum eſt Chorum hic de ſe loqui, et quid ipſe ſentiat aut cognoverit in medium afferre, quod nemo ſane hoc loco exſpectabat. Sin autem, quod non volumus, haec dixit: *Poſtquam vero rex neceſſitatis fraena accepit, conſilii mutationem impiam, inceſtam, profanam ſpirans, unde mortales ad quidlibet audendum promtos fieri ſero intellexit;* omnia et inter ſe bene cohaerent, et quae ſequuntur optime conveniunt: Θαρσύνει γὰρ αἰσχρόμητις τάλαινα παρακοπὰ πρωτοπήμων. Quia v. 6. prima ſyllaba longa eſſe debet, ut verſus antiſtrophico reſpondeat, Θρασύνει mutavi in Θαρσύνει. — Παρακοπὰ πρωτοπήμων h. l. eſt i. q. πρώταρχος ἄτη Agam. 1193. *prima noxa*, *prima fraus*, ex qua deinceps plura et majora conſequuntur. Haec igitur prima fraus appellatur αἰσχρόμητις, quia ad alia turpia facinora incitat, (αἰσχρὰ ποιεῖν ἀναγκάζουσα, Schol.); appellatur etiam τάλαινα propter infelicem horum facinorum exitum. Comparari poteſt Clytaemneſtrae dictum apud Senecam Agam. 169. 170.

*O ſcelera ſemper ſceleribus vincens domus!*
*Cruore ventos emimus, bellum nece!*

Quaerat autem hic fortaſſe aliquis, quaenam hic Agamemnonis et principum Graecorum prima noxa fuerit, propter quam ad alterum illum piaculum, immolandae Iphigeniae, ſuſcipiendum fuerint adacti! Hanc vero primam Graecorum noxam Chorus noſter ipſo bello conceptam eſſe ponit propter Helenam adverſus Trojanos ſuſcepto. Injuſtum enim multis videbatur, Agamemnonem tot civium vitam unius mulierculae cauſa profundere. Quod ita eſſe certo ſibi perſuadebit, quisquis Agam. v. 441 — 469. et v. 799 — 804. legerit, quibus locis nihil eſt ad confirmandam ſententiam noſtram illuſtrius. Imo

et

et ſequentibus verbis tacita ineſt ejus rei ſignificatio: Ἔτλα δ' οὖν — Γυναικοποίνων πολέμων ἀρωγὰν etc. *auſus eſt igitur filiam ſuam ſacrificare, belli ut eſſet, propter mulierculam ſuscepti, praeſidium.* — καὶ ναῶν προτέλεια, horum verborum vim pleniſſime expreſſit latinis verbis Clytaemneſtra apud Senecam v. 163. LUSTRALE CLASSI *Doricae peperi* CAPUT. προτέλεια ναῶν enim nihil aliud ſignificat quam *ſacrificia pro fauſto navium egreſſu oblata*; pluralis pro ſingulari.

v. 132 ſqq. λιτὰς — βραβῆς] Recte iſta Stanlejus ita reddidit: *Preces vero* (Iphigeniae) *et voces patrem invocantes vitamque virgineam nihili fecerunt belli cupidi principes.* Quamquam aliquando dubitandum mihi videbatur, an κλῄδονες πατρῶοι non potius malam patris famam quam *voces patrem invocantes* ſignificaret. Sed poſtea mihi perſuaſi, quemadmodum Perſ v. 701. ἐμὴν αἰδῶ dictum eſſet, pro ἐμοῦ αἰδῶ ſic h. l. κλῄδόνας πατρῴους voces Iphigeniae patrem invocantes deſignare.

In Antiſtrophe primum verſu quarto, qui eſt jambicus dimeter, pro παντὶ θυμῷ repoſui παντὶ σθένει; nam θυμῷ ſpondeus eſt, quam in ſecundam regionem jambici metri ingredi nefas eſſe conſtat. Heathius itaque transponi volebat: παντὶ προνωπῆ θυμῷ; verum haec transpoſitio mihi neſcio quomodo non placet. Παντὶ σθένει notiſſimum eſt pro ὅλῃ δυνάμει, ut Suidas explicat. — Porro pro φυλακὰν v. 6. Antiſtr. 5. corrigendum putavi φύλακας, idque metri cauſa ante καλλιπρώρου ponendum. Ita ſenſus exibit optimus et commodiſſimus: *Juſſit autem pater popas poſt preces puellam tanquam capram ſuper altare veſtibus involutam omnibus viribus, pronam tollutim corripere, eosque* (tanquam) *cuſtodes, oris formoſi vocem, infauſtam aedibus regiis, vi fraenorumque muto robore comprimere.* Κατασχεῖν ut cum φυλακὰν conſtruatur, fieri non poteſt; ſed κατασχεῖν φθόγγον eſt *vocem cohibere* ſeu *comprimere.* Hac ratione illi popae bene dicuntur φύλακες ſeu cuſtodes. Cavere volebat Agamemnon, ne Iphigeniae ſorte dirae

dirae aut imprecationes exciderent, quae damnum eſſent generi ſuo illaturae. Quod autem poëta dixit juſſos eſſe popas formoſi oris vocem infauſtam comprimere βίᾳ χαλινῶν, ἀναύδῳ τε μένει, in eo nihil eſt, quod nos offendere debeat. Ἄναυδον μένος χαλινῶν, gravis eſt metaphora, planeque Aeſchylea. Sic pulvis ab agmine excitatus dicitur ἄναυδος ἄγγελος Sept. adv. Theb. 82. In ſequentibus κρόκου βαφὰς δ' ἐς πέδον χέουσ' perperam quidam de ſanguine Iphigeniae intellexerunt. Κρόκου βαφαὶ ſunt *velamenta croco tincta*, ut Perſ. 662. occurrunt crepidae croco tinctae, et Pind. Pyth. 4. 413. κρόκεον εἷμα. Hoc loco autem *vittae* ſeu *infulae* intelliguntur, Iphigeniae, ut hoſtiae, more ſolenni impoſitae; id quod pulcre confirmatur loco illo Lucretii, qui quidem ita ſimilis eſt noſtro, ut Aeſchylum Lucretius imitatus eſſe videatur:

*ſaepius olim*
*Relligio peperit ſceleroſa atque impia facta*
*Aulide quo pacto Triviaï virginis aram*
*Iphianaſſaï turparunt ſanguine foede*
*Ductores Danaum delecti, prima virorum.*
*Cui ſimul infula virgineos circumdata comptus,*
*Ex utraque pari malarum parte* profuſa eſt
*Et moeſtum ſimul ante aras adſtare parentem*
*Senſit et hunc propter ferrum celare miniſtros;*
*Aſpectuque ſuo lacrymas effundere cives,*
*Muta metu terram genibus ſubmiſſa petebat,*
*Nec miſerae prodeſſe in tali tempore quibat,*
*Quod patria princeps donarat nomine regem.*
*Nam ſublata virum manibus tremebundaque ad aras*
*Deducta eſt, non ut ſolenni more ſacrorum*
*Perfecto poſſet claro comitari Hymenaeo,*
*Sed caſta inceſte, nubendi tempore in ipſo,*
*Hoſtia concideret mactatu moeſta parentis*
*Exitus ut claſſi felix fauſtusque daretur,*
*Tantum Relligio potuit ſuadere malorum!*

Ita

Itaque κροκοῦ βαφὰς δ' ἐς πέδον χέουσα eſt i. q. *infulis croco tinctis ex utraque parte in terram profuſis.* ἐβαλ' ἕκαστον θυτήρων ἀπ' ὄμματος μὲν βέλει Φιλοίκτῳ pulcherrime dictum pro eo, quod pedeſtri ſermone diceretur: *oculorum adſpectu omnes ſacrificantes ad miſericordiam commovit.* Φίλοικτον βέλος de miſericordia ſic dicitur ut Prom. 650. ἱμέρου βέλος de amore.

v. 247. πρέπουσα δ' ὡς ἐν γραφαῖς] Haec deſcriptio venuſtatis ſimilis eſt ei, qua nos utimur: *bildſchön;* ſimilis etiam comparationi a ſtatuae pulchritudine ductae, ut apud Euripidem Hecub. 560. Polyxena fertur στέρνα ὡς ἀγάλματος oſtendiſſe. Προσεννέπειν θέλουσ', *haud ſecus ac ſi principes ſacrificantes alloqui vellet*, quod tamen ei non licebat. ἐπεὶ πολλάκις πατρὸς κατ' ἀνδρῶνας εὐτραπέζους ἤμελψεν; hoc ideo additur, ut appareat, quo modo Iphigenia familiariter adſpicere principes Graecorum, quaſi allocutura, potuerit; non ignotos enim compellaſſet, cum ſaepe in patris coenaculis opiparis poſt coenam, ad quam illi duces invitati eſſent, patris juſſu cantaſſet. Poſt ἤμελψεν commate tantum diſtinguendum eſt, ſententiae enim filum hic tantum inchoatum, quinta demum ſtrophe pertexitur.

v. 251 ſqq. ἁγνᾷ — ἐτίμα] *Caſta autem voce virgo viri expers cari patris felicitatem lubenter celebrabat.* Vulgo legitur ἁγνᾶ, nominandi caſu, quod quia idem fere eſſet, quod ἀταύρωτος, concinnius nobis videbatur dativum ἁγνᾷ reponere, ut cum αὐδᾷ conſtrueretur. *Caſta carmina* laſcivis discrepantia virginem decent. Τριτόσπονδον, quod metrum non fert, cum Stanlejo in τρίσπονδον demutavi, ejusdem fere notionis vocabulum. Si τριτόσπονδος ab Aeſchylo ſcriptum eſſet, ut ad Iphigeniam, aut τριτοσπόνδου ut ad Agamemnonem referretur, intelligerem ſic, ut ſignificaretur, virginem poſt tertiam demum libationem in coenaculum adductam fuiſſe. Non enim ipſi virorum convivio virginibus intereſſe licebat. Nunc cum id metrum non ferat, τρίσπονδον cum Scholiaſta interpretor de mul-

multis ab Agamemnone celebratis et εὐωχίαις et συμποσίοις, quae res utique olim in parte felicitatis numerabatur. Felicitatem vero honoratorum virorum non magis quam virtutem laudibus et carminibus celebrari solitam fuisse, e multis Pindaricorum carminum locis constat. Cf. etiam Pers. 711 sqq.

v. 1254. Τὰ δ' ἔνθεν οὐκ οἶδα γ', οὔτ' ἐννέπω] Τὰ δ' ἔνθεν interpretor, *quae inde consecutura sint*, (ut saepe apud Aristotelem τὰ ἐντεῦθεν sunt, *quae inde consequuntur*) ut his verbis contineatur suspicio quaedam de Agamemnonis fortuna. Qui ad praeteritum tempus trahunt, vulgatumque sic vertunt: *quae vero post facta sunt, neque vidi neque dico*, plane non vident, quid locus et tempus, et orationis perpetuitas postulet. Ineptum enim esset, senes dicere, se quae postea consecuta sint, nescire, quod aut falsum erat, aut, quatenus verum, non indigebat asseveratione. Quod sequitur: Τέχναι δὲ Κ. οὐκ ἄκραντοι, *artes* h. e. *vaticinia Calchantis haud irrita esse solent*, id nostram rationem nimium quantum confirmat. Sic in simili fere causa dicitur: Sept. adv. Theb. 850. Μέριμνα δ' ἀμφὶ πτόλιν, καὶ θέσφατ' οὐκ ἀμβλύνεται.

v. 256 sq. δίκα — μέλλον] *Justitia autem iis, qui* mala *perpessi sunt*, h. e. *puniti*, feram ex damno *sapientiam appendit*, s. assignat, tribuit. Μαθεῖν h. l. substantivi loco positum, q. d. δίκη αὐτοῖς ἐπιῤῥέπει τὸ μέλλον τοῖς παθοῦσι μαθεῖν. Sic infra Choëph. ὀῤάσαντι παθεῖν, τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ.

v. 258. τὸ δὲ προκλύειν] *Praematura autem eorum, quae futura sint, quandoquidem tamen eorum effugium non datur, auditio valeat; tantundem enim esset gemituum anticipatio. Clare enim omnia evenient noxis convenientia.* Vulg. in nonnullis edd. αὐταῖς Stanl. ita probat, ut ad τέχναι v. 255. referatur, a quo tamen justo longius remotum videtur. αὐταῖς autem de *vocibus* s. *oraculis* vatum accipiunt. Nobis vero maxime placuit ἄτας, coll. v. 231 sqq.,

ſqq., quod ad noxam Agamemnonis ex immolatione filiae contractam pertineret.

v. 262 ſqq. πέλοιτο — ἔρκος] *Sed haec* omnia precamur ut *bene eveniant*, *atque ſic ut optat Argivae terrae vicinum hoc*, jam in conſpectum prodiens, *ſolitarium praeſidium*; i. e. Clytaemneſtra. Haec verba omnes intelligunt de ſenibus Choricis; eos putant ſe ipſos Apiae terrae praeſidium appellare. In quo falſi ſunt viri doctiſſimi. Chorus de regina loquitur, quam propius ad ſe accedere videt; eo pertinet τόδ' ἄγχιστον; eam μονόφρουρον ἔρκος γαίας appellant, quod penes eam erat abſente marito reip. adminiſtratio. Eodem fere modo uxor mariti ad bellum profecti dicitur μονόζυξ. Perſ. 139 Clytaemneſtram vero h. l. ſignificari extra dubium ponitur ſequentibus verbis, quibus reginam compellant:

ἥκω σεβίζων σὸν Κλυταιμνήστρα κράτος·
Δίκη γάρ ἐστιν Φωτὸς ἀρχηγοῦ τίειν
Γυναῖκ', ἐρημωθέντος ἄρσενος θρόνου.

Ceterum pro τἀπὶ τούτοις Bothius edidit τἀπὶ τοῖσιν metro ut ſatisfieret.

v. 263 ſq. ἀπίας γαίας] „Euſtathius in Iliad. Γ. Ἀπία δὲ γῆ κἀνταῦθα ὡς ἐν τῇ ἀ ἐαψωδίᾳ ἡ ἄπο ἀφεστῶσα, καὶ ἀλλοδαπὴ καὶ ὡς ἂν εἴποι τις Ὁμηρικὸς τηλοῦ ἀπὸ Τροίας· κατὰ δὲ ἄλλους Φάναι ποιητής, ἡ τηλουρός. Οἱ μὲν νεώτεροι τὴν Πελοπόννησόν Φασιν ἀπό τινος Ἄπιδος ἢ Ἄπεως, περὶ οὗ ἐν τοῖς τοῦ Περιηγητοῦ εἴρηται· in Commentario ſcil. ad Dionyſium Perieg. quem conſule." *Stanl.* H. l. igitur ἀπίας γῆς de regno Argolico, Peloponneſi parte; per metonymiam dicitur.

## IN SCENAM III.

*v.* 265 — 364.

v. 265 ſqq. ἥκω — θρόνου] *venio adorans tuam reginam majeſtatem*; *fas enim eſt viri principis uxorem honorare*

*orbato virili folio.* Heathius ἄρσενος non adjective ſed ſubſtantive poni exiſtimat et ab ἐρημωθέντος regi, *throno a viro deſerto vacuo relicto.* Eadem tamen eſt ſententia, ſi ἄρσενος θρόνου conjungas, ut ſenſus ſit: *regis ſolio vacuefacto*, id eſt, *abſente rege* vel *peregre profecto.*

v. 268 ſqq. Σὺ — Φθόνος] *Tu vero ſive laetum nuncium acceperis, ſive non accepto, fauſti tantum nuncii ſpe ſacrifices, lubens equidem audiam, neque tamen, ſi taceas, gravabor.* εὐαγγέλοισιν ἐλπίσιν pro ἐλπίδι εὐαγγελίας. — οὐδὲ σιγώσῃ Φθόνος, non ego tibi, ſi tacueris, ſuccenſebo, non moleſte feram.

σὺ δ' εἴτε κεδνὸν] „Etiam in re et incerta dubia ſacrificabant εὐαγγέλια. Ita infra v. 602. ipſa Clytaemneſtra inquit:

λόγοις τοιούτοις πλαγκτὸς οὖσ' ἐφαινόμην
Ὅμως δ' ἔθυον.

Schol. Ariſtoph. in Equ. ἔθος ἦν τοῖς ἐν ἀγυιαῖς ἱσταμένοις θεοῖς ἐπὶ ταῖς ἐρχομέναις ἀγγελίαις θύειν, ὡς ἂν εἰ ἀγαθαὶ εἶεν, ἐπινεύσαιεν ταύταις, εἰ δὲ τοὐναντίον, ἀποτρέψαιεν." *Stanl.*

v. 271 ſqq. Εὐάγγελος — πόλιν] *Laetus quidem dies, ut eſt in proverbio, e nocte matre exoriatur. Accipias autem majus gaudium, quam ut te auditurum ſperaveris. Argivi enim Priami urbem ceperunt.* γένοιτο vel optativum eſt, q. d. *utinam laetus dies e nocte matre oriatur*, vel, quod melius, γένοιτο poſitum pro γένοιτ' ἄν, hoc ſenſu: *fieri ſaepe ſolet, ut meliores nuncii ſeu laetiores eventus noctu contingant.* cf. v. 286. κλύειν Heathio obſervante non eſt cum μεῖζον jungendum, ſed arctiſſime cum ἐλπίδος cohaeret, et ab hac voce pendet.

v. 275. πῶς — ἀπιστίας] *quid ais, effugit verbum prae incredulitate*, h. e. adeo incredibilia ſunt, quae narras, ut quae audiverim audiſſe mihi non videar, ſ. *ut dicta tua aures praeterfugerint.* Idem etiam, inquit, P. Victor. var. lect. l. II. c. 4. in re non minore ſignificavit

T.

T. Livius, qui narravit, univerſos fere Graecos, in magno conventu hominum, audita voce praeconis, qua liberabantur a populo Romano, revocaſſe illum, juſſiſſeque eam vocem iterare; quia ob ingentem laetitiam, qua repente perfuſi fuere, fugerat id illos, vixque poterant credere ſe id audiviſſe.

v. 276. Τροίαν — λέγω] *ajo Trojam in Graecorum poteſtate eſſe. An nunc demum clare loquor?*

v. 277. χαρὰ — ἐκκαλουμένη] *Laetitia me ſubit lacrymam provocans.* Sophocl. Electr. 1234. γεγηθὸς ἕρπει δάκρυον ὀμμάτων ἄπο.

v. 278. εὖ — κατηγορεῖ] *Credo te laetari, nam benevolentiam tuam oculus arguit.* κατηγορεῖν h. l bono ſenſu, ut apud Xenoph. Memorab. II. 4. Nimirum lacrymas regina e ſenum oculis prorumpere videbat.

v. 279. τί — τέκμωρ] *Enimvero quodnam tibi hujus eventus fidum ſeu certum indicium eſt?* Fortaſſe autem verius et ſequenti reginae reſponſo convenientius fuerit, hunc verſiculum ſic interpungere:

Τί γάρ; τὸ πιστόν ἐστι τῶνδέ σοι τέκμαρ;
*Quid enim? an tibi eſt certum hujus rei indicium?*

v. 280. Ἔστιν — θεοῦ] *Eſt utique; quidni eſſet? cum deus mentiri ſ. fallere non poſſit*, aut *niſi nos deus fefellerit, quod fieri non poteſt.*

v. 281. πότερα — σέβεις] *An ſomniorum viſa probabilia honoras!* h. e. num ſomnio forte cuidam hunc honorem habes, ut ideo Trojam expugnatam eſſe credas?

v. 282. οὐ — φρενὸς] *Immo vero ego nunquam ſomno gravatae mentis opinionem ſ. viſum acciperem* vel *probarem.* λαμβάνειν h. l. *admittere* vel *approbare.*

v. 283. ἀλλ' ἢ — φάτις] *An vero celer quidam rumor te delinivit?* πιαίνειν, quod proprie eſt *pinguefacere, ſaginare*, h. eſt i. q. *beare*, ac transfertur ad gaudium e laeto nuntio ſive vero, ſ. falſo. Stanlejus ἄπτερον φάτιν in-

terpretatur: *vanum rumorem;* rectius autem cum Hesychio *velocem*, *subitaneum*, i. e. qui incerto auctore subito vagari coeperit, exponas. Sic enim ille: Ἄπτερος αἰφνίδιος παρὰ Ὁμήρῳ· ὁ προσηνὴς ἢ ταχύς, Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι.

v. 284. παιδὸς — φρένας.] *Admodum inique de prudentia mea judicas, quasi puella nuper nata sim;* quae incertis rumoribus me illudi patiar.

v. 285. ποίου — πόλις] *quonam vero tempore, ut hoc etiam quaeram, urbs illa expugnata est?*

v. 286. τῆς — λέγω] *Illa nocte, inquam, quae hanc lucem peperit;* h. e. ipsa nocte superiore.

v. 287. καὶ τάχος;] *quisnam vero nunciorum tantum celeritate polleat, ut, quae Trojae gesta sint, una eademque nocte huc renunciare potuerit*, pro τίς ἄγγελος οὕτω ταχύς, ὥστε ἐξικέσθαι. Posset tamen, quod bene monet Stanl. legi quoque ἀγγέλων, vel etiam ἀγγελῶν.

v. 288. Ἥφαιστος — σέλας.] *Vulcanus ab Ida splendidum jubar emittens;* h. e. ignem in Ida splendidum accenderunt Graeci, quo viso per certa montium intervalla dispositi speculatores alios ignes accenderunt, donec ultimus a nostro speculatore conspici posset.

v. 289 sq. Φρυκτὸς — ἔπεμπεν] Ordo verborum est: Φρυκτὸς δὲ Φρυκτὸν ἀγγάρου πυρὸς δεῦρο ἀπέπεμπεν.

ἀγγάρου πυρὸς] Hanc lectionem pro vulg. ἀγγέλου tuetur Etymol. M. Αἰσχύλος οὖν, inquit, ἐν Ἀγαμέμνονι τὸν ἐκ διαδοχῆς πυρσὸν ἀπ' ἀγγάρου πυρὸς ἔφη. Ita et Suidas: Ἄγγαροι, οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι. Οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ Ἀστάνδαι, τὰ δὲ ὀνόματα Περσικά. Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι·

Φρυκτὸς δὲ Φρυκτὸν δεῦρ' ἀπ' ἀγγάρου πυρὸς
ἔπεμπε.

Adstipulatur etiam Eustath. huic lectioni in Odyss. XX. παρὰ τῷ αὐτῷ δὲ ποιητῇ ἐν Αγαμέμνονι καὶ οἱ ἄγγαροι κεῖνται. Λέξις δὲ φανερῶς Περσική· Φρυκτὸς δὲ — ἔπεμπε. τοιοῦτον δὲ τῶν φανῶν." *Stanl.*

v. 296.

v. 290. σέλας — μέρος] Si vera eſſet lectio ὃ δ' οὔτε μέλλων — νικώμενος — παρῆκεν, neceſſario Μακίστου pro hominis, ſ. ſpeculatoris, non montis nomine habendum eſſet, quum autem nuspiam horum ſpeculatorum nomina memorentur, legere praeſtat: οἱ δ' οὐ' ἐμελλον — νικώμενοι — παρῆκαν, ita Maciſti ſpeculae dicuntur, pro Maciſto monte, in quo ſtatio vigilum poſita erat, et οἱ ὃ οὐτ' ἔμελλον refertur ad σκοπούς, quod latet in σκοπαῖς, niſi hoc ipſum σκοποῖς reponere malis.

v. 291. ἑκὰς δε] *illico facis lumen Meſapii cuſtodibus usque ad Euripi fluenta oſtendit.*

v. 293 ſq. οἱ — πυρὶ] *Hi vero viciſſim ignem accenderunt et nuncium porro transmiſerunt, aridae ericae acervo igni accenſo.*

v. 295 ſq. Σθένουσα — πυρός.] *Valida autem flamma neutiquam obſcurata* (h. e. adeo magna, ut in iſta locorum diſtantia evaneſcere ſplendor non poſſet) *Aſopi campum tranſiliens, clarae lunae inſtar, ad Cithaeronis cacumen aliam ſucceſſionem deductoris ignis excitavit.* H. e. eos qui in Cithaerone excubias agebant, commovit, ut ſuo quoque loco flammam accenderent, quae laetum nuntium ulterius propagaret.

v. 299 ſq. Φάος — εἰρημένων] Stanlejus vertit: *lucem autem longe miſſam non reſpuebat cuſtos, accendens majorem ſupra dictis ignem*: vertere potius debebat: *ſpeculator autem illic excubans non recuſavit quominus et ipſe flammam late ſplendentem accenderet, immo potius majorem ſuperioribus flammam accendit.* Nempe τηλέπομπον Φάος flammam ſignificat, quae ſplendorem ſuum, Trojae expugnatae ſcil. indicem, longe emitteret.

v. 311. ὤτρυνε — πυρὸς.] *Hortabatur, ut ne deſiderari paterentur ignem accendi juſſum.*

v. 312 ſqq. πέμπουσι — πυρὸς.] *Illi autem miſerunt accendentes magnam, indomita vi, ignis flammam, et, ut Saronici freti conſpicuum faſtigium ſplendore ſuperaret, emi-*

*cantem, eaque porro radios jecit, donec Arachnaeum collem attingeret, ſpeculam urbi vicinam; indeque in hanc domum Atridarum lumen inſiliit, ab illo quaſi avito Idaeo igne oriundum.*

v. 312. ἀφθόνῳ μένει, nempe cujus flammae tantus vigor eſſet, ut nec facile exſtingueretur, et longe lateque ſplendorem ſpargeret.

v. 313. πώγωνα, *barbam*, de flamma ſic dicitur, ut alibi βόστρυχος.

v. 315. κᾆτ' — ἔς τ' ἀφίκετο] „Longe alia ratio eſt iſtorum, ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη etc. Theocr. Id. alia horum εἶτ ἔσκηψεν, εἶτ' ἀφίκετο, nec quidquam habent commune, niſi particulae, diverſae tamen, repetitionem. Apud Theocritum quidem primum ὡς idem quod ἐπεὶ ſignificat, bina ſequentia ἀνταποδοτικὰ ſunt, atque ita integra et abſoluta efficitur conſtructio. Idem de εἶτα bis repetito dici nequit, neque ulla eſt illic Emphaſis. Recte igitur poſuit Stanlejus ἔς τ' ἀφίκετο." *Heath.*

v. 319 ſq. τοιοίδε τοί μοι — πληρούμενοι·] *Tales igitur mihi* (i. e. mea cauſa, mihi inſervientes) *taediferorum leges, alio alium excipiente impletae ſunt;* h. e. et hoc quidem modo Agamemnonis juſſu atque inſtituto facibus ſ. ignibus accenſis ſpeculatores per montium intervalla diſpoſiti, quorum alius alium excepit, mihi Trojae expugnationem ſignificarunt. Quod vero hic λαμπαδηφόρων νόμους appellat, eadem alluſione angariantem ignem ſupra dixit v. 290. ἀπ' ἀγγάρου πυρός. Angari apud Perſas erant nuntii ἐκ διαδοχῆς, ſimili modo diſpoſiti ac faces Agamemnoniae; quorum curſus deſcribens Herodotus lib. 8. λαμπαδηφορίαις Graecorum aſſimilat; quas Aeſchylus etiam reſpexiſſe videtur. Herodoti verba haec ſunt: ὁ μὲν δὲ πρῶτος δρομῶν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ· ὁ δὲ δεύτερος τῷ τρίτῳ· τὸ δὲ ἐνθεῦτεν ἤδη κατ' ἄλλον διέρχεται παραδιδόμενα, κατάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδηφορίη,

ρία, τοῖς τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι. Ab hoc ritu proverbialiter dictum eſt *curſu lampada tradere*, quo partes veluti ſucceſſione quadam alteri traditas ſignificamus. Lucretius:

*Et quaſi curſores vitaï lampada tradunt.*" Stanl.

v. 321. νικᾷ — δραμών.] *Vincit autem primus et ultimus curſor*, h. e. eum, qui in Ida, et poſtremum, qui in Arachnaeo colle flammam incendit, primo loco pono, quoniam absque illo quidem nullus fuiſſet nuntius, poſtremus autem nobis ipſis ejus laetitiam impertivit. Manet autem in eadem allegoria e curſu lampadum petito.

v. 322 ſq. τέκμαρ — ἐμοί.] *Hujusmodi igitur tibi expugnatae Trojae indicium ſignumque narro, quippe cui ipſe maritus ex Troja denunciaverit.*

v. 324 ſqq. Θεοῖς — πάλιν] *Deos quidem o regina poſtea venerabor, nunc autem hancce narrationem porro audire et admirari cupio, itaque peto ut eadem illa repetas.*

v. 327 ſqq. Τροίαν — διπλῆς] *Trojam Argivi hodie poſſident; exiſtimo clamorem diſſociabilem jam in urbe audiri. Acetum enim et oleum, ſi in idem vas infuderis, repugnare ſibi invicem, haud amice coire dixeris; eadem modo nunc in urbe Troja, captarum, et eorum, qui vicerunt voces discrepantes inter ſe, et ab diverſo fortunae eventu expreſſas audire licet.*

v. 333 ſqq. οἱ μὲν — μόρον] *Illi quidem circa corpora virorum, fratrum, ſenumque pueri patrum, procumbentes jam non amplius ex liberis praecordiis cariſſimorum ob mortem ingemiſcunt.* Ἀνδρῶν ad mulieres jam *viris* orbatas, κασιγνήτων ad ſorores fratresque juniores, qui *fratres* lugebant, φυταλμίων γερόντων ad liberos, quorum *patres* caeſi erant, referendum. Tamen cum non niſi παῖδες memorentur, uxorum vero et ſororum nulla mentio fiat,

vel abruptiorem hic poëtae ſermonem, vel ipſum vocabulum παῖδες mendoſum eſſe, crediderim.

v. 335 ſq. ἐξ ἐλευθέρου δέρης, *e libero collo*, pro *pectore*.

v. 337 ſqq. τοὺς — εὐφρόνην] *Hos vero noctivagus e proelio labor jejunos ad prandia, quaecunque in urbe inventa fuerint, ordinat, nullo certo distributionis ſigno obſervato, ſed potius prout unusquisque forte ſortitus fuerit, jam in captivis Trojanorum aedibus habitant, tandemque a ſubdialibus frigoribus, roribusque liberati haud ſecus ac pauperes incuſtoditam totam noctem dormient*; h. e. proxima quae inſtat nocte tam ſecuro altoque ſomno opprimentur, ut non magis quam ii, qui propter paupertatem non habent quod cuſtodiant, de rerum ſuarum cuſtodia ſolliciti ſint futuri. In ὡς δυσδαίμονες nimirum ducta eſt ſimilitudo ab hominibus minime beatis, pauperibus, quibus opus non eſt, fores obſerare, cuſtodibus aut canibus vigilibus uti. Quemadmodum Juvenalis dicit: *Cantabit vacuus coram latrone viator*. Ut nec cum Stanlejo ὡς δ' εὐδαίμονες, nec cum Abreſchio οἱ δυσδαίμονες corrigere opus ſit. Quamquam hic quidem omni correctione potius ſic abſtinendum cenſet, ut ὡς idem valeat, quod ὥστε, et ſenſus ſit: *ita ut miſeri dormituri nunc ſint totam noctem, liberati rore, nec ut prius cuſtodias obeuntes.*

v. 345 ſqq. εἰ — ἀνθάλοιεν ἄν] *Si vero pie colent deos urbicos illos victae regionis, deorumque delubra, non profecto cum prius ceperint, ipſi poſtea capientur.*

v. 348 ſq. ἔρως — νικωμένους] *Opto autem, ne cupiditas exercitui incidat, ardorque ea, quae non decet, appetendi, lucri ſtudio abreptis.*

v. 350 ſqq. Δεῖ — κακὰ] *Oportet enim, ſi ſalvi domum redire velint, alteram quoque partem ſtadii emetiri, ſi autem diis obnoxius redierit exercitus, fieri facile poſſet, ut clades eorum, qui perierunt, ad vindictam excitaretur, etiamſi nova non acciderint mala.* δίαυλος proprie eſt curſus,

ſus, quo quis in ſtadio, poſtquam a carceribus ad metam excurrit, ab altera parte a meta ad carceres redit. Et haec duo quidem curricula κῶλα appellabantur. Apta igitur metaphora exitum ad bellum Trojanum primum διαύλου κῶλον, reditum vero alterum κῶλον vocat. Ordo verborum hic eſt: δεῖ γὰρ (αὐτοὺς) θάτερον κῶλον διαύλου πάλιν κάμψαι, νοστίμου σωτηρίας πρὸς οἴκους. Fortaſſe etiam, quod e verbo κάμψαι colligas, reſpexit pericula eorum, qui in ſtadio currus agitabant; qui niſi diligenter metam rotis evitarent, ſaepe currus frangebant, aut evertebant.

v. 352. θεοῖσι — στρατὸς] Si milites praedae cupiditate abrepti culpam in ſe admiſerint, deorumque iram commoverint, verendum ſane fuerit, ne piaculum illud e tot hominum bello peremtorum caedibus reviviſcat, idque dii ulciſcantur, quod ipſum ſatis grave eſſet, etiamſi novas novorum facinorum poenas non addiderint. Quid ſit τὸ πῆμα τῶν ὁλωλότων, latius declaratur v. 441 ſqq. inprimis v. 471. 472. πρόσπαια κακὰ non ſunt ſubita mala, ſed *nova*, recentia. Heſych. Πρόσπαιον, πρόσφατον, νέον.

v. 355. τοιαῦτα κλύοις] *Talia igitur a me ut muliere audias*, i. e. haec quae tibi dixi, quamvis a muliere dicta ſint, non tamen ejusmodi eſſe puto, quae improbare poſſis. cf. v. 358 ſqq.

v. 356. τὰ — ἰδεῖν] *Precor autem ut melior fortunae pars vincat, ne duplicem rerum eventum videam.* Translatio ſumta eſt a trutina, cujus altera in lance bona, in altera vero mala poſita ſint, quorum pondera ſi fere aequalia fuerint, in utramque partem libra nutare ac vergere ſolet. Hoc igitur Clytaemneſtra deprecatur, optatque ut ſibi contingat ſolido hoc gaudio frui, nihil ut ingrati ſenſus admiſceatur.

v. 357. πολλῶν — εἰλόμην] *Multorum enim bonorum fructum percepi*, ut, bona bonis cumulari, quam malis

contaminari malim. Abreſchius vertit: *ita quippe multorum bonorum* fructum perceperim.

v. 358. Γύναι — εὐφρόνως λέγεις] „Bene interpres ad mentem loci, *ſapienter loqueris*, exigente, ut videtur, iſtum ſenſum τῷ σώφρονα. Qua tamen poteſtate cum ignorem εὔφρων, quod valet εὐφραντικὸς, εὐνοὺς, ſuſpicari non deſinam ſcribendum eſſe h. l. ἐμφρόνως, et male in Perſ. v. 834. εὐφρόνως πραΰνειν converſum eſſe a Stanl. per *prudenter*, pro *benevole*, εὐνοϊκῶς, vel ut Schol. expl. πράως· idem ſtatuo de ſaepius repetito illo apud Homerum ὅς σφιν εὐφρονέων ἀγορήσατο, quod non fuerat reddendum, *qui ipſis prudens concionatus* dixit, ſed *favens*, *benevolus ipſis*. Diverſa eſt ratio, quando diviſe ſcribitur εὖ φρονεῖν, quod utramque admittit ſignificationem. Soph. Ajac. v. 493. εὖ φρονῶ τἀ σά, ubi vid. Schol. quem ex parte deſcripſit Suidas in voce εὖ φρονῶ, et pro *ſapere prudentem eſſe*. Eurip. Electr. v. 568. aliique. Quod dixi de εὔφρων, firmat v. 858. τεμεῖν εὐφρόνως φάρμακα. Choëph. v. 68. πῶς εὐφρονα εἶπω; et Suppl. v. 149. εὔφρονα ψῆφον τίθεσθαι. Neque aliter Euripides, Pindarus aliique, tam poëtae, quam oratores; adſtipulante inſuper noſtrae ſententiae Schol. Soph. ad Ajac v. 422. Ἔμφρων ait ὁ φρόνιμος, εὔφρων δὲ ὁ ἡδὺς καὶ εὐφραντικός." Hactenus Abreſchius, cui prorſus aſſentirer, niſi ipſa illa adverbii εὐφρόνως, quam tuetur, notio hic locum haberet. Quidni enim ſic exponamus verſiculum: *O mulier*, haud muliebri, ſed *virili prorſus prudentia benevole loqueris;* ut Chorus non prudentiam ſolum reginae, verum etiam benevolentiam laudet. Benevolum vero in ſuos animum utique prodere viſa erat, optando, ne peccato quodam graviore deorum ultionem excitarent.

v. 359 ſq. ἐγὼ — παρασκευάζομαι] *nos vero auditis certis*, *quae attuliſti*, Trojae expugnatae *documentis* (cf. v. 282.) *jam ad venerandos deos rite nos accingemus.*

v. 361.

v. 361. χάρις πόνων] Male lat. intp. *gratia enim laborum non ſine praemio impenditur.* Verius: *non contemnenda enim praemia labores* Graecorum bellici *tulerunt*; *pretium non vile laboris* (Ovid. Heroid. 18, 162.) *partum eſt.*

## IN SCENAM III.

*v.* 362—499.

v. 362 ſqq. ὦ Ζεῦ — σκήψειεν] *O Jupiter rex, tuque o amica nox, magnorum ornamentorum paratrix, quae Trojae turribus injeciſti clauſum rete, ut neque adultorum neque adoleſcentium quisquam effugeret; magnum ſervitutis everriculum, calamitatis omnes comprehendentis! Magnum igitur Jovem hoſpitalem veneror, qui haec adverſus Alexandrum perfecit; diu videlicet arcum tetenderat, ut nec antequam opportunum eſſet, nec elapſo rei gerendae idoneo tempore telum, ſic irritum futurum, emitteret.* Grave ac ſplendidum carminis initium! νὺξ φιλία non eſt dea Noctis, ſed ipſa illa nox, qua capta erat Troja. Et fortaſſe reſpexit Aeſchylus ad illud expugnandae Trojae ſubſidium, quod e nocte petierant Graeci (unde Stanl. h. l. laudat Virgil. Aen. II.); quamquam ex iſtis, quae audiverat Chorus, nihil aliud efficitur, quam eos ſimpliciter noctem ſuperiorem laudare, propterea quod ea contigerit Graecis urbem hoſtilem capere. Inde κτεάτειρα non *domina* eſt, ut lat. intp. vertit, ſed quae paravit, ſ. conciliavit μεγάλους κόσμους, h. e. victoriae gloriam, praedae magnitudinem, hoſtium, qui decem fere annos acriter Graecis reſtiterant, debellationem. ἐπὶ Τροίας πύργοις ἔβαλες, pro ἐπέβαλες τ. π. Trojae turres pro moenibus et haec ipſa pro urbe univerſa dicuntur.

v. 365. στεγανὸν δίκτυον] i. q. Homerus πάναγρον appellat, Iliad. E. 487." *Stanl.*

v. 366.

v. 366. μήτ' οὖν] *imo ne* juniorum *quidem* quemquam; ſcil. quia alias e retibus, quae majores piſces trahunt, minuti certe piſculi elabuntur. Itaque Chorus hac imagine terribiliorem facit Jovis poenam, qua Trojam perſecutus eſt.

v. 368. γάγγαμον, ἄτης] „Julius Pollux, lib. X. c. 30. ἀφ' οὗ καὶ Αἰσχύλος τὸ δύσλυτον κακὸν ἢ δυσέλικτον ἔφη γάγγαμον ἄτης πανάλωτου. Sic in Prometheo v. 1086. ἀπέραντον δίκτυον ἄτης dixit." *Stanl.* „γάγγαμα inter retium genera memorat quoque Oppian. III. Hal. v. 81. Add. Pollux X. 132. ibique not. Tum notes πανάλωτον active poſitum ἀντὶ τοῦ πᾶν ἁλίσκον." *Abreſch.*

v. 372. ὑπὲρ ἄστρων idem eſſe quod alias ὑπὲρ καιροῦ dubitari non poteſt. Nempe hac locutione

μήτι πρὸ καιροῦ μήτ' ὑπὲρ ἄστρων

opportunitas a Jove in ulciſcendis Alexandri ſ. Paridis facinoribus ſervata deſignatur.

v. 373. βέλος ἡλίθιον] Ut enim venator, ſi citius, quam fera intra teli jactum venerit, aut ſerius, quam ut eam attingere poſſit, ſagittam emiſerit, irritam eam emittat, ac nihil ad capiendum profuturam; ſic, niſi Jupiter juſtum puniendi tempus exſpectaſſet, aut prorſus vanam, aut minus certe gravem vindictam exercuiſſet.

v. 374 ſqq. Διὸς — ἔκρανεν] *Jovis utique plagam dicere poſſunt Trojani; ſ. habent profecto, cur illam quam acceperunt plagam ad Jovem auctorem referant; in promtu enim hoc eſt inveſtigare, quomodo inchoaverit, et perfecerit.* Heathii ratione, qui ἔχουσιν dativum participii eſſe contendit, et hoc modo vertit: *Jovis plagam nobis dicendam habentibus hoc quidem inveſtigare licet*, multum hujus ſententiae vis infringitur. Imo ἔχουσιν tertia perſona plur. refertur ad Paridem ceterosque Trojanos. v. 373. 368. 369.

v. 377 ſqq. οὐκ ἔφα — εὐσεβής] *Fuit tamen, qui deos eos curare negaret, qui rerum ſanctarum et inviolabilium decus*

*decus conculcaſſent; ille vero impius fuit.* His verbis non proprie deſignatur certa quaedam v. c. Paridis perſona, ſed univerſe notantur ii, qui divinam eſſe hominum curam et providentiam, improborumque facinorum ultionem negabant. Itaque ſic quoque vertas licet: *Fuerunt qui negarent* etc. οὐκ ἔφα τις, pro ἔφα τις θεοὺς οὐκ ἀξιοῦσθαι μέλειν βροτῶν. — Eſt autem οὐκ ἀξιοῦσθαι μέλειν i. q. deos hancce curam indignos ſuo numine putare: *ſie lieſsen ſich nicht ſo weit herab, ſich um ſolche Verbrecher zu bekümmern.* ὅσοις ἀθίκτων χάρις πατοῖ circumſcriptio eſt τῶν ἀνοσίων. ἄθικτα, *quae ſancta ſunt, quae tangi* i. e. *violari nefas eſt;* v. c. jus hoſpitii, matrimonii caſtitas, quae Paris Helenae raptu violaverat. χάρις h. l. non eſt *gratia*, ſed *honor*, *decus*, quod reverentiam poſtulat.

v. 377 ſqq. πέφανται — βέλτιστον] *Apparuit vero illud, manifeſtati ſunt dii, poſteris* ſcil. Priami reliquorumque Trojanorum *bellum, quod ſuscipere nefas erat, ultra id quod juſtum erat, ſpirantium; aedibus nimirum nimia felicitate ac divitiarum copia affluentibus;* quibus potiſſimum freti inſolentiam illam ac ſuperbiam adamaverant. ἀτόλμητος Ἄρης eodem fere ſenſu, quo ſupra Prom. v. 912. ἀπόλεμος πόλεμος; hoc enim bellum iniquum, haud aequis bellantium viribus, illud injuſtum bellum ſignificat.

v. 384. Φλεόντων] „Recte verterat intp. *plenis aedibus;* in notis autem Stanl. corrigit *aedibus jactabundis*, motus credo H. Steph. auctoritate, qui Φλυόντων corrigi vult, et Heſychii Φλέοντας expl. Φλυαροῦντας. Verum idem cum Etymol. etiam Φλέειν exponit γέμειν et εὐκαρπεῖν, quae notio unice eſt hujus loci, quod attendenti ad ſequentia apertum erit, et ſic iterum infra v. 1425. μήλων Φλεόντων εὐπόκοις νομεύμασιν, h. e. πληθυνόντων, ut expl. Schol. Conf. et Aelian. V. H. lib. III. c. 41. et ad eum not. Ceterum bene vidit idem, ὑπέρφευ non convertendum fuiſſe *heu*, ſed *ſupra modum*. Vid. ad Perſ. v. 823. —" *Abreſch.*

v. 385.

v. 385. ὑπὲρ τὸ βέλτιστον] Haec verba otioſam vocabuli ὑπέρφευ explicationem ſapiunt; nec ea, quae ſequuntur, ἔστω δ' ἀπήμαντον ſatis cohaerent. Utrumque autem incommodum ſublevatur, ſi legerimus:

Ἦ που τὸ βέλτιστον ἐστὶν τἀπή-
μαντον, ὥστε κἀπαρκεῖν
εὖ πραπίδων λαχόντα.

*Sane vero optimum fuerit id, quod innoxium eſt, ut facile, qui ſapientiae compos fuerit, ea ſorte contentus vivat.* Auream igitur mediocritatem commendat Chorus, quae, quamvis iſtis divitiarum copiis non affluat, eadem tamen tutior ſit, atque extra periculum calamitatum, quae ſummas opes maneant, conſtituta; ut facile in ea acquieſcat is, cui mens non laeva fuerit.

πέφανται (v. 384.) Abreſchius cum ἐγγόνους conſtructum explicat *interficiunt;* ſcholiaſtes vero intp. φανεροὺς, ποιοῦσιν. Optimum vero et ſententiae convenientiſſimum eſt: *Apparuit poſteris* crimen eſſe quod impii negant, deos humanas res curare. Ad ſententiam vero ſimillimum eſt Darii dictum Perſ. v. 815.

Θῖνες δὲ νεκρῶν καὶ τριτοσπόρῳ γονῇ
Ἄφωνα σημανοῦσιν ὄμμασι βροτῶν
Ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα δεῖ φρονεῖν.

v. 388 ſqq. οὐ γὰρ — εἰς ἀφάνειαν.] Abreſchius πρὸς κόρον ad πλούτου non ad λακτίσαντι referens, ſic intelligit: *injuſto nil quidquam proſunt opes, quantas etiam cunque eum poſſidere vel fingere poſſis, adverſus interitum.* Sed multo concinnius eſt πρὸς κόρον cum participio λακτίσαντι copulare. Senſus: *Homini enim magnam, ſ. venerandam Juſtitiae aram, inſolenter calcibus impetenti, ſ. conculcanti, h. e. violanti, divitiae nihil proſunt ad propulſandum interitum.*

οὐκ ἔστιν ἔπαλξις εἰς ἀφάνειαν *non eſt propugnaculum adverſus interitum.* Diligenter autem ad h. l. comparandi ſunt pulcherrimi verſus 470 ſqq. ad ſententiam huic loco ſimillimi.

v. 389.

v. 389. πρὸς κόρον h. l. *faſtidioſe, petulanter*, i. q. ap. Demoſth. adv. Cteſiph. cap 1. ἐκ περιουσίας. Noſtri dicunt: *aus Uebermuth, weils ihm gar zu wohl iſt.*

v. 390 ſq. λακτίσαντι — βωμὸν] „Sic Lycophr. v. 137.

Ἔτλης θεῶν ἄλοιτος ἐκβῆναι δίκην
Λάξας τραπέζας κ' ἀνακυπώσας θέμιν.

quae hinc et ex v. 411. hauſta eſſe apparet." *Abreſch.*

v. 392 ſqq. βιᾶται — γυναικός] Ab hujus antiſtrophes ſenſu interpretes tantum non ubique aberrarunt. Nobis quidem ſic reddenda videtur: *urget autem* ejusmodi homines, (quales illi, qui dicebantur ἀτάλμητον Ἄρῃ πνέοντες, Paris ejusque ſocii) *infauſta fiducia, intolerabilis noxae* prioris *filia conſiliatrix;* h. e. quae fiducia naſcitur e priori crimine, et ad plura audenda impellit, vel ut defendi illud, vel ut poena ejus propulſari poſſit. *Attamen omne remedium irritum eſt;* nihil ipſis proſunt ad effugiendam priorum ſcelerum ultionem, quaecunque moliantur. *Neque vero id ipſos latere potuit*: *imo vero vir* ille *in conſpectu* omnium *eſt, horrenda luce reſplendens calamitas; adulterinique aeris inſtar, attritu et alliſu exploratus, atrum ſe prodit, tanquam puer volucrem aviculam perſequens, civitatique ſuae intolerabile detrimentum inferens. Preces vero* ejusmodi hominum *nemo deorum audit, ſed* horum facinorum *auctorem, virum injuſtum* deus *e medio tollit. Qualis etiam Paris in domum Atridarum ingreſſus, hoſpitis Menelai menſam,* conjugis ejus, Helenae, *raptu dehoneſtavit.*

βιᾶται δ' ἃ τάλαινα πειθώ] Haec e verſu 231. et ſq. illuſtrantur; ubi neſariae mortalium audaciae cauſa his verbis reddebatur:

θρασύνει γὰρ αἰσχρόμητις
τάλαινα παρακοπὰ πρωτοπήμων.

ibi igitur primo delicto, primae noxae, τῇ πρωτάρχῳ ἄτῃ v. 1203. hoc tribuitur, ut homines ad plura audenda fidentiores et alacriores reddat. Similiter h. l. fiducia illa

illa poëtico ſpiritu filia ἄτας nempe τῆς πρωτάρχου appellatur. Nam προβουλόπαις nihil aliud eſt quam πρόβουλος παῖς, quemadmodum Aeſchylus Sept. adv. Theb. v. 786. κρεισσοτέκνων pro κρεισσόνων τέκνων, et Choëph. 312. αἰνόπατηρ pro αἰνὸς πατὴρ poſuit. Itaque fiducia illa e malis ſacinoribus ad plura deinceps audenda τάλαινα vocatur, ob miſeriam inde oriundam; ἄφερτος ob hujus miſeriae magnitudinem, quae tolerari vix queat; πρόβουλος, quia eadem fiducia homini conſilia ad nova delicta ſubminiſtrat. Sic Paris primum jus hoſpitii violaverat, matrimonii ſanctitatem contemſerat, furto ſe alligaverat, Helenam cum multis opibus rapiens; deinde quoniam ea res ex animi ſententia ceſſerat, eo proceſſit audaciae, ut non ſolum ſe Helenam redditurum eſſe negaret, ſed Priamum quoque patrem, ceterosque Trojanos funeſtiſſimo bello implicaret.

v. 394 ſq. ἄκος δὲ παμμάταιον] Reſpicitur partim ad divitias et opes, cf. v. 389., partim ad hoſtias et preces nihil adverſus interitum profuturas, cf. v. 403.

οὐκ ἐκρύφθη vel e Stanleji ratione cum παμμάταιον jungi poteſt; *remedium vero omne irritum non latet*, ſ. *latuit:* vel cum ſequentibus, ut referatur ad φώς: *non latuit vir, ſed in omnium conſpectu verſatur:* vel denique, id quod nobis maxime placet, colo poſt παμμάταιον et commate poſt ἐκρύφθη poſito, ſic explicari: *Remedium vero omne irritum eſt, neque hoc latuit, vel latere eos potuit:* (q. d. οὐδ' ἐκρύφθη τοῦτο) *ſed potius* etc.

v. 395 ſq. πρέπει δὲ φώς, αἰνολαμπὲς σίνος] φώς idem eſt qui dicebatur v. 392. ἀνὴρ μέγαν δίκας βωμὸν λακτίσας, quique infra v. 408. φὼς ἄδικος dicitur. Heathius lectionem φῶς amplexus, pro ἄφερτος ἄτας autem corrigens ἄφερτον ἄτην, h. l. ad fabulam illam reſpici opinatur, ſatis notam, qua Hecubam, cum Paridem in utero geſtaret, per quietem nocturnam facem ardentem peperiſſe ſibi viſam eſſe narrabatur, cujus flamma Trojam incenderet,

deret, et concremaret. Caſſandram vero, Apollinis oraculo inſtinctam, ut Paris ſtatim interficeretur, nec tantum in Ida exponeretur, monuiſſe, idque ut fieret, vehementiſſimis precibus a ſenatu, ſed fruſtra petiiſſe. Hanc igitur fabulam, quae ab Euripide tangitur Andromach. v. 293 — 308. Heathius huc quoque trahendam eſſe contendit. Ac voc. προβουλόπαις quidem de Hecuba vult intelligi, *quae in filii gratiam conſilium dederit*; ut nimirum exponeretur potius quam occideretur. Univerſum ergo locum hoc modo intp.: *Infelix* vero Hecubae ſuada filii ſaluti *proſpiciens vi ab invitis Trojanis extorquet rem iis poſtea in perniciem ceſſuram; hujus vero calamitatis remedium* (Caſſandrae ſcil. conſilium de necando Paride) *ſed fruſtra omnino non latebat; ſed ſub ſpecie lucis manifeſtus eſt, exitialiter effulgens pernicies*, Paris ſcil. facis imagine, quam mater in ſomniis viderat, deſignatus. — Verum haec interpretandi ratio multis incommodis premitur. Primum enim incredibile eſt, Aeſchylum Choro majorem harum rerum ſcientiam tribuere voluiſſe, quam ipſa deinde, cum in ſcenam veniſſet, proditura eſſet. Caſſandra enim v. 1212. paucis quidem verbis narrat, vaticinandi artem ſibi ab Apolline donatam eſſe, ſed hac lege, ut fidem non inveniret; nihil tamen de Hecubae ſomnio, nihil de ejus conſilio, nihil de decreta Paridis nece vel expoſitione memorat, ut facile intelligatur, Aeſchylum, niſi illam fabulae partem prorſus ignoraverit, certe ejus rationem non habuiſſe. Deinde verba ἄκος δὲ παμμάταιον Heathius nunquam de Caſſandrae conſilio, quo Paridem interfici ſuaſerat, explicaſſet, ſi diligentius cum univerſum hujus cantici contextum, tum inprimis illud Caſſandrae dictum comparaſſet, v. 1177 ſqq.

Ἰὼ πόνοι, πόνοι πόλεως ὀλουμένας
τὸ πᾶν. Ἰὼ πρόπυργοι θυσίαι πατρὸς
Πολυκανεῖς βοτῶν ποιονόμων. ἄκος
δ' οὐδὲν ἐπήρκεσαν,
τὸ μὴ πόλιν μὲν ὥςπερ οὖν ἔχει παθεῖν.

Hic diſerte dicit patris ſacrificia pro ſalute Trojae oblata prorſus inutilia fuiſſe, nullumque ei remedium attuliſſe. Quo quidem loco nihil illuſtrius eſſe poteſt ad veram ejus in quo verſamur ſententiam declarandam. Denique ſi φῶς h. l. legendum eſſet, inepta fieret verborum conſecutio, φῶς πρέπει — et πέλει δικαιωθείς, v. 403.

v. 395. πρέπει opponitur τῷ ἐκρύφθη. Nempe Paris poſt Helenae raptum Trojae in omnium oculis verſabatur, ac moechus cum adultera in propatulo vivebat; adeo ut neminem Trojanorum fugeret, niſi illud piaculum expiaretur, averti non poſſe vindictam deorum. In αἰνολαμπὲς σίνος forte ductus eſt color ab incendii calamitate, longe lateque terribiliter reſplendentis.

v. 397 ſqq. κακοῦ — ἐνθεὶς.] Haec omnia, quamquam, ut ſuperiora, univerſe dicta, ſic tamen enuntiantur, ut propius ad Paridis perſonam accommodentur.

v. 398. προσβολαῖς vel ut Heathius exp. *attritione ad lapidem Lydium*, vel omnino *quacunque allisione*. Nummi enim adulterini vilioris metalli miſturam non tum demum produnt, ſi lapide Lydio explorentur, verum etiam crebro uſu affricti, et alliſi.

v. 400 ſq. ἐπεὶ διώκει παῖς] Παῖς h. l. comparate dictum. Nam quemadmodum pueri ſaepe volitantem avem aut papilionem curſu perſequuntur, ſic injuſti homines, et ſibi omnium, quae libuerint, licentiam arrogantes, fugitiva bona quaerunt, Paridis exemplo, Helenam, marito ſuo parum fidelem, variamque et mutabilem feminam ſollicitantis.

v. 405. καθαιρεῖ] Heathius, quia non inveniebat, unde hoc verbum penderet, corrigendum opinatus ἐπίστροφος, ita vertit: *Ejus autem ſupplicationes nemo deorum audit, ſed hominem injurium deus iſte, cui horum facinorum vindicta curae eſt, e medio tollit.* At cum οὔτις θεῶν ἀκού-

ἀκούει idem ſit ac θεὸς οὐκ ἀκούει, verbum καθαιρεῖ ad τὸ σημαινόμενον referendum nihilque mutandum eſt. ἐπίστροφον τῶνδε enim eſt *horum auctorem;* ut apud Sophoclem v. 616.

v. 406. οἷος καὶ Πάρις] Hic tandem aperte Chorus redit ad Paridis notationem, a quo jam ſupra v. 373. nominato ad generalem ultricis deorum juſtitiae magnarumque opum in facinoroſis hominibus vanitatis deſcriptionem deflexerat.

v. 408. ἤσχυνε ξενίαν τράπεζαν] violatum jus hoſpitii notatur; Paris enim a Menelao hoſpitio exceptus non erubuit tamen ejus uxorem rapere, ablatis etiam multis opibus. Unde infra dicitur ὄφλων ἁρταγῆς τε καὶ κλοπῆς δίκην. Alibi Alexandri crimen τραπέζας καὶ ξυνεστίου Διὸς ἀτίμωσις vocatur v. 712. Ad γυναικὸς e ξενίαν ſubintelligendum τοῦ ξένου.

v. 410 ſqq. Ante omnia hic obſervandum eſt, non acceſſum Helenae ad Trojam, ſed fugam e Mycenarum urbe hic deſcribi; illum enim alio carmine canit Chorus v. 745 ſqq.

λιποῦσα δ' ἀστοῖσιν] *Relinquens autem* illa *civibus clypeorum haſtarumque tumultus naviumque* h. e. maritimae expeditionis bellique adverſus Trojam gerendi apparatum, *Ilio autem dotis loco exitium importans raptim portis* Mycenarum *egreſſa eſt*, *non audenda* i. e. immane facinus *auſa*. — Vel e temporum conſecutione λιποῦσα ἀστοῖσιν, — ἄγουσα Ἰλίῳ — βεβακεν διὰ πυλᾶν colligi poſſit, non Trojae ſed Mycenarum portas hic ſignificari.

v. 413 ſq. ἀντίφερνον — φθοράν] Imago ſenſu ſublimi decora! Eadem aliis coloribus expreſſa v. 754 ſqq.

v. 416 ſq. πολὺ δ' ἔστενον — δόμων προφῆται] *Valde autem ingemuerunt* comperta Helenae fuga *aedium* regiarum Menelai *vates*, *haec dicentes*, quae ſequuntur. Hea-

thius recte intellexit, haec de Menelai, non de Priami aedibus accipienda esse. Quid enim Trojanorum harioli vaticinati essent, scire Chorus non poterat.

v. 418—435. His versiculis continetur prophetica vatum oratio. Inde a v. 436. enim τὰ μὲν κατ' οἴκους, Chorus inchoatum sermonem suis verbis pertexit. Illi igitur sic loquentes inducuntur: *Heu* heu, *domum regiam*, heu *principes*, heu *lectum*, torum Menelai conjugalem, et *vestigia viri amantia*, Menelai nempe, felicis donec irruptam matrimonii copulam uxor servabat. *Adest* ille, accedit ad lectum ab Helena desertum, silens, inhonoratus, attamen conviciis abstinens, Helenae haud maledicens, tantum *gemens* ac suspirans, *ubi eam aufugisse videt. Prae desiderio autem transmarinae* h. e. uxoris trans mare abreptae *spectrum videbitur aedibus dominari*, h. e. ita intabescet dominus harum aedium hujusque regni Menelaus, ut umbrae quam hominis similior futurus sit. *Pulchrarum enim* sc. Helenae *statuarum venustas viro* nunc jam *exosa est*, et *oculorum* (qui in statuis exprimi non solebant) *defectu omnis amor periit. Saepe autem* ei (Menelao) *in somniis species apparent, luctum augentes, utpote quae vanam ei et fictam voluptatem afferant;* i. e. saepe Menelaus in somniis Helenam tenere sibi videtur; quae quidem imagines nihil aliud efficiunt, nisi ut eum vana delectatione somniantem mulceant; experrecto vero luctum exaugeant. *Frustra enim si quis bona* quaedam exoptata per quietem nocturnam *videre videatur, haud multo post visum illud e manibus elapsum abit, alisque somni* abeuntis *iter prosequentibus* avolat.

δῶμα ad regias Menelai aedes, πρόμοι ad ipsum Menelaum spectat pluraliter dictum, pro singulari, ut Prometh. v. 149. οἰακονόμοι, de uno Jove.

v. 419. στίβοι φιλάνορες, *vestigia amoris* Helenae, quo antea *conjugem* complexa fuerat; quorum Menelaus si thalamum ingrederetur, atque ad lectum genialem ac-

ce-

cederet, recordari debebat. cf. dulciſſima de Alceſtide narratio ap. Eurip. Alceſt. v. 173 ſqq.

v. 420 ſq. *πάρεστι — ἰδεῖν*] Vulgatam lectionem in his miſere depravatam eſſe, manifeſtum eſt. Quid enim hoc ſit, *πάρεστι σιγᾶσα*? Quod ſi de ipſa Helena accipias, quomodo ea *adeſſe* dicatur, quae abierat? quo ſenſu deinde aut cur *σιγᾶσα*? Incommodum etiam eſſet, *ἀλοίδορος* paſſive poni; incommodum *ἄδιστος* pro *ἀδίστη*; denique quid ſignificet *ἄδιστος ἀφεμένων ἰδεῖν*? Itaque Stanlejus *σιγᾶσα* de *muta Helenae ſimulacro* accepit; hoc ſenſu: *Adeſt muta* ejus imago, *inhonora*, *non convicianda*, *nobis longe ſtantibus viſu gratiſſima*. At cui umquam poëtae in mentem veniret, poſtquam mulieris alicujus diſceſſum narraſſet, his verbis *adeſt muta*, ſ. *ſilens*, ejus ſimulacrum ſ. ſtatuam deſignare? Talia enim quovis Pythiae oraculo obſcuriora eſſent! Deinde ſi Helenae perfidae et adulterae imago dici poterat *ἄτιμος*, *inhonora*, cur eadem ſtatim diceretur *ἀλοίδορος*, *non convicianda*? Quid autem illud eſt, *longe ſtantibus*? aut quo pacto *ἄδιστος ἀφεμένων ἰδεῖν* interpretari liceat, *nobis longe ſtantibus viſu ſuaviſſima*? Poſtremo tota haec ſententia quam vim habeat, quorſum ſpectet, non video. Quod niſi ita eſſet, Heathii certe rationem Stanlejanae praeponerem, hac verſione utentis: *Obſervatur nobis adhuc taciturna* (Helena ſcilicet) *neque honore neque contumelia a nobis affecta*, (h. e. quam neque propter crimina honore proſequi, neque propter formam et Menelai deſiderium conviciis proſcindere audemus) *ſuaviſſima poſtquam eam e manibus amiſerimus viſu*. Haec inquam Stanleji commentis paulo meliora; nihilo ſecius tamen ipſa quoque multis modis contorta et impedita ſunt. Unde enim intempeſtivus ille pudor vatibus veniret, ut Helenam vituperare non auderent? Aut cur eam viſu ſuaviſſimam dixerint, poſtquam cum moecho profugiſſet? An abſens et adultera pulchrior videri poterat, quam praeſens illibata matrimonii ca-

ſtitate? Quid hujusmodi nugis ineptius, quid frigidius fuiſſet! Quae cum ita ſint, non deſpero fore, ut emendatio noſtra viris doctis probetur:

Πάρεστι σῖγ' ἄτιμος, ἀλλ' ἀλοίδορος,
Ἄλγιστος ἀφεμέναν ἰδών.

Sic enim omnia inter ſe conveniunt, et una cum ſequentibus, quo modo affectus fuerit Menelai animus, pulcherrime declarant. Poſt ἄτιμος ſupplendum ἀνὴρ, quod latet in φιλάνορες, atque ex eo facile intelligitur; eodem modo ut ſupra v. 159. πάρεστι ſcil. τῷ λέχει, *accedit ad lectum*, σῖγα *tacite*, ob magnitudinem doloris obmutescens, ἄτιμος ἀνὴρ, a perfida uxore ſpretus et contemtus, ἀλλ' ἀλοίδορος, *conviciis tamen abstinens*, adeo enim amat uxorem, ut eam ne opprobriis quidem ulciſci audeat; ἄλγιστος, *miſerrimus, ſummo dolore affectus*, ἀφεμέναν ἰδών, *poſtquam eam effugiſſe videt.* Quid hac imagine verius dulciusque eſſe poteſt! ἀφεμέναν bene deſignat mulierem deſertricem ſ. fugitivam.

v. 423 ſq. ποθῷ δ' ὑπερπόντιος — ἀνάσσειν] Stanlej. emendans ἄναξιν intp. *Porro prae deſiderio ejus* (Helenae) *quae modo transmarina eſt, phantasma videbitur aedium dominis.* Quod equidem me non intelligere lubens fateor. Heathius exponit: *Deſiderii vero quam ſui reliquit ope imago ejus etiam trans mare avectae mariti animo obverſata videbitur aedibus imperare*; ſenſu quidem aperto, ſed inepto. Nam etſi Menelai animo obverſari potuit ac debuit Helenae abſentis imago, nullo modo tamen iſta imago animo et cogitatione concepta videri potuit *aedibus imperare!* Imo potius h. l. φάσμα, ut alibi εἴδωλον, notat hominem adeo macilentum, adeo exſanguem, ut non vivum corpus, ſed umbra potius aut ſpectrum eſſe videatur.

v. 424 εὐμόρφων γὰρ κολοσσῶν] Etymol. M. Κολοσσὸς σημαίνει καὶ τὸ εἴδωλον, κυρίως δὲ κολοσσοὶ λέγονται οἱ ὑπερ-

ὑπερμενέθεις ἀνδριάντες. Probabiliter nempe poëta fingit Menelaum ſtatuas habuiſſe uxoris formoſiſſimae. Quibus ille quidem delectabatur, quamdiu vivum earum exemplar poſſidebat; jam vero illo ſibi erepto earum venuſtatem faſtidiebat, easque ut odioſas et moleſtas averſabatur.

v. 426 ſq. ὀμμάτων δ' ἐν ἀχηνίαις ἕζεσι πᾶσ' Ἀφροδίτα] Quamvis nimirum eleganter fabricatae ſint ſtatuae, carent tamen oculis, adeoque admirationem quidem excitare poſſunt, amorem non item. Sed univerſi hujus loci venuſtatem populares quidem noſtri melius intelligent ac de emendationis noſtrae veritate facilius judicabunt, ſi ejus paraphraſin Germanicam ſubjecero:

*Er tritt hinzu, fühlt ſich entehrt, und ſchweigt,*
*Kein ſcheltender Verweis ertönt von ſeinen Lippen,*
*Nur Seufzer drängen ſich aus ſeiner Bruſt hervor,*
*Indem er ſieht, ſie iſt entflohn.*
*Bald wird die heiſse Sehnſucht nach der Flüchtigen,*
*Die nun ein Meer ſchon von ihm ſcheidet,*
*Den Fürſten dieſes Hauſes in ein Schattenbild,*
*Dem nächtlichen Geſpenſte gleich, verwandeln.*
*Denn auch des ſchönſten Standbilds Reitz*
*Iſt nun dem liebenden Gemahle,*
*Da ihm das Urbild ſelbſt entwendet iſt, verhaſst!*
*Und wo der Wohlgeſtalt kein Auge Leben giebt,*
*Muſs jeder Keim von Lieb', indem er ſproſst, verwelken.*

v. 428 ſqq. ὀνειρόφαντοι — ματαίαν.] *Inſomniis autem apparentes* (Menelao) *triſtes imagines vanam ei voluptatem afferunt.* Saepe noctu ſcil. ſomniat, ſe Helenam complecti. Hae ſomniorum imagines dicuntur πενθήμονες, propterea quod falſam earum laetitiam major triſtitia animi conſequatur, poſtquam eas dispulſo ſomno falſas eſſe intellexerit.

v. 431 ſqq. μάταν γὰρ — κελεύθοις.] Si nihil hic mutandum eſſe ſtatuas, Heathio auctore, τις δοκῶν nomi-

nativi consequentiae habeantur necesse est; ita ut post εὖτ' ἂν commate distinguatur oratio, q. d. μάταν γάρ ἐστι, εὖτε, δοκοῦντος τινὸς ἐσθλὰ ὁρᾶν, ὄψις παραλλάξασα ἂν δι' χερῶν βέβηκεν — *Vanum enim est*, si, cum *quis bona quaedam per somnium sibi videre videtur*, *visum illud e manibus elapsum paulo post discedit*, *alis* evolans, *somni viam sequentibus*. Suavi metaphora ornavit poëta sententiam, quae proprie sic enuntianda fuisset: *Vana sunt gaudia somniorum*, *quae una cum somno dilabuntur*.

v. 435. κελεύθοις] Hic dativus regitur ab ὀπαδοῖς, quia cum eodem casu verbum ὀπηδεῖν construitur.

v. 436. ἐφ' ἑστίας] Stanleji emendatio ἐφεστίους hanc ob causam valde placet, quod illo epitheto melius designantur Menelai regiae aedes. Nempe quia olim penes reges summa sacrorum potestas erat, in eorum aedibus sacra pro populo fiebant; inde regia palatia οἶκοι ἐφέστιοι appellabantur, κατ' ἐξοχήν. Eodem modo infra v. 860. δόμους ἐφεστίους. Utram vero lectionem amplectaris, sensus certe hic est: *Et hi quidem dolores*, *imo his multo majores sunt*, qui tum aedes Menelai regias h. e. ipsum regem circumveniebant,

v. 438. Hic versus cum sit prorsus ἄμετρος, facile ad Jambici senarii legem revocari potest, si legatur:

Τὸ πᾶν δ' ἀφ' Ἑλλάδος χθονὸς συνορμένοις.

*Universe autem*, Chorus inquit, *propter eos*, *qui e Graecia* una cum ducibus Trojam *profecti sunt*, *moestitia animum affligens in singulorum aedibus regnat*. συνορμένοις hic est dativus causae, ut supra v. 139.

v. 441. πολλὰ — ἦπαρ] *Multa scilicet sunt*, *quae molestiam pariant*. Hepar enim apud Graecos potissimum in tristitiae, odii, invidiae, molestaeque indignationis sensu affligi dicitur.

v. 442. οὓς μὲν — οἶδεν] *Namque quos* quisque *emisit*, *novit*. Bene quidem eorum, qui ad bellum Trojanum profecti sunt, uxores, parentes, liberi, norunt, quan-

quanta virorum aetate et robore florentiſſimorum vis ad ſubeundam expeditionem iſtam coacta fuerit.

v. 443 ſqq. ἀντὶ — εἰςαφικνεῖται] *Sed virorum loco* identidem *arma et cineres in ſingulorum civium domos redeunt.* τεύχη, quia virorum fortium in praeliis caeſorum arma, clypeus praeſertim, propinquis domum mitti ſolebant; una cum oſſibus et cinere cadaverum combuſtorum, niſi forte τεύχη καὶ σποδὸς malis de urnis cineris plenis accipere.

v. 446 ſqq. ὁ χρυσαμοιβὸς — εὐθέτους] *Mars autem cadavera* caeſorum militum *auro permutans in proeliisque armorum fortunam* tanquam *in lance librans amicis* ſ. propinquis *mittit moleſtum cineris virorum vice redeuntis ramentum lacrymis rigatum, quod in urnis bene compoſitis aſſervatur.* ὁ χρυσαμοιβὸς σωμάτων „qui corpora *contra aurum permutat.* Reſpicit nimirum hoc epitheton morem, qui Trojani belli temporibus obtinebat, hoſtium in praelio caeſorum cadavera parentibus ſuperſtitibus non niſi pretio redemta reddendi. De Hectoris cadavere Priamo ab Achille vendito nota eſt hiſtoria. Exempla alia ſuppeditabit Feithius Antiq. Homer. lib. IV. c. 13." *Heath.*

v. 447. „ταλαντοῦχος δορὸς non eſt *qui haſtam ut libram regit*, et *cui pro libra eſt haſta*, ut perperam tradit Pauwius, ſed *qui armorum eventum librat, qui victoriae lances tenet.* Voce δορὸς non *haſta* ſpeciatim, ſed *arma* generatim h. l. deſignantur. Ita apud Sophocl. Ajac. v. 1292. ἐν τροπῇ δορὸς, *in aciei fuga.* Vide et infra v. 525." *Heath.*

v. 450 ſqq. ψῆγμα σποδοῦ, *cinereus pulvis, tenuis cinis*, πυρωθὲν *e combuſto cadavere*, βαρὺ quia amicorum oſſa cineresque graviter amicos affligebant. Aptius autem mihi videtur βραχὺ δυσδάκρυτον ψῆγμα, ſicut ap. Euripidem Suppl. v. 1127.

Πανδάκρυτ' ἃ φέρεις, φίλε
Ματρὶ τῶν ὀλολώτων
Σποδοῦ γε πλῆθος ὀλίγον.

δυςδάκρυτον vel ad lacrymas ſpectat in ipſo oſſilegio profuſas, cf. Iliad. Ω 793 ſq.; vel quod h. l. aptius eſt, ad lacrymas, quibus propinqui, cum cineres ab Ilio miſſos acciperent, eos rigabant. ἀντήνωρ dicitur σποδὸς, quod parentes liberique, qui reditum ſuorum anxie exſpectabant, eorum loco nihil aliud quam triſtes hasce cadaverum reliquias accipiebant.

v. 452. Vulgata lectio γεμίζων τοὺς λέβητας εὐθέτου hanc fert interpretationem: *Mars amicis mittit grave ramentum et lacrymabile, cinere virorum vices explente implens urnas bene compoſito.* Sed ita primum ψῆγμα δυςδάκρυτον male distrahitur ab eo quod ſequitur ἀντήνορος σποδοῦ, quod et ſententiae et verborum ſtructurae cauſa rectius cum eo conjungitur. Deinde γεμίζων Martem fiſtit cinere urnas implentem; at haec imago per ſe quidem pulchra, h. l. tamen vitii nonnihil traheret ex ordine verborum, πέμπει — γεμίζων. Non enim Mars prius mittit cinerem, quam urnas implevit; ſed urnas primum cineribus implet, poſt eas domum ad ſuperſtites propinquos mittit. Poſtremo εὐθέτου ſic in clauſula poſitum, cum ſit ad σποδοῦ retrahendum, minime placet. Itaque levi correctione uſi veram ut opinamur lectionem reſtituimus:

γεμίζοντος λέβητας εὐθέτους, — *quod implet urnas bene compoſitas, quod in urnis bene compoſitis aſſervatur.* εὐθέτους eo ſpectat, quod in aſſervandis et reponendis caeſorum militum cineribus oſſibusque magnam diligentiam adhibebant.

λέβητας] Non enim urnae tantum fictiles, verum etiam aereae aliisque ex metallis factae in uſu erant. Sic Patrocli oſſa in auream phialam colligebantur, Iliad. v. 253.

v. 453 ſqq. στένουσι — γυναικός.] *Gemunt autem* cives *laudantes viros*, quorum cineres receperunt, *alium quod pugnae ſcientiſſimus fuerit, alium quod in proelio propter alienam uxorem fortiter occubuerit.*

v. 457.

v. 457. τάδε — βαΰζει] *Et hoc ipſum*, quod alienam ob uxorem tot juvenes, aetate et virtute florentes, belli periculis et caedibus objiciantur, *multi ſunt* inter cives, *qui tacite muſſitent, qui clam indignantes fremant.* τις h. l. ut ſaepe, non de uno quodam, ſed de multis intelligendum.

v. 458 ſq. Φθονερὸν — Ἀτρείδαις] *Et moleſtia invidiae plena ſubrepit* Atridis *litis arbitris*; h. e. ſenſim incurrunt in moleſtam invidiam, propterea quod unius mulierculae cauſa funeſtum illud bellum ſuſceperint. ὑπ' ἄλγος ἔρπει tmeſi pro ἄλγος ὑφέρπει.

v. 460 ſqq. οἱ δ' — ἔκρυψεν] *Alii vero formoſi* juvenes (cf. v. 446 ſqq.) *iſtic circa moenia Trojanae urbis loculos obtinent, obtinentesque hoſtilis terra tegit.* εὔμορφοι ad triſtitiam rei augendam adjicitur. ἐχθρᾷ ſcil. γᾷ, eodem conſilio; quia triſte erat extra patriam ſepeliri. Nimirum fieri non poterat, ut omnium in hoc bello defunctorum oſſa in patriam mitterentur; id principibus tantum viris, vel certe beatioribus, dabatur; reliquos omnes haud procul ab eo loco, ubi pugnatum erat, ſepultos eſſe conſtat. cf. v. 517. ἔχοντας ſcil. τὰς θήκας.

v. 464 ſq. βαρεῖα — χρέος] *Gravis autem eſt rumor civium cum invidia, et popularis imprecationis tributum pendit*, h. e. graviſſimum periculi onus reges illi ſubeunt, qui communem civium indignationem invidiamque ſibi conciliant; etenim haec eo erumpit, ut mala iis imprecentur, invocatis nimirum adverſus eos furiis, quarum ultionem non eſt ut effugiant. Sed h. l. valde nobis probatur Heathii emendatio, δημαράτου referibere jubentis, pro δημοκράτου, cujus vocabuli non modo nullus vel alibi apud noſtrum vel apud alios uſus, ſed ne ſtructura quidem pro ea quae hic requiritur ſignificatione ſatis ad analogiam conformata eſt. Certe praeferendum eſſet δημοκράντου. δημάρατος ἀρὰ *diras* notaret, *quas populus imprecatur*, ſ. *diras populares*. Nec alia notio vulgato, ſi modo genuinum fuerit, ſubeſſe poteſt.

v. 466 ſqq.

v. 469 ſqq. μένει — θεοί.] *Exſpectat autem cura mea atrum neſcio quid audire. Non enim dii negligere ſolent multarum caedium auctores.* νυκτηρεφὲς perperam intp. *occultum*; rectius, *atram calamitatem*; ſaepius enim poëta tenebrarum imagine utitur, ad atrocitatem poenae vel fortunae deſcribendam. οὐκ ἄσκοποι θεοὶ, cf. v. 380., haud impunes eos abire ſinunt.

v. 470 ſqq. κελαιναὶ — ἀλκά,] In his pro παλιντυχῆ reponendum eſſe παλιντυχεῖ, facile Stanlejo aſſentior. Si παλιντυχῆ legamus, τριβᾷ βίου aliud ſignificare nequit, quam *procedente tempore*; atqui id jam vocabulo χρόνῳ deſignabatur. Itaque Stanleji emendationem in verſione h. l. reddere placet: *Atrae igitur furiae labente tempore eum qui absque juſtitia fortunatus faerit*, qui in magna fortuna juſtitiam ſpreverit, *mutata vitae conditione obſcurum reddunt, evanidis autem ac deletis nulla vis eſt*; h. e. converſa fortuna eum priſtino vitae ſplendore exuunt, eumque ad infimos homines deturbant, ut nullum magnarum opum, quibus olim clarus fuerat, veſtigium relinquatur. Verum haec deſcriptio τιθεῖσ' ἀμαυρὸν, ἐν δ' ἀίστοις, aeque bene ad *mortem* atque ad fortunae everſionem trahi poteſt, ambiguitate, ut mihi quidem videtur, conſulto hic a poëta quaeſita.

v. 475 ſqq. τὸ δ' ὑπερκότως — κερκυνός.] *Grave autem eſt cum magna* populi *invidia laudari*; *fulmen enim a Jove* ejusmodi hominum *oculos ferit.* ὑπερκότως ſignificare poteſt i. q. σὺν κότῳ v. 464. itaque de Heathii ſententia, qui mavult ὑπερκόπως, ampliandum cenſeo. κλύειν εὖ, *bene audire*, h. l. eſt *praedicari* ob divitias, opes, victorias etc. βάλλεται pro ἐπιβάλλεται.

v. 478 ſqq. Κρίνω — κατίδοιμι.] *Praefero autem fortunam absque invidia*, h. e. auream mediocritatem diligo, *neque* enim *urbium expugnator eſſe cupio, neque* ipſe *captus in ſervitute vitam transigere volo.* ὑπ' ἄλλων elegantius cum τὸν βίον κατίδοιμι, quam cum ἀλούς, quod Abreſchius fieri

fieri vult, conſtruitur; etſi utriusque rationis eadem fere eſt ſententia, ἀλοὺς ὑπ' ἄλλων eſſet *captus ab aliis*; ὑπ' ἄλλων τὸν βίον κατιδεῖν eſt *ſub aliorum dominatione vivere*.

v. 482. Jam redit Chorus eo, unde digreſſus fuerat, nempe ad publicam laetitiae cauſam, eaque an vera ſit, denuo dubitare incipit.

v. 482 ſq. πυρὸς — βάξις] *Ab* illo *autem igne laetum nuntium* ſignificante *celeris rumor* laetitiae *plenus urbem pervadit*.

v. 485 ſq. εἰ — ψύθος.] *An autem vere, quis ſcit? Sane verendum eſt, ne falſus ſit rumor.* Vulgatam ἤτοι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος, nemo ſic explicavit, ut nobis ſatisfaceret. Si quis eam defendere velit, ei auctor ſim, ut ſic vertat: *Sane divinum non ſit mendacium*, h. e. *in deum non cadit mendacium*; deinde hic reſpici a Choro dicat illa Clytaemneſtrae verba: μὴ δολώσαντος θεοῦ v. 283. Multo autem aptius Chori conſilio, multo ad orationis perpetuitatem accommodatius eſt, ita legere, ut edidimus. θεῖος facile in θεῖον mutari potuit.

v. 486 ſqq. Τίς ὧδε — καμεῖν;] *Quis adeo ſtolidus aut mente captus ſit, ut recentibus facis* accenſae *ſignis animo* ad laetitiam *accendatur, deinde autem mutato nuntio doleat?* παιδνὸς, de puerili credulitate, πυρωθῆναι καρδίαν, h. l. *gaudio inflammari*, de vehementiore laetitia ſubito coorta. Salſius autem ſit Chori dictum, ob adjectum φλογός· *Wer wird ſich von der Verkündigung einer Fackel gleich das Herz entflammen laſſen?*

v. 489. ἀλλαγὰ λόγου eſt mutatio rumoris in contrariam partem: ſaepe enim fit, ut primus nuntius victoriam, ſecundus cladem referat. Fruſtra in vulgata lectione λόγους exponenda ſe torſerunt interpretes. Abreſchius enim vertit ἀλλαγᾷ λόγους καμεῖν, *non conſtare ſibi in ſermone*; Heathius: *eventu non reſpondente oratione deficere*. Stanlejus emendans ἐπί τ' ἀλλαγᾷ λόγους καμεῖν intp. *orationem ad triumphum meditari*. Quae omnia nimium

mium a vero verborum ſignificatu recedunt. Itaque correctionem noſtram ſenſu facillimo aptiſſimoque commendabilem doctis probatum iri ſperamus.

v. 490 ſqq. ἐν γυναικὸς αἰχμᾷ — κλέος] *In mulieris*, ut Clytaemneſtrae, *imperio decet*, *antequam* veritas *apparuerit*, fortunae *jucunditatem praedicare*. *Valde perſuaſibilis muliebris narratio celeri greſſa* inter multos *diditur*. *Sed celeri quoque morte perit gloria muliebri praeconio declarata*. πρέπει, dignum eſt mulierum levitate et credulitate, eique pulcre convenit. χάριν ξυναινέσαι jucundum rei eventum praedicare; ut Clytaemneſtra facum accenſarum ſignum de expugnatione Trojae, qua nihil Graecis optatius fieri poterat, interpretatur. ὁ θῆλυς ὅρος eſt opinio mulieris de re quadam geſta, quam ea ſumma cum fiducia veriſſimam eſſe decernit, ac definit; in quo iterum carpitur Clytaemneſtra. Is ὅρος dicitur πιθανὸς, non *credulus* (ut vulgo intpp.) ſed ad *perſuadendum accommodatus*; nimirum quia rumores magna cum fiducia et geſtiente laetitia, quemadmodum fieri ſolet a mulieribus, diſſipati, multos ad credendum accendunt, etiamſi certis veritatis inſignibus careant. Acrior autem fit Chori cavillatio oppoſitis inter ſe ταχύπορος et ταχύμορον.

v. 496. κλέος h. l. idem fere eſt quod antea χάρις, *rumor de laeto quodam rerum eventu*, *de re feliciter et glorioſe geſtn*.

## IN SCENAM V.

*v.* 496—510.

Carmen illud, quod Chorum modo canentem audivimus, non coram Clytaemneſtra pronuntiatum fuit; minime enim auſi fuiſſent ſenes tam audacibus liberisque verbis Clytaemneſtrae credulitatem reprehendere: attamen regina cum hic illic altaria per vicos diſpoſita obiret, propius ad Chorum forte per anfractum viae acceſſerat, ejusque ultimam orationem, ne animadverſa quidem ab eo,

eo, audiendo exceperat, quod perſpicue e v. 598 ſqq. colligitur.

v. 496 ſqq. *τάχ' εἰσόμεσθα — πέλοι*] *Mox ſciemus, lampadum luciferarum, excubiarum* eis accendendis *et ignium vices an verae fuerint, an ſomniorum inſtar ſuave hoc lumen, ad nos propagatum, menti noſtrae illuſerit. Praeconem enim iſtum a littore venire video, ramis olivarum obumbratum;* adeoque finiti belli jam certiſſimum indicem; *id ipſum vero aridus pulvis limi germanus frater mihi confirmat* (qui ſcil. pulvis ab agmine praeconem haud procul ſequente moveri videtur); *atque is quidem praeco, neque mutus, nec materiae ſylveſtris flammam incendens, ignis fumo vobis ſignificabit; ſed verbis* potius *aut laetitiam magis explicabit noſtram, contrariam vero huic ſententiam averſor,* (nempe cum dictura eſſet Clytaemneſtra, *aut hanc laetitiam triſti aliquo nuntio contaminabit*, hoc mali ominis cauſa proloqui non vult;) *imo potius opto, ut ea, quae jam nobis felicia apparuerunt, alio proſperitatis cumulo augeantur.*

*τάχ' εἰσόμεσθα*] De juſta Criticorum reprehenſione, quam incurrit Aeſchylus, cum poſtridie ejus noctis, qua Troja capta eſſet, non ſolum praeconem Argos venientem, ſed ipſum etiam Agamemnonem cum exercitu redeuntem induxit, opportunior erit in excurſu dicendi locus, quo univerſam hujus fabulae adornationem tractabimus.

*λαμπάδων φασφόρων — πυρὸς*] unam rem in tres partes distribuendo deſignat; totum enim ſigni dandi negotium conficiebatur primum excubiis ad obſervandas faces poſitis, deinde acervis lignorum aut ſarmentorum, quibus ignes excitarentur; denique facibus, quae ipſis his acervis, ut ignem conciperent, admovebantur. Nihil igitur in imagine ſupervacuum eſt.

v. 498.

v. 498. παραλλαγὰς notat ipſas ſignorum ignibus datorum vices et ſucceſſionem, ſupra luculenter deſcriptam.

v. 500. ἐφήλωσε] Heſych. Ἐφήλωσε, ἐξηπάτησεν. Φηλοῦσι, ἀπατῶσι. Φηλωθεῖσα, ἀπατηθεῖσα.

v. 501 ſqq. κατάσκιον κλάδοις ἐλαίας] „Simili modo in Suppl. v. 359. ὁρῶ κλάδοισι κατάσκιον ὄμιλον, ubi vid. Schol. et Küſter ad Ariſtoph. Plut. v. 765." *Abreſch.*

v. 502. Pulverem Aeſchylus ſublimi metaphora limi ſ. luti fratrem appellat, quae tamen haud ſcio an audacior ſit, quam pro tragici colloquii pede ac modulo. Sic ſupra fumus ignis frater dicebatur, Sept. adv. Theb. v. 495. Neque tamen veritas imagini deeſt. Una enim eademque ex terra, madore lutum, calore pulvis gignitur. Praeterea ut bene continuaret metaphoram *ſitientem* potius *pulverem*, quam *aridum* dixit.

v. 503. ξύνουρος proprie *vicinus* h. l. eſt *affinis*, *germanus*.

διψία κόνις] Eadem phraſi uſus eſt Sophocl. Antig. 252. 439. Heſych. Διψία κόνις, ξηρά.

v. 504. οὔτ' ἄνανδος] Fortaſſe haec dicens pulverem, adventantis exercitus ſignum, reſpexit, cujus modo mentionem fecerat. Alibi enim, Sept. adv. Theb. v. 82. pulverem ab agmine excitatum ἄνανδον ἄγγελον nominat. Praeconem igitur ait haud mutum, ſed vocalem nuntium fore.

οὔτε σοὶ — πυρός] In his alterum illud φρυκτωρίας ſignum tangitur, quod parum certum et idoneum Choro viſum fuerat. Pro καπνῷ πυρὸς fortaſſe legendum ἄχνῃ πυρός. Id enim Etymologus M. teſtatur apud Aeſchylum occurrere. Et apud Heſychium: Ἄχνη πυρός· ὁ καπνός. Jam olim vir doctus in Miſc. obſſ. vol. II. 1. hujus locutionis ſedem in hoc loco eſſe putavit.

v. 506.

v. 506. Fruſtra Abreſchius hic exempla cumulat, ut efficiat ἀλλ' ἢ h. l. pro ſimplici ἀλλὰ poni potuiſſe. Imo poſt λέγων apoſiopeſis eſt, et alterum ἢ, quod cum ſententia ſua τῷ ἀλλ' ἢ opponi debebat, una cum ea ſupprimitur.

μᾶλλον ἐκβάζειν eſt rem univerſe jam notam ſingulas partes exponendo copioſius eloqui. Itaque τὸ χαίρειν μᾶλλον ἐκβάζει λέγων eſt: *cauſas gaudii noſtri dicendo uberius exponet, ſingulaque perſequendo laetitiam exaugebit.*

v. 507. τὸν ἀντίον] Nempe non verebatur regina, ne aut omnino Troja capta non eſſet, aut Graeci ad internecionem caeſi eſſent, ſed potius ne de gaudio ob Trojae expugnationem et Graecorum reditum ſibi quid deminueretur. Intelligi igitur vult Agamemnonis aut Menelai mortem, vel ſimile quid.

ἀποστέργω λόγον] „Mira veterum in parcendo a verbis male ominatis ſuperſtitio. Terentius Heaut. 2, 1, 16. *tum quod eidem recte eſt, nam nihil eſſe mihi, religio eſt dicere.* Cicero epiſt. l. 12. *Multum intereſt te venire, exigua eſt enim ſpes reipublicae; nam nullam non licet dicere. —*" *Stanl.*

v. 510. καρποῖτο] „h. l. in malam partem; ut Sept. adv. Theb. v. 603. ἐκκαρπίζεσθαι." *Stanl.*

αὐτὸς h. l. videtur reddi poſſe *ſolus*, ut ſenſus ſit: *Quicunque aliena ab his urbi precatur, is ſolus animi ſui malitia fruatur, ſolus ejus damna et poenas ſentiat*, neque ea cum pluribus et innocentibus communicentur.

## IN SCENAM VI.

*v.* 511—622.

v. 511 ſqq. ἰὼ — χαῖρε] „Peregre redeuntes terram ſalutabant. Agamemnon apud Senecam v. 782.

*Tandem revertor ſoſpes ad patrios lares,*
*O cara ſalve terra.*

Plautus Bacchid. II. 1.

*Herilis patria salve, quam ego biennio*
*Post, quam hinc Ephesum abii, conspicio lubens.*
*Saluto te vicine Apollo, qui aedibus*
*Propinquus nostris accolis, veneroque te!*

Hinc vero locum imitatur Seneca, Ag. v. 392. sub Eurybatis persona:

*Delubra et aras coelitum, et patrios lares*
*Post longa fessus spatia, vix credens mihi,*
*Supplex adoro. —" Stanl.*

v. 512. δεκάτῳ φέγγει τῷδ' ἔτους est *hocce anno, qui decimus exortus est, s. decimus volvitur*, inde a quo profecti sumus.

v. 513. πολλῶν — τυχών.] *qui, cum tot aliae spes fractae fuerint, unius tandem compos factus sim.*

v. 514 sq. οὐ γὰρ — μέρος] *Non etiam unquam audebam sperare fore, ut in Argiva terra mortuus aliquando exoptatissimi sepulcri partem nancisserer.*

v. 516. Sequitur splendida salutatio, animumque suaviter afficiens.

v. 519. ἦλθες ἀνάρσιος] „h. e. *fuisti* immitis; ut recte interpres, ἔρχεσθαι posito pro εἶναι, ut ἥκειν Soph. Oed. Tyr. v. 1535. θεοῖς ἔχθιστος ἥκω. Oed. Col. 1240. ἔχθιστον φθέγμα τοῦτ' ἥκει πατρί. —" *Abresch.*

v. 520. κἀπαγώνιος] „Apollinem inter θεοὺς ἀγωνίους (ἐπαγωνίους, s. ἐναγωνίους) recenset etiam in Supplicibus v. 695. Meminit et Eustathius ad illud Homeri,

Ἄνδρε δύο περὶ τῶνδε κελεύομεν ὥςπερ ἄριστον
Πυξὶ μάλ' ἀνασχομένω πεπληγέμεν, ᾧδέ κ' Ἀπόλλων,
Δώῃ καμμονίην· γνώωσι δὲ πάντες Ἀχαιοί.

Ad illum igitur locum Eustathius, Ἀπόλλωνος δ' ἐνταῦθα, inquit, μέμνηται ὁ ποιητής, διὰ τὸ δοκεῖν ἐναγώνιον εἶναι καὶ αὐτὸν ὁμοίως τῷ Ἑρμῇ. Videsis etiam Plutarchum Sympos. VIII. Qu. 4., ubi eundem Homeri locum adducit; narratque

que Apollini Pugili a Delphis, Curſori a Cretenſibus et Lacedaemoniis, ſacra fieri." *Stanl.* Itaque h. l. ἐπαγώνιος eſt *defenſor in certaminibus.*

v. 522. τιμάορον] τιμάορος hoc loco non *ultor* nec *vindex* eſt, ut perperam putabat Stanlejus. Non enim, ſi ita eſſet, Mercurium ἐμὸν τιμάορον appellaſſet praeco, quippe nullis ipſe, quod ſciamus, injuriis affectus. Scholiaſtes et Heſych. non male per βοηθὸν interpretantur. Proprie autem ſignificat eum; *qui honore aliquem afficit, honoris ac dignitatis auctorem*, adeoque apte hoc nomine Mercurium compellat praeco, ut qui ipſe deorum praeco eſſet, et praecones patrocinio ſuo ornaret. Sic Pind. Olymp. IX. v. 124. τιμάορος eſt *laudis auctor, laudator.*—" *Heath.*

v. 523. Ἑρμῆν] „Mercurium ἐναγώνιον intelligit, quem aeque ac Apollinem certaminibus praeeſſe docuit Euſtathius modo laudatus. Ejusdem alibi etiam mentionem feciſſe Aeſchylum, monet Scholiaſtes Pindari, ad Pyth. II. . . ἐναγώνιος δὲ ὁ Ἑρμῆς, inquit, τὶς τῶν ἀγώνων προστάτης· ὡς καὶ Αἰσχύλος

Ἐναγώνιε Μαίας καὶ Διὸς Ἑρμᾶ.

Meminit et idem Pind. Iſthm. od. I.

πάντα δ' ἐξειπεῖν ὅσ' ἀγώνιος Ἑρμῆς
Ἡροδότῳ ἔπορεν.

Scholiaſtes Ariſtophanis in Plutum. Mercurii epitheta recenſens, λέγεται δὲ ὁ Ἑρμῆς στροφαῖος, ἐμπολαῖος, κερδῷος, ἡγεμόνιος, ἐναγώνιος, διάκονος. Hinc Tertull. de ſpectac. C. 9. *Sed et gymnicas artes Caſtorum et Herculum et Mercuriorum disciplina prodiderunt.*" *Stanl.*

κηρύκων σέβας] in cujus clientela praecones ſunt, quem tutorem et patronum ſuum venerantur.

v. 526. Φίλαι στέγαι vel appoſitum praecedenti μέλαθρα βασιλέων, vel ad aedes privatorum ſpectat. Prius tamen praetulerim.

v. 527. *σεμνοὶ θᾶκοι* ſunt *templa deorum. δαίμονες ἀντήλιοι* vero ea numina, quorum ſtatuae araeque ſub dio poſitae erant.

v. 528 ſq. *εἴ που — χρόνῳ*] *Si umquam alias, nunc jam benevolis oculis, ut decet, excipite regem longo poſt tempore venientem.*

v. 529. *κόσμῳ*] ut poſtea v. 532. *καὶ γὰρ οὖν πρέπει.* „Sic noſter Perſ. v. 399. *ἡγεῖτο κόσμῳ*, et Pind. Pyth. Od. III. 147. od. *δύναται κόσμῳ φέρειν.* Heſych. *Κατὰ κόσμον, κατὰ τάξιν.*" *Abreſch.*

v. 530. *Φῶς ἐν εὐφρόνῃ*] Pulcre; deos hominesque abſentia regis contriſtaverat; deos hominesque reditus exhilaraturus erat.

v. 534. *Διὸς — πέδον*] *qui Trojam Jovis vindicis ligone ſubruit, qua totus ager everſus eſt;* magnifica allegoria, pro *Trojam funditus evertit.*

v. 535. *θεῶν ἰδρύματα*, templa, ut paulo ante *σεμνοὶ θᾶκοι.*

v. 540. *Πάρις γὰρ οὔτε συντελὴς πόλις*] „Hoc eſt, ut recte monet Scholiaſtes:

*οὔτε Πάρις, οὔτε πόλις.*

Sic et Pind. Pyth. VI.

*ἄδικον οὔθ' ὑ-*
*πέροπλον ἥβαν ὀρέπων.*" *Stanl.*

*συντελὴς*] „Proprie *συντελὴς qui juxta cum aliis tributum pendit*, vid. Harpocrat., ad eum Valeſ., et Suid.; deinde in genere, *qui eandem operam praeſtat*, unde recte in Ariſtid. Panath. p. 245. *τότε μὲν ἡμέρᾳ μιᾷ τῆς μάχης ὑστέρησαν Λακεδαιμόνιοι· ἐκείνῃ δὲ ἡμέρᾳ αὐτῆς ὑστέρησαν τῆς τροπῆς οἱ συντελεῖς*; ubi Canterus vertit *ſocii*, et Schol. interpr. *συμπολεμοῦντες.* Idem Tom. III. p. 580. *πηγὰς Νείλου συντελεῖς* dicit, qui aquam miniſtrant fontes. Hinc *συντέλεια χρημάτων* eidem Tom. I. p. 496. eſt *collatio.* Sed

et

et pro *consortio* adhibuit noster Sept. adv. Theb. v. 253." *Abresch.*

v. 541. ἐξεύχεται — πλέον] Neque vero Paris, nec socia ejus urbs *gloriari possit, se plura perpetrasse, quam passi sint*, aut poenas facinoribus haud aequari.

v. 542 sqq. ὄφλων — δόμον] *Cum enim et raptus* (Helenae) *et furti* (ablatarum opum) *crimen sustineret, et praeda excidit et patriam paternamque domum funditus evertit.*

v. 543. ξύσιον h. l. nec redemtionis pretium, nec pignus proprie dictum, sed praedam significat, intelligiturque Helena, quam una cum magna opum vi Paris abegerat.

v. 545. διπλᾶ — ἁμάρτια] *Duplicem delictorum poenam luerunt Priamidae*, i. q. διπλῆ ἔτισαν.

v. 546— 562. „Quaecunque ex his in vulgatis Clytaemnestrae tribuuntur, Choro procul dubio tribui debent. Nam et sermones ipsi Clytaemnestrae dignitati minime conveniunt; et respondet vicissimque interrogat praeco familiarius, quam, si cum regina colloqueretur, deceret. Praeterea neque versum 556. ipsa Clytaemnestra dicere poterat, nec quisquam eam allocutus, ea quae v. 557. continentur. Ex versu denique 588. manifeste apparet, Praeconem hactenus Chorum, non Clytaemnestram fuisse allocutum. Plurali enim numero, genere masculo dicit τοιαῦτα χρὴ κλύοντας. Idem quoque patet e Chori responso v. 591. νικώμενος λόγοισιν οὐκ ἀνακίνομαι, hoc enim et falso et ridicule a Choro diceretur, si nullos ante cum Praecone sermones instituisset." Hactenus Heathius: optime ille quidem et verissime. Tametsi enim ultimo ejus argumento parum roboris inest, reliqua tamen firmissima sunt, et aliis augeri potuissent; e. c. initium orationis Clytaemnestrae v. 595. ejusmodi est, ut ordienti sermonem, non continuanti, simile sit. Dici autem non potest, quam ineptas horum versiculorum in-

terpretationes pepererit hujus unius rei, permutatarum a librariis perſonarum, ignoratio. Quas equidem omnes, cum meliora jam pateant, ſilentio praeteribo.

v. 546. Propius cum acceſſiſſet praeco, Clytaemneſtra aliquantulum ſeceſſerat; priusquam ipſa ſe colloquio immiſceret, ea quae illa cum Choro locutura eſſet, auditura. Itaque Chorus primum praeconem ſalutans, *Salve*, inquit, *praeco Graeci exercitus!*

v. 547. Praeco: *Salveo; nec jam mori, ſi dii jubeant, detrecto.*

v. 548. Chorus: *Num te patriae telluris amor ac deſiderium exercuit?* i. e. male habuit, afflixit?

v. 549. Praeco: *Ita* me exercuit, *ut nunc jam* ob reditum *gaudio illacrymem.*

v. 550. Chorus: *itaque et vos*, tu reliquusque exercitus, *jucundi hujus morbi participes fuiſtis?* Ita enim cum interrogatione efferenda eſt haec ſententia, non quomodo Heathius intp. *jucundum certe nacti hunc eratis morbum.* Deſiderium amicorum Chorus intelligit, cujus ſenſus partim gratus; partim moleſtus eſt, ut aptiſſime jucundus morbus dici poſſit.

v. 551. Praeco: *Quomodo jam edoctus hujus dicti compos fiam?* Paulo exquiſitius dictum, pro vulgari: *Non ſatis intelligo, quid dicas.* Sed fortaſſe melius fuerit hunc verſum ita interpungere:

Πῶς δή; — διδαχθεὶς ταῦδε δεσπόσω λόγου.

h. e. *Quomodo tandem?* tum enim demum aſſequar dictum tuum, *cum abs te doctus fuero*, cum latius mentem tuam explicueris.

v. 552. Chorus: *Nempe deſiderio* vos *redamantium* et viciſſim vos deſiderantium icti eratis. Haec arctiſſime, ut fit in ſermonibus alternis, cum v. 553. cohaerent, eique explicando inſerviunt. Heathius veram hujus ſententiae vim nonnihil pervertit, ſic vertendo: *Intellexeris nimirum, ſi eorum deſiderio captus fueris, qui te viciſſim de-*

*deſiderabant.* Imo Chorus neganti praeconi, ſe, qualis iſte *jucundus morbus* ſit, intelligere, reſpondet, ſe deſiderium innuiſſe, quo tamen milites non magis, quam ipſi qui domi manſerint affectos ſuiſſe ait.

v. 553. Praeco: *Ais* igitur *te exercitum patriam hanc deſiderantem* viciſſim *deſideraſſe.*

v. 554. Chorus: Ajo, et ita quidem, *ut ſaepenumero moeſtis ex praecordiis ſuſpirarem.* Stanl. ἀμαυρᾶς ἐκ φρενὸς intp. *tacite*; praeſtat autem h. l. de triſtitia in pectore fixa accipere, quam ſaepius cum caligine et obſcuritate comparat Aeſchylus. Bene autem Heathius admonuit, Chorum h. l. Clytaemneſtrae cum Aegiſtho adulterium tangere; tectis autem et involutis verbis uti neceſſarium erat ob Clytaemneſtrae praeſentiam.

v. 555. πόθεν — στύγος;] Stanlejus vulgatum στρατῷ in στρατοῦ mutandum cenſens interpretatur: *unde malevolum hoc inerat tibi odium exercitus? Quamnam tibi moeroris cauſam dederat exercitus?* At enim haec ſententia prorſus discrepat a loquentium conſilio. Chorus enim tantum abeſt ut ſe odiſſe exercitum dixerit, ut potius diſerte ſe ejus deſiderio flagraſſe declaraverit. Quomodo igitur in mentem veniſſet praeconi ea quaerere, quae Chori dictis prorſus contraria eſſent? Haud melior eſt Pauwii ratio, etſi ei Heathius calculum adjecit. Emendari enim vult: πόθεν τὸ δύςφρον τοῦτ' ἐπῆν στυγόστρατον; quod ſic vertitur: *unde auxilia illa militiae deteſtatio vobis ſupervenit?* At quo tandem pacto Chorus, niſi forte vigilans ſomniaret, hanc in quaeſtionem incidere potuiſſet? Ab antecedentibus enim Chori verbis alieniſſima eſt. Imo vero per ſe quoque abſurda et inficeta. Cur enim militiam odiſſet Chorus, qui ſenibus conſtaret, dudum propter aetatem militia vacantibus? Quae cum ita ſint, correximus πόθεν ἐπῆν θυμῷ στύγος; e quo ſententia naſcitur ad h. l. accommodatiſſima. *Unde autem animum tuum obſedit iſta* quam ſignificas *aegritudo et moeſtitia? Quae-*

*nam ejus quaeſo cauſa fuit?* Jacobſius tamen V. Cl. emendabat τοῦτ' ἐπῆν στύγος, φράσον. Vid. ejus animadv. ad Eurip. p. 195.

v. 556. Chorus veram aegritudinis cauſam Clytaemneſtra praeſente prodere non auſus, *dudum eſt*, inquit, *quod calamitatis remedium* unicum *in ſilentio reperio*; *dudum equidem malorum*, ob quae me ſaepius ſuſpiraſſe faſſus ſum, aliud *lenimentum non habeo, quam ſilentium*; eoque nunc quoque utendum eſt. Callida eſt ἀμφιβολία in βλάβης. Clytaemneſtra enim de quovis *damno*, praeco de *injuria* ab aliis accepta intelligere poterat. Id quoque conſilio aptiſſimum, quod non ſignificat, ad quem illa βλάβη proxime pertineat. Sic enim ſpectatori aeque de Clytaemneſtrae adulterio, atque hujus Aegiſthique acerbo in cives imperio accipere licebat.

v. 557. Praeco: *Et quomodo abſente rege* alios *quosdam timebas?* Qui fieri potuit, ut abſente rege alii tibi nocerent, teque in metum conjicerent? Stanleji interpunctionem ſi ſequaris, ſenſus erit: *Ain' tu? Num abſente rege fuerunt, quos timeres*, qui te terrerent aut vexarent? κοιράνων pluralis pro ſingulari.

v. 558. Chorus: *Adeo* ſcil. quidam mihi moleſti fuerunt, *ut, quod tu modo dicebas, mihi jam mors gratiſſima ſit futura*, quod me iſta ſervitute liberatum videam.

v. 559. Praeco, Haud mirum te jam emori cupere. *Bene enim iſta cefferant.* Feliciter enim res geſſimus. *At magno temporis ſpatio quaedam* hominibus *proſpere cedere dixeris, quaedam vero etiam culpanda*, i. e. adverſa et iniqua. Sic Eurip. Electr. v. 1101. τὰ μὲν γάρ εὖ; τὰ δ' οὐ καλῶς πίπτοντα δέρκομαι τῶν βροτῶν.

v. 563 ſqq. μόχθους — μέρος] „De moleſtiis haec intelligenda, et incommodis, quae in navibus perpeſſi fuerant, tantum non evincunt illa, quae opponuntur, τὰ δ' αὖτε χέρσῳ καὶ προῳῆν πλέον στύγος. Sic χέρσος et θάλασσα

λασσα ad se mutuo referuntur in Pers. v. 709. Adv. v. 874. Suppl. v. 186. Ita παρήξεις dixerit, quae aliis πάροδοι, i. e. loca in navibus navigantium inservientia commoditati, s. mansiones, ubi degebant. vid. Scheffer in add. ad Mil. Nav. p. 320 sq. Aliter certe non intellexit Schol. illustrans per παραδρομὰς ἐπὶ τοῦ καταστρώματος τῶν νεῶν. Favet isti interpretationi insuper Thucydides, quo teste lib. I. c. 10. navigia tunc non erant κατάφρακτα, quin diu adhuc post tempora Trojana; vid. cap. 14. Atque ita si quis velet haec exponere, per me licet; ipse tamen non hoc solum intelligi, sed vel praecipue respici existimem ad incommoda, quae pertulere in Aulide adversis ventis retenti, de quibus multum queruntur non apud Euripidem modo, sed et nostrum supra v. 196 sqq. Hoc ut dicat, quam diu in Aulide detenti fuerint, raro sibi licuisse sub tectis commorari et diversari, cubationes fuisse male stratas. Et vel sic πάρηξις erit πάροδος, παρέλευσις, nam quod πάροδος in navi, idem *aedes* in terra, quodque παριέναι et παρέρχεσθαι latissime sumta, idem παρήκειν. —" *Abresch.*

Ego vero de Aulide nihil hic agi, sed μόχθους de *remigandi labore*, ὀνσανλίας de littorum importunitatibus, quae saepe nautis multas molestias faceſſunt, multa pericula minantur, σπαρνὰς παρήξεις καὶ κακοστρώτους de rara ad terram appellendi conditione, cubilibusque, sin ibi forte portum inveniſſent, male stratis interpretor. *Etenim*, inquit, *si narrare vellem labores* a nobis exantlatos, *importunitates locorum* navigantibus graves, *raras ad terram appellendi occasiones*, *atque* in ipsis portubus *cubilia male strata*, — Hic est aposiopesis; reticetur enim apodosis, et statim ad aliam exclamationem transitus fit. Quod reliquum est, utrum πάρηξις de appellendi negotio, an de loco, quo appellitur, h. e., de portu aut littore intelligas, non multum interest; nisi quod audacior est adjectivi κακόστρωτος junctura, si priore notione accipias.

v. 564 sq. τί — μέρος;] *Quotus quisque dies, quem vivendo attigimus, absque suspiriis a nobis transactus fuit?* Germani dicerent: *Keinen Tag, den Gott liefs werden, brachten wir ohne Seufzer hin.* ἥματος μέρος non est pars aut hora diei, sed *dies qui quasi sortito alicui obtigit, qui ei fato ad vivendum concessus est.*

v. 566. τὰ δ' αὖτε χέρσῳ — στύγος] *Vicissim quae in terra nos circumveniebant, odiosiora etiam et molestiora erant.*

v. 567. εὐναὶ — τείχεσιν.] Primum *enim cubilia sub hostium moenibus erant;* parum igitur secura.

v. 568 sq. ἐξ οὐρανοῦ — κατεψέκαζον] *Deinde de coelo pluviae, e terra autem pratensi rores nos irrigabant;* δρόσοι h. l. simul ad pluviam et rores pertinet. Sed repugnabat vulgata lectio δρόσοι λειμωνίαι, *rores pratenses;* quomodo enim rores pratenses e coelo stillasse dicerentur? Itaque corrigendum putavi λειμωνίας, terram enim pratensem inprimis roscidam esse nemo ignorat.

v. 569 sq. ἔμπεδον σίνος — τρίχα] „Vix cuiquam, ut opinor, placebit Pauwii una hujus loci explicatio: Δρόσοι τιθέντες ἔμπεδον σίνος κατὰ ἔνθηρον τρίχα ἐσθημάτων, *rores certam perniciem inferentes vestibus hispidis et crassis instar vellerum ferinorum.* Ego distinguendum puto post ἐσθημάτων, ut sensus sit, *rores nos irrorabant, certa vestigium pernicies, capillos nostros villis ferinis similes reddentes.* Hoc quidem ipsum, tamquam unum e praecipuis militiae incommodis detestatur Ajacis miles apud Sophocl. Ajac. v. 1126 — 1128.

Ἀεὶ πυκιναῖς δρόσοις
τεγγόμενος κόμας λυγρὰς
μνήματα τροίας. —" *Heath.*

Malim tamen ἔμπεδον σίνος reddere *perpetua pernicies*, s. *violenta.*

v. 570. τιθέντες ἔνθηρον τρίχα] „Hic primo notes δρόσοι τιθέντες attice pro τιθεῖσαι, ut δίκη φανερὸς pro φανερὰ

νερὰ in Eurip. Bacch. v. 990. *βίαιος χεὶρ* in Heracl. v. 103. 107. *πολιὸς χήρα* Androm. v. 348. et ſimilia paſſim. Ἔνθηρον *τρίχα* dixit venuſte, quae non ſecus ac ferarum pili ſub dio et rore degentium madida, feritatem prae ſe ferat. Itaque perperam Stanl. conjicit ἀνθηράν. Quod ſi hic loci quippiam foret innovandum, probabiliori, opinor, conjectura opinor ἔκθηρον, i. e. *efferam*. Liv. II. c. 23. *Promiſſa barba et capilli efferaverant ſpeciem oris.* Neque aliter ἐκθηριοῦν in Longi lib. I. p. 14. —" *Abreſch.*

v. 571 ſqq. *χειμῶνα — πεσὼν*] *Jam ſi quis hiemem aves necantem dicere velit, qualem intolerabilem Idae nives dederunt, aut ſolſtitialem aeſtum, cum pontus fluctuum expers in meridianis cubilibus, a vento tranquillis, dormiret:* poëtica pictura aeſtivi circa meridiem caloris. Poſt *πεσὼν* fit apoſiopeſis.

v. 575 ſqq. *Verum quid iſta lugeamus: praeteriit labor, primum iis quidem, qui mortui ſunt, ut ne ſi detur quidem reſurgere velint.* Nempe ſe tot aerumnis aliquando defunctos eſſe laetantur, quas in vitam redeundo nolunt repetere. Eandem ob cauſam Cato major negat ſe repueraſcere velle. *Si quis*, enim apud Cicer. (de Senect. c. ult.) *largiatur*, inquit, *ut ex hac aetate repueraſcam, et in cunis vagiam, valde recuſem.*

v. 578 ſqq. *τί — καταξιῶ*] *Quid tandem viventem*, eum qui ſuperſtes fuerit, *mortuorum* in bello *numerum inire et ob fortunae iras dolere oportet? Imo vero aequum puto multum ſuper his quae acciderunt laetari.* ξυμφορᾶις potiſſimum ad mortuos referendum: q. d. non invidere iis liberationem a malis decet, ſed bonis ominibus potius mortem eorum proſequi. Ultima verba male lat. intp.: *Imo calamitatibus valedicendum cenſeo.*

v. 581. ἡμῖν δὲ] opponitur verbis *τοῖσι μὲν τεθνηκόσι.* v. 579. *Nobis vero qui ex Argivorum exercitu ſuperſtites ſumus, exſuperat lucrum, damnum vero illud pondere haud aequiparat.*

v. 583.

v. 583 ſq. ὡς — ποτωμένοις] *Adeo ut nobis hac ſolis luce, hodie, vere gloriari liceat, qui maria et terras ſupervolavimus*, i. e., ſatis celeriter transiimus. Mirum ſane eſt Heathium in voc. ποτωμένοις haerere potuiſſe.

v. 585 ſqq. Τροίην — γάνος] Jamque Graecorum exercitus, qui Trojam expugnaverunt, diis hujusmodi ſpolia paſſim per Graeciam aedibus affixerunt, antiqua ornamenta. ταῦτα poſitum pro τοιαῦτα. Nimirum ipſe praeco quaedam ejus generis ſpolia manibus ferebat, ac multa talia jam a Graecorum exercitu paſſim per urbes dedicata delubrisque affixa eſſe narrat. δόμοις de templis accipiendum. „Sic Eurip. Rheſ. v. 180. θεοῖς λάφυρα πασσάλευε πρὸς δόμοις. Et δόμοι pro *templis*, idem Ion. v. 34. et alibi.“ *A reſch.*

v. 586. λάφυρα ταῦτα] „Sic de Agamemnone Colonus Mycenaeus apud Euripidem in Electra:

Κτείνας δὲ τὸν κρατοῦντ' ἐν Ἰλιάδι χθονὶ
Πριαμον ἑλών τε Δαρδάνου κλεινὴν πόλιν
Ἄφικετ' εἰς τόδ' Ἄργος· ὑψηλῶν δ' ἔπι
Ναῶν ἐθηκε σκῦλα πλεῖστα βαρβάρων.

Clytaemneſtra in eadem Tragoedia:

Σκύλοισι μὲν γὰρ θεῶν κεκόσμηνται δόμοι
Ἀργυρίοις.

Apud eundem in Rheſo:

Σκ. Καὶ μὲν λαφύρων αὐτὸς αἰρήσῃ παρών.
Δο. Θεοῖσιν αυτὰ πασσάλευε πρὸς δόμοις.“ *Stanl.*

Plura vid. ad Sept. adv. Theb. v. 280.

v. 587. ἀρχαῖον γάνος] vel quia inter illa ſpolia multa erant antiqua ſigna aliaque monumenta, vel quia olim ob vetuſtatem Graecorum templis ornamentum additura erant.

v. 588 ſqq. τοιαῦτα — λόγον] *Hisce igitur auditis decet vos urbi bellique ducibus congratulari: inprimis vero Jovis gratia, quae iſta perfecit, celebrabitur. Habes quae dicenda habui.*

v. 589.

v. 586. χάρις τιμήσεται] „paſſive ſi. l. notat, ut ἄξη v. 1641." *Abreſch.*

v. 591 ſqq. Chorus reſpondet: *Victum* me tandem *narratione* tua, *non nego*, nec amplius recuſo, quo minus Trojam expugnatam eſſe credam. *Semper vero ſenibus hoc proprium eſt, ut bene diſcere*, h. e. ut ea quae audiant certo explorare, nec niſi firmiſſimis indiciis fidem adhibere *velint. Ceterum haec maxime regias aedes et Clytaemneſtram attingere*, eique cordi eſſe, *conſentaneum* eſt, *ſimul tamen me quoque beare*; h. e. aequum eſt, ut et nos in hujus laetitiae ſocietatem veniamus.

νικώμενος — ἀναίνομαι] „Participium pro infinitivo νικᾶσθαι, ut apud Eurip. Iphig. Aulid. v. 1502.

Σανεῖσα δ' οὐκ ἀναίνομαι.

Id. Herc. Fur. εὖ δράσας δέ σ' οὐκ ἀναίνομαι." *Abreſch.*

v. 592. ἡβᾷ h. l. eleganter de conſuetudine inveterata, quae nunquam dediſcitur.

v. 595 ſqq. ἀνωλόλυξα — ἀνάστασιν] *Dudum equidem prae gaudio exclamavi, cum primus ille nocturnus ignis nuntius veniſſet, Ilii expugnationem everſionemque denuntians.*

v. 598 ſqq. Καί τις — φλόγα] *Et erant qui me carpentes dicerent: Quid? an tu facibus accenſis perſuaſa Trojam nunc expugnatam eſſe credis? Sane valde muliebre eſt animo* temere ad laetitiam *extolli*, eum cuivis rumori inflandum praebere. *Hujusmodi ſermonibus* ſi crederes, *equidem ſtolida eſſe videbar. Nihilo minus ſacrificabam, ac muliebri auctoritate alius aliunde per urbem laetas cum gratulatione voces extollere, atque in deorum ſedibus odoram, quae hoſtias abſumeret, flammam procurare.*

φρυκτώρων διά] ut ſupra φλογὸς παραγγέλμασι v. 406.

v. 600. ἦ κάρτα — κέαρ] tanguntur verba Chori: ἐν γυναικὸς αἰχμᾷ πρέπει πρὸ τοῦ φανέντος χάριν ξυναινέσαι, v. 493. πρὸς γυναικὸς, *muliebre, mulieri conſentaneum, ejus*

*ejus ingenio aptum;* ut Ariſtoph. in Veſp. πρὸς ανδρὸς, et infra Agam. v. 1641. τὸ γὰρ δολῶσαι πρὸς γυναικός.

v. 601. πλαγκτὸς] *mente capta.* Heſych. Πλαγκτὲ, παράφρων, καὶ πεπληγμένε τὴν διάνοιαν. Πλαγκτόν, ἀνόητον τὰς φρένας βεβλαμμένον, πλανώμενον.

v. 602 ſqq. γυναικείῳ νόμῳ] *meo* h. e. *mulieris inſtituto et juſſu,* non ut lat. intp. *more muliebri.* Eodem enim pertinebat id, quod Chorus ſupra dixerat ἐν γυναικὸς αἰχμᾷ.

κομοῦντες] *curantes.* Heſych. Κομεῖν, ἐπιμελείας ἀξιοῦν. εὐώδης autem dicitur flamma ob tura injecta et adſuſa unguenta, cf. ſupra v. 94.

v. 606. In ſequentibus verſiculis aſtutam Clytaemneſtrae malitiam inſidias marito paratas falſa fidei ac probitatis ſpecie callidiſſime tegentem, egregie Aeſchylus expreſſit. *Jam vero,* inquit, *quid opus eſt te mihi plura dicere? Ab ipſo rege, quomodo omnia geſta ſint, accipiam. Nunc autem nihil prius aut antiquius habeo, quam ut venerandum meum* conjugem a bello *redeuntem quam optime excipiam. Ecquod enim mulieri lumen jucundius eſſe poteſt, quam maritum a bellica expeditione dei numine ſoſpitem videre, eique fores aperire?*

v. 610. τούτου φέγγος Abreſchius male de die accepit, ita interpretatus: *nam quae lux jucundior viſu conjugi hac, qua, virum ab expeditione incolumem atque reducem praeſtante deo, portas ei aperiat;* quem ſenſum grammatica verborum conſtructio non admittit.

v. 612 ſqq. ταῦτ' ἀπάγγειλον — χρόνου] *Haec igitur marito* meo, a me *renuntia, ut quam citiſſime veniat, urbi exoptatiſſimus gratiſſimusque; inventurus cum venerit uxorit uxorem fidam in aedibus, qualem ſcilicet reliquerit domus cuſtodem ei benevolam, inimicis autem aſperam; atque in ceteris omnibus ſimilem, quae* pudicitiae *ſigillum, quamvis longo temporis intervallo, minime laeſerit.*

v. 613.

v. 613 ſq. ἥκειν — εὖροι] Variavit poëta conſtructionem, vel quod, ut Abreſchius exiſtimat, duplex regimen dederit τῷ ὅπως, vel quod ἀπάγγειλον vel quod εὖροι abſolute poſitum eſt, plena diſtinctione poſt πόλει

v. 615. κύνα] *canem* ſe appellat, non indecora, ut tum tempora erant, metaphora vigilantiam ſignante.

v. 619. οὐδ' οἶδα τέρψιν] Melius ſorſan legatur οὐκ οἶδα τέρψιν.

v. 620. μᾶλλον ἢ χαλκοῦ βαφὰς] Incredibile eſt, quas ad ineptias in hac ἔρσει explicanda abierint interpretes. Ineptiſſima eſt Pauwii ratio, χαλκὸς βαφὰς corrigentis; quaſi dicat regina: *non magis conſuetudinis cum alio viro vel fructum vel malam famam novi, quam ferrum tincturam.* Atqui omne ferrum tingi et durari tinctura poteſt. Ergo plane regina ſe adulteram fateretur. χαλκοῦ βαφαὶ ſunt *vulnera ferro inflicta.* Sic et ſupra ἐν σφαγαῖσι βάπτειν. Senſus igitur eſt: *Haud magis conſuetudinis cum alio viro vel fructum. vel malam famam novi, quam vulnera a ferro inflicta;* ſ. quemadmodum *mihi nunquam uſu venit ut ferro vulnerarer*, quod viris in bello ſaepe accidit, *ſic illaeſam et absque vulnere pudicitiam ſervavi.*

v. 621 ſq. τοιόσδ' ὁ κόμπος — λακεῖν] *Talis quidem ſui jactatio*, ſiquidem *veritatis plena* fuerit, *non dedecet ingenuam mulierem.* Hoc dicto abeuntem reginam praeco proſequitur. Errarunt enim, qui eam ſequenti quoque Chori et praeconis diverbio interfuiſſe putarunt. Vel ipſa illa verba v. 608. σπεύσω — δέξασθαι eam hic e ſcena diſceſſiſſe ſatis declarant.

## IN SCENAM VII.

*v.* 623 — 688.

v. 623 ſq. αὕτη — λόγου] Latinus interpres vertit: *haec quidem ita locuta eſt tibi ſciſcitanti veris ab interpretibus congruenter ſermonem.* Satis obſcure! Et ubi tandem prae-

praeco aliquid ſciſcitatus erat? Abreſchius intp.: *Haec quidem ita locuta eſt, prout didiciſti; convenienter interpretibus claris.* An autem μανθάνοντί σοι reddi poſſit, *prout didiciſti*, valde dubito. Heathius ita explicat: *Ipſa quidem tali ſermone te inſtruxit, quali oportebat clare eum renuntiaturos.* Quod etſi ceteris melius eſt, ipſum tamen aliquot incommodis laborat. Itaque optimum, ni fallor, foret, ſi legeretur:

Αὕτη μὲν οὕτως εἶπε μανθάνοντί σοι
Τοροῖσι δ' ἑρμηνεῦσιν εὐπρεπῶς λόγου,

*Haec igitur iſta prolocuta eſt, tum tibi diſcenti*, h. e. nondum eam ſatis intelligenti, *tum claris interpretibus*, ſcil. *nobis*, *convenienter.* Tecte nimirum innuit Chorus, vana, ficta et falſa omnia eſſe, quae de ſe ipſa jactaverit regina. Itaque ait eam ſic locutam eſſe, ut nuntius, qui animum ejus et mores parum noſſet, facile decipi poſſet, et clari tamen interpretes, h. e. vitae ejus adeo gnari, ut, quantum verba rebus discreparent, facile intelligerent, verius de his verborum fallaciis ſtatuere poſſent. Itaque ὁ μανθάνων opponitur, ut opinor, τοροῖς ἑρμηνεῦσιν, eodem modo ut ſupra in eadem re μαθόντες καὐ μαθόντες. Accedit quod μανθάνοντί σοι, etſi idem eſt ac οὐ μαθόντι σοί, (qui enim diſcit, nondum didicit, nondum rerum gnarus aut peritus eſt,) tamen obſcurius dicitur et ambiguitatem habet conſulto quaeſitam. Nimis enim apertum fuiſſet, ſi dixiſſet οὐ μαθόντι σοί. Clare enim reginae perfidiam praeconi prodidiſſet.

v. 625 ſqq. σὺ δ' εἰπὲ — κράτος] *Tu vero praeco, dic nobis, de Menelao enim percontamur, an ille hujus terrae dilectus rex redux et ſoſpes vobiscum venturus ſit.* τῇδε γῆς late interpretandum, non de Argolide (nam Spartae regnum tenenat), ſed de tota Graecia; ut Menelaus unus e Graeciae regibus dicatur, ſicut ſupra Atridae Ἑλλάδος δίθρονον κράτος nominabantur. Ceterum apud Senecam Clytaemneſtra Eurybatem, an conjugis ſui frater vivat, pandere jubet. Agam. v. 400.

v. 628 ſq.

v. 628 ſq. οὐκ ἔσθ' — χρόνον] Stanlejus, quaſi ἐς οὐ πολὺν ſcriptum eſſet, vertit: *Non eſt, ut dicam mendacia bona eſſe, ut amici fruantur iis haud in longum tempus.* Id cum nec verbis aptum ſit, nec idoneam ſententiam praebeat, Heathius aliam viam ingreſſus ita conſtruere verba juſſit: οὐκ ἐστὶν ὅπως λέξαιμι τὰ ψευδῆ καλὰ εἶναι, ὥστε φίλοις καρποῦσθαι ἐξεῖναι ἐξ αὐτῶν εἰς τὸν πολὺν χρόνον. *Non eſt ut dicam mendacia bona eſſe, adeo ut amici ex iis fructum capere poſſint in longum tempus.* At haec verba torquendi ratio minime nobis probatur. Quin multo facilius convenientiusque eſt, commate poſt οὐκ ἔσθ' poſito, eoque ab ὅπως ſejuncto ita verba ordinare: οὐκ ἐστὶν ἐς τὸν πολὺν φίλοισι καρποῦσθαι χρόνον, ὅπως λέξαιμι τὰ ψευδῆ καλά· *Haud licebit amicis diuturnum inde laetitiae fructum capere, poſtquam ficta iis bona narravero.* ὅπως h. l. eſt *poſtquam*; ut Ariſtoph. Nub. v. 60. Negat igitur praeco, ſe falſa bona narraturum; propterea quod etiamſi ficta narratione ſenum animos tantisper lactaverit, celeriter tamen, ut ſe res habeant, audituri ſint.

v. 630 ſq. πῶς — τάδε] In his optativum τύχοις conſtructio poſtulabat; καλῃθῇ autem pro τἀληθῇ a nobis ſcriptum concinniorem effecit ſententiam. Nempe hoc dicunt ſenes: *Quomodo igitur* (nam placet nobis, quod dixiſti te fictitia nobis bona narrare nolle) *quomodo igitur ſi bona nobis narres, hoc conſequeris, ut eadem etiam vera ſint?* q. d. πῶς ὃῆτα εἰπὼν κεὐνὰ τύχοις ἂν καὶ ἀληθῆ εἰπών; *Etenim iſta* duo *a ſe invicem ſejuncta haud facile celantur;* h. e. ſi quis bona narraverit citra veritatem, etiamſi mendacium callide texerit, mox tamen falſitas narratorum pateſcit.

v. 636 ſqq. Poſtquam praeco Menelaum una cum nave ab exercitu disjunctum eſſe dixerat; Chorus quaerit, utrum aperte et conſulto Ilio ſolvens ab iis diſceſſerit, an tempeſtate, quae omnes afflixerit, disjectus ſit. Et hoc quidem affirmat praeco: *ſcopum*, inquiens, *ſicut*

*peritus quidam ſagittarius attigiſti et magnam calamitatem ſuccincte deſcripſiſti.*

v. 638. γὰρ h. l. refertur, ut ſaepe, ad omiſſam brevem ſententiam, quae h. l. ſic ſuppleri poteſt. *Bene quidem. Sed mihi iſta nondum ſatisfaciunt. Num enim*, ſ. *quaero enim an.* Eadem ratio paulo poſt eſt in verbis πῶς γὰρ v. 642.

v. 640 ſq. οὐκ — φύσιν] *Nemo haec ſcit, ut certo renuntiare poſſit, praeter ſolem, qui terram alit.* Nota eſt imago ſolis omnia facta diurna videntis. Sic et Ceres raptam Proſerpinam quaerens Solem adit, quid ei acciderit ſciſcitatura, Homer. hymn. in Cer. v. 62., ubi vid. Ruhnkenii obſ.

v. 642 ſq. πῶς γὰρ — κότῳ] Recte iſta quidem, verumtamen alia ſunt, quae narrare poſſis. *Quomodo* enim *deorum ira navalibus copiis tempeſtatem veniſſe ac deſiiſſe ais?* h. e. ecquod tempeſtatis deorum ira concitatae initium, quis finis fuit? „Ceterum haec, et quae mox ſequuntur, transtulit Seneca in Agamemnone v. 410:

Clyt. *Quis, fare, noſtras hauſerit caſus rates?*
*Aut quae maris fortuna diſpulerit duces?*

Eur. *Acerba fatu poſcis, infauſtum jubes*
*Miſcere laeto nuntium —*" *Stanl.*

v. 644. εὔφημον ἦμαρ] Ovidius Faſt. I. 72.:

*Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.*

„Alludit nuncius ad dies feſtos (ut eadem occaſione Agamemnon Senecae: *feſtus dies eſt*), in quibus illud in primis cavebant veteres, ne cui ullum inauſpicatum verbum excideret. Feſtus in fragmento quodam apud Theod. Canterum: *Minuitur populo luctus aedis dedicatione; cum Cenſores luſtrum condunt; cum votum publicum ſuſceptum ſolvitur; privatis autem, cum liberi nati ſunt; cum honos in familiam venit*, cum parentes aut liberi, aut vir aut frater, *ab hoſte captus, domum redit*: *cum* (filia) *deſponſa eſt; cum propiore ſuis cognatione, quam is qui luge-*

*tur,*

*tur, natus eſt, cum in caſtro Cereris eſt: omnique gratulatione.* Hinc *dies feſtus* εὐφημον ἦμαρ. Namque εὐφημεῖν Graecis idem eſt, quod Romanis, *bona verba dicere, linguam favere; εὐφημία, faventia.* Ariſtophanes in Pace:

σπογδὴ, σπονδὴ, εὐφημεῖτε, εὐφημεῖτε.

Idem in Vespis:

καὶ μὲν ἡμεῖς ἐπὶ ταῖς σπονδαῖς φήμην ἀγαθὴν λέξομεν ὑμῖν.

Feſtus: *Faventia bonam orationem ſignificat; nam praecones clamantes populum ſacrificiis favere jubebant; favere enim eſt bona verba fari.* Tibullus lib. II. Eleg. 2.

*Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras.*
*Quisquis ades, lingua, vir mulierque fave.*" *Stanl.*

Optime hos verſiculos ita reddideris: Fauſtum diem, qualis hicce eſt, *haud decet lingua mala nuntiante*, i. e. infauſtis nuntiis afferendis, *contaminare; ſecernendus eſt honor deorum*, ab omni calamitatum narratione, quae furias potius decet.

v. 645. Χωρὶς ἡ τιμὴ θεῶν] „Hunc locum P. Victorius Var. lect. l. XX. c. 22. exponit hoc modo: *non oportere feſtum diem, dicatumque honori deorum, verbis triſtioribus nuntiisque gravioris mali contaminari; et liberum remotumque eſſe debere ab omni hujuscemodi re, quicquid ad deos colendos honoreque afficiendos pertineat.* Ego vero poſtremum illud aliter interpretandum cenſeo; nempe quod alius ſit honor eorum deorum, qui bona mittunt, alius eorum, qui mala." Ita Stanlejus, cui non aſſentior.

Abreſchio autem etſi largior ἔστω poſt χωρὶς ἡ τιμὴ θεῶν ſupplendum eſſe, non concedo tamen id h. l. idem eſſe, ac ſi dicat, *ne de diis loquar, quibus* honor et cultus hoc die debitus id fieri nolunt. Exempla autem, quibus hunc uſum particulae χωρὶς adſtruxit, vera quidem ſunt, ſed ab h. l. prorſus aliena.

v. 646 ſqq. ὅταν — ξυνωρίδα] *Quando autem nuntias abominandas calamitates caeſi exercitus tetrico vultu attulerit, unum quidem vulnus civitati publicam ſ. commu-*

*nem calamitatem accidiſſe, multos autem viros ex multis domibus exterminatos eſſe, duplici flagello, quod Mars amare ſolet, duplicis lanceae noxam, ſanguinarium ſ. letiferum par.*

v. 648. ἕλκος ἓν] „μὲν ἓν eſt pro ἓν μὲν, et ὃὲ pro δεύτερον δὲ, ſic in Supppl. v. 205.

Φθογγὴ δ' ἐπέσθω πρῶτα μὲν τὸ μὴ θρασὺ
τὸ μὴ μάταιον δ' ἐκ μετώπων.

Πτώσιμος στρατὸς dicitur ut Virg. Aen. VI. 481. *caducus bello.* Add. inf. v. 1140." *Abreſch.*

v. 650 ſq. διπλῇ μάστιγι] Miror Stanlejum in hac metaphora *ferrum* et *flammam* quaerere potuiſſe. Nihil enim apertius eſt, quam Aeſchylum *duplicem lanceam* intelligi voluiſſe. Binas conſtat lanceas a ſingulis, qui in praelio manus conſererent, geſtas fuiſſe. Has Aeſchylus poëtico ornatu appellat δίλογχον ἄτην, quod idem eſt ac δύο λόγχας ἀτηράς· deinde Φοινίαν ξυνωρίδα de iisdem, ſic ut hodie noſtratium aliquis diceret: *ein mörderiſches Paar Piſtolen.* Sed quod easdem lanceas διπλῆν Ἄρεος μάστιγα appellat, id eo pertinet, quod, qui e terra quadam cum ignominia ejiciebantur, flagellis expelli ſolebant. Manet igitur in metaphora, quam in verbo ἐξαγισθέντας inchoaverat. Ἐξαγίζειν autem primum eſt *ſacris arcere*, deinde *exterminare;* h. l. autem *vita ejicere*, ſ. *occidere.* Generoſum vero poëtae ſpiritum in ſententiis ornandis verborumque delectu hic quoque facile agnoſcas.

v. 652. σεσαγμένον] Vulgatam σεσαγμένων ita exponit Abreſchius: *talem paeanem dicere et canere decet, qui nuntius venerit cumulatarum ejusmodi miſeriarum; at qui nuntiat ſalutaria, quemadmodum ego, eum nefas bona malis commiſcere.* Verum hoc modo σεσαγμένων valde friget, et conſtructio luxatur; nam etſi πρέπει univerſe explicari poteſt, id ipſum tamen ab hujus loci ſententia abhorret, utpote quo non quid in univerſum fieri deceat, ſed quid illum vel illum *nuntium* facere deceat, quaeritur. Itaque unius literae mutatione ſanavimus, ut opinor, locum

cum a librariis affectum: τοιῶνδε μέν τοι πημάτων σεσαγμένον πρέπει· *Talibus igitur calamitatibus oneratum*, ſcil. nuntium, decet furiarum paeana dicere, i. e. infauſta verba crepare. *Für einen mit ſolchen Unglückszeitungen beladenen Boten ſchickt ſichs wol, den Päan der Furien anzuſtimmen.* Sic et conſtructio ſine ullis ſalebris procedit, et oppoſitio clarius eniteſcit; πημάτων σεσαγμένος enim diſerte opponitur τῷ σωτηρίων πραγμάτων εὐαγγέλῳ.

v. 653. παιᾶνα τῶν Ἐριννύων] τῶν e conj. Stanleji adſcivimus. Vulg. τόνδ' Ἐριννύων, quod quidem quo pertineat, vix ſatis conſtat, niſi velis ad prima nuntii verba κακαγγέλῳ γλώσσῃ retrahere.

v. 654 ſq. εὐάγγελος ἥκων τε] Ita reſcribendo pro vulg. εὐάγγελον ἥκοντα (primus hujus emendationis auctor eſt Stanlejus, quam Pauwius probavit tantum, non invenit) non ſolum laboranti conſtructioni ſuccurrimus, verum etiam effecimus, ut alterum argumentum, quo utitur nuntius, adjecta copula τε notabilius inſigniretur. *Ego vero laetus rerum proſpere geſtarum nuntius, et quidem ad urbem felicitate ſua laetantem veniens, quomodo bona malis intermiſceam.* Non ignoro quidem vulgatam ab iis, qui quascunque MStorum lectiones pertinaciter teneant, ita defendi poſſe, ut ad enallagen conſtructionis confugiant; verum eos judicio ſuo frui facile patior. Nihil enim eſt, quod apud iſtos enallagae non efficiant.

v. 656. πῶς κεδνὰ τοῖς κακοῖς] Argutatur Abreſchius, cum proprie dicendum fuiſſe πῶς κακὰ τοῖς κεδνοῖς συμμίξω λέγων contendit, adeoque in his inverſionem quaerendam eſſe putat. Nam cur non recto ordine diceretur: *Quid ego bona, quae affero, malis intermiſceam?*

v. 657. οὐκ ἀμήνιτον θεοῖς] „tempeſtatem a deorum ira immiſſam; nempe Minervae Virg. Aen. I.

*Pallasne exurere claſſem*
*Argivum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto*
*Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei?*

*Ipſa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem*
*Disjecitque rates, evertitque aequora ventis.*

Deſcribunt Homerus, Odyſſ. IV. Seneca in Agamemnone et alii." *Stanl.*

v. 658 ſqq. ξυνώμοσαν — στρατόν.] *Conjuraverant enim, qui prius inimiciſſimi erant, ignis et mare, et foedus ſuum manifeſtabant, infelicem Argivorum exercitum perdendo.* Abreſchius temporis ratione malebat Φθείραντε vel Φθεῖράν τε, ob antecedens ξυνώμοσαν et ἐδειξάτην; neutrum tamen neceſſarium, cum ſaepius aoriſtum primum ſequatur participium praeſentis; v. c. Agamemn. v. 209. μάντις ἔκλαγξε προφέρων. Poëtico ornatu extulit, ignis et aquae naturas, alias a ſe invicem diſſidentes, in hoc uno tamen conveniſſe, ut exitio eſſent Graecis. πῦρ ad incendia navium e fulminibus pertinet.

v. 661. ἐν νυκτὶ — κακὰ] *Noctu autem exoriebantur pernicioſiſſimae turbati maris calamitates.* δυσκύμαντα κακὰ Aeſchylus audaciter dixit, ut ſaepius, pro δυστηνα κυμάτων κακά.

v. 662. ναῦς γὰρ —] *Venti enim Thracii naves inter ſe collidebant.* Comparetur Senecae deſcriptio Agam. 483 ſqq.

*Vento reſiſtit aeſtus, et ventus retro*
*Aeſtum revolvit, non capit ſeſe mare*
*Undasque miſcent imber et fluctus ſuos.*
*Nec hoc levamen denique aerumnis datum eſt,*
*Videre ſaltem et noſſe, quo pereant, malo.*
*Premunt tenebrae lumina, et dirae Stygis*
*Inferna nox eſt. Excidunt ignes tamen*
*Et nube dirum fulmen eliſa micat,*
*Miſerisque lucis tanta dulcedo eſt malae.*
*Hoc lumen optant; ipſa ſe claſſis premit,*
*Et prora prorae nocuit et lateri latus.*
*Illam dehiſcens pontus in praeceps rapit,*
*Hauritque et alto redditam revomit mare.*

*Haec*

*Haec onere fidit, illa convulsum latus*
*Summittit undis. Fluctus hanc decimus tegit.*
*Haec lacera et omni decore populato levis*
*Fluitat; nec illi vela nec tonsae manent,*
*Nec rectus altas malus antennas ferens;*
*Sed trunca toto puppis Ionio natat,*
*Nil ratio et usus audet. Ars cessit malis,*
*Tenet horror artus. Omnis officio stupet*
*Navita relicto. Remus effugit manus.*

Facile quivis etiam non admonitus Aeschyli narrationem ut breviorem, ita castigatiorem esse sentiat.

v. 663. κερατυπεῖν proprie *cornu ferire*, h. l. dissimulata, ut fit, compositi notione nihil aliud est, quam *ferire, percutere.* βίᾳ χειμῶνι non, ut Abreschius opinatur, pro βιαίᾳ χειμῶνι, sed pro βιαίως χειμῶνι positum.

v. 664. χειμῶνι τυφῶ] Si τυφῶ legas, sensus verborum est: *Naves percutiebantur tempestate una cum typhonis procella imbribus strepente;* sed melius arbitror legi:

χειμῶνι τυφῷ ξὺν ζάλῃ τ' ὀμβροκτύπῳ,

ut χειμὼν sit verbum generis, quod deinde duabus partibus declaretur: *naves percutiebantur tempestate, cum vehementi ventorum turbine et nimbo imbribus strepente.* — Ζάλη Hesychius intp. συστροφὴ ἀνέμων μεγάλων· ἔνιοι δὲ μετὰ ὄμβρου πνοή, ταραχὴ ὑδάτων, ἢ κλόνος. Media interpretatio ad h. l. pertinet. Sin et h. l. ζάλην de *mari agitato* intelligas, ζάλη ὀμβρόκτυπος erit mare *fluctibus agitatum et insuper imbribus strepens.*

v. 665. ὤχοντ' ἄφαντοι] *perierunt et evanuerunt; sie gingen unter und verschwanden.* Nempe de mersis, non tantum de disjectis navibus hoc accipio.

ποιμένος κακοῦ στρόβῳ] mali ac duri *pastoris* i. e. *agitatoris vertigine disjectae.* Κακὸς ποιμήν, quod bene monuit Heinrichius obss. in mutt. vett. P. I. p. 33. ipsa procella dicitur, quae naves sic disturbat, ut pastor ovi-

bus infestus eas discurrentes vel scutica vel cane immisso exagitat.

v. 667 sq. *ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος*] Quamquam auctor libelli de Barbarismo, quem Valckenarius una cum Ammonio edidit, hunc versum, propter usum verbi *ἀνθεῖν*, ut vitiosae *ἀκυρολογίας* exemplum citat, imago tamen rei, qua de agitur, felicissime hac translatione adumbrata est. Ut enim saepe videmus mane post unam noctem agrum, in quo pridie tantum herbae virorem spectabamus, innumeris floribus obsitum, tumque non solum infinitam florum multitudinem, sed etiam subitam quasi et repentinam eruptionem miramur, ita hic nuntius ait classiarios mane exorto sole totum mare quam plurimis cadaveribus fractarumque navium tabulis stratum vidisse; adeo ut vocabulum *ἀνθεῖν* cum magnitudinem spectaculi, tum novitatem optime designet. Sed ab nostro usu abhorret hoc, quod *florendi* et *florum* notionem plerumque tantum ad res bonas et gratas transferimus, cum Graeci poëtae eandem saepenumero etiam in malis et adversis rebus adhibeant. Sic noster Sept. adv. Theb. v. 952. *πολλοῖς ἐπανθήσαντες δόμοι πόνοις*. Sic idem dixit *πάθος ἀνθεῖ* Choëph. 1019. et *κακυτοῖς ἐπανθίζειν* Choëph. v. 147. ut alia, quae collegit Abreschius, praetereamus.

*ἀνθοῦν νεκροῖς — ναυτικοῖς τ' ἐρειπίοις*] Duplex illa ejusdem verbi constructio cum dativo et genitivo, etsi aliis exemplis firmari excusarique potest, ut Liviano illo IV. 11. quo usus est Abreschius, *plenus vulnerum et pavore;* hoc loco tamen valde displicet, quod qui legit

*νεκροῖς Ἀνδρῶν Ἀχαιῶν ναυτικῶν τ' ἐρειπίων*

sic afficitur legendo, quasi *ἐρειπίων* quoque, ut *ἀνδρῶν*, a *νεκροῖς* regatur, quod tamen fieri per sensum non potest; quo quidem modo lectoris exspectationem fallere nunquam non vitiosum est. Conjicere liceat Aeschylum scripsisse:

*ὁρῶ-*

ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος Αἰγαῖον νεκροῖς
Ἀνδρῶν Ἀχαιῶν, θραύσμασίν τ' ἐρειπίων,

quemadmodum in eadem re Perſ. v. 420. dixit:

ἀγαῖσι κοπῶν, θραύσμασίν τ' ἐρειπίων

ſed facillimum erat emendare:

ναυτικοῖς τ' ἐρειπίοις.

v. 669. ναῦν τ' ἀκήρατον σκάφος] Haec non, ut vulgo fit, interpretor, *navem, ſincerum vas*, quaſi appoſitionis figura dictum ſit; ſed σκάφος de *alveo navis* accipio, ναῦν τ' ἀκήρατον κατὰ σκάφος, ut ſignificetur navem ſuam ſalvo et illaeſo alveo evaſiſſe.

v. 670 ſq. ἤτοι τις ἐξέκλεψεν ἢ ἐξηγήσατο θεός τις] nos et navem *deorum aliquis vel clam et furtim conſilio ſubduxit*, *vel* palam virtute *eduxit*. Vulgatum ἐξῃτήσατο cum ſequentibus οὐκ ἄνθρωπος et οἴακος θιγών haud ſatis apte componi videtur. Nam primum οὐκ ἄνθρωπος, ubi deprecationis mentio facta eſſet, ſupervacuum fuiſſet addere. Quis enim exſpectare poterat, ut unius hominis preces tantum apud iratos deos valerent, ut earum cauſa navem Agamemnonis dimitterent? Deinde ſi precibus deorum aliquis effecerat, ut ſalva eſſet Agamemnonis navis, quid opus erat, ipſum ad gubernaculum accedere, ſ. οἴακος θίγειν? Itaque non dubitavi ἐξηγήσατο reponere.

v. 672. τύχη δὲ σωτὴρ ναῦν θέλουσ' ἐφέζετο] Niſi forte hic verſiculus, in quo Aeſchyleum colorem nemo deſideraverit, aliunde huc translatus ſit, ſignificatur praeter deum illum, qui ad navis gubernacula acceſſerit, fortunam quoque propitiam in nave conſediſſe, quae deum iſtum gubernatorem adjuverit, ſicut ap. Homerum Il. A. Briareus juxta Jovem conſediſſe auxilii cauſa dicitur.

v. 673 ſq. ὡς — χθόνα] *ut neque, dum navem in ancoris tenebamus, fluctibus obrueremur, neque provecti ad ſcopuloſa loca appelleremus.* ἐν ὅρμῳ, *in ſtatione*, i. e. in medio mari, navem in ancoris tenentes. Perperam

Heathius ἐν ὅρμῳ cum κύματος conjungit, quod cum ζάλην copulandum esse facile patet.

v. 675. ᾠδὴν πόντιον decore pro periculo et clade maritima. Nostris dicere liceret: *Nachdem wir dem Grabe der Wellen entgangen waren.*

v. 676. οὐ πεποιθότες τύχῃ recte Stanl. *ne tum quidem salvos nos existimantes.*

v. 677 sq. ἐβουκολοῦμεν — σποδουμένου] *meditabamur animis recentem cladem exercitus laborantis et male afflicti.* βουκολεῖσθαι h. l. *animo versare*, i. q. περιέπειν, ut βουκολεῖσθαι πόνον Eumenid. v. 78. σποδεῖσθαι h. l. *percuti*, *affligi*, ut Eurip. Hippol. 1238. σποδούμενος πρὸς πέτρας φίλον κάρα. Sept. adv. Theb. v. 811. κατεσποδημένοι, *occisi.*

v. 679 sqq. καὶ νῦν — δοξάζομεν] *Jamque si quis eorum adhuc* vivit et *spirat*, *de nobis tanquam de mortuis loquuntur*, occidisse non putant. *Quidni? ut nos contra eodem fato eos functos esse existimamus.*

ἐμπνέων] „Soph. Philoct. 897. ᾤδομαί σ' εἰσιδὼν παρ' ἐλπίδα βλέποντα κ' ἀμπνέοντα ἔτι. Tum illud λέγουσιν ἡμᾶς ὡς ὀλωλότας attice pro ἡμᾶς ὀλωλέναι. Sophocl. Electr. 1454. ἤγγειλας ὡς τεθνηκότα. et Trachin. v. 293. φρόνει νιν ὡς ἥξοντα; et Aeschyl. Agam. v. 1376. μαντευσόμεσθα τ' ἀνδρὸς ὡς ὀλωλότος. —" *Abresch.*

v. 682. γένοιτο δ' ὡς ἄριστα. *Verum haec quam optime eveniant;* ut Choëph. v. 780.

v. 684 sqq. εἴ θ' οὖν — πάλιν] Si quis igitur solis radius eum viventem videntemque novit s. adspicit, *Jovis consiliis*, *nondum genus perdere volentis*, *spes est fore ut domum ille redeat.* Toupius ad Suid. T. III. p. 686. pro καὶ ζῶντα καὶ βλέποντα, quod sane languidum videri potest, corrigit χλωρόν τε καὶ βλέποντα.

v. 688. Τοσαῦτ' ἀκούσας — κλύων] *Haec igitur dicenda habui*, *in quibus* nihil a me quod falsum sit, sed *vera omnia audivisti.* Cf. v. 630.

IN

## IN SCENAM VIII.

*v.* 689 — 782.

Digreſſo nuntio Chorus pulcherrimum canticum canit, quo primum Helenae male ominatum nomen gerentis ad Ilium acceſſum, deinde Graecorum expeditionem Trojae funeſtam, celebrat; qua carere Priamus potuiſſet, niſi Paridem filium genuiſſet; cujus educationem cum nutritione catuli leonis praeclare comparat, nuptiasque Helenae et Paridis exitioſas deſcribit; inde tandem ad locum communem digreditur, quo bonorum bonos, malorum facinorum malos exitus, juſtitiam vero ſemper felicitatis verae parentem eſſe docet.

v. 689 — 705. τίς ποτ' ὠνόμαζεν — αἱματόεσσαν] *Quis tandem ita prorſus vere nominavit (annon aliquis, quem non videmus, praeviſione fati linguam hominum in caſu fortunae regens?) arma nuptiis cientem, bellorumque cauſam Helenam? Siquidem convenienter nomini ſuo perditrix navium, perditrix virorum, perditrix urbium, e molliter ac decore inſtructis thalami penetralibus* progreſſa *Zephyri gigantis aura* Trojam *navigavit. Multi autem venatores clypeis inſtructi eam ſecundum inviſibilia navium veſtigia* perſequentes, *appulerunt ad Simoëntis ripas arboribus veſtitas, propter contentionem ſanguinolentam*, i. e. ad cruentum bellum Helenae raptae cauſa gerendum.

v. 689 ſqq. Magna cum dignitate in ſuos uſus convertit Aeſchylus opinionem illa aetate pervulgatam, nomina propria non ſine futurarum rerum quadam ſignificatione hominibus imponi. γλῶσσαν ἐν τύχᾳ νέμειν, eſt linguam eorum, qui nomina imponunt, in hoc fortuito negotio ita regere, ut incidant in appellationem ominoſam et futuri eventus indicem.

v. 694. ὁρίγαμβρον] „cujus nuptiae cum bello conjungebantur. Virgil. Aeneid. VII. 319.

*Sanguine Trojano et Rutulo dotabere virgo*
*Et Bellona manet te pronuba.* —" Stanl.

v. 695.

v. 695. πρεπόντως, nempe ut eventui reſpondebat.

v. 696. In ἑλένας eſt proprie veriverbium nominis Helenae quaſi diceretur ἑλέναυς, ut Heſych. κατὰ νᾶν, κατὰ ναῦν. Reliqua duo explicandi exaugendique cauſa adduntur.

v. 697. ἁβροτίμων] Salmaſius hunc locum citans ad Solin. tom. 1. p. 87. A. ſcribit ἁβροπήνων; quod eſſet *tenuiſſimo filo contextorum*, incertum utrum conjectura, an cod. MSti auctoritate. Idem paulo poſt pro αὖρα habet ὦρα. Sed hoc fortaſſe vitio typogr. debetur, aut memoriae errori.

v. 698. προκαλύμματα h. l. eadem ſunt quae alias παρακαλύμματα, vela, quibus januae thalamorum aut cubiculorum obtendebantur (*Vorhänge vor den Thüren der Zimmer*). Itaque ἐκ προκαλυμμάτων eſt i. q. ἐκ θαλάμων.

v. 699. Ζεφύρου γίγαντος] Secundum Heſiodum Theog. v. 378. Zephyrus Aſtraeae et Aurorae filius, quem Hyginus quoque ſequitur. Aeſchylus alia genealogia uſus, eum inter Gigantes Oceani ac Terrae filios refert.

v. 700 ſqq. πολύανδροι κυναγοὶ figura Aeſchylea pro πολλοὶ ἄνδρες κυναγοί. Copiae Graecorum Trojanos ob raptum Helenae bello perſequentes, cum venatoribus apte comparantur; et hac translatione ſervata poëta curſum eorum maritimum ita deſcribit, ut eos ſecundum veſtigia navium, quibus Helena avecta fuerat, inviſibilia, profectos eſſe dicat; ſicut venator ferae veſtigia perſequitur. πλατᾶν non de *remis*, ut ceteri, ſed de ipſis *navigiis* accipio.

v. 706 ſqq. Ἰλίῳ — ἀνατλᾶσα] *Ilio autem affinitatem* (κῆδος) *vere a curis* (κήδει) *nominatam ſtrenua ira Graecorum* et ad ulciſcendum promta *attulit*, *menſae hoſpitalis*, qua Menelaus Paridem exceperat, *et hoſpitalis Jovis dehoneſtationem*, ſ. ejus ſpreti et contemti injuriam *perſecutura*, (poenas pro ea exactura,) *nuptiale illud canticum* ſeu

ſeu hymenaeum *ſupra modum punientis*, *quod tunc affines* Paridis in illius et ſponſae honorem *canendum ſibi arbitrabantur. Poſtea vero vetus Priami urbs alium cantum luctus plenum diſcere coepit, et graviter ingemiſcit, inclamans Paridem infauſti conjugii auctorem, lacrymoſam in poſterum vitam circa triſtem civium ſanguinem*, ſanguinolentam civium caedem, *tolerans.*

κῆδος ὀρθώνυμον] Ludit in ambiguitate verbi κῆδος, quod et *affinitatem* et *curam* ſignificat.

v. 713 ſq. ὑμέναιον ὃς τότ' ἐπέρρεπεν γαμβροῖσιν ἀείδειν] Conſtructio videtur exigere, ut legamus

ὑμέναιον, ὃν τότ' etc.

hymenaeum, quem tunc affinibus canere conveniebat, quem ad canendum quaſi officio ſuo ducti inclinabant.

v. 714. γαμβροῖσιν non cum Spanhemio (ad Jul. imp. p. 72.) de *ſponſis*, ſed de *affinibus* capiendum, quorum erat hymenaeos et epithalamia canere. Bene autem Chorus eos a Jove ob iſtum hymenaeum punitos eſſe dicit, propterea quod ea re in ſocietatem criminis, quod Paris admiſerat, venirent.

v. 715. μεταμανθάνουσα non eſt *dediſcens*, ut in verſione Stanlejus redditur, ſed *poſtea diſcens*, *hinterher lernend;* ut ſupra μεταγινώσκειν erat *poſtea cognoſcere.* v. 225.

πόλις γεραιὰ πολύθρηνον] Egregie Bothius emendavit πόλις γεραιὰ πολυθρέμμων. Id librarii mutarunt, quum oculis incidiſſent in πολύθρηνον αἰώνα, quod ſequitur.

v. 720. παμπήδην πολύθρηνον] Vulg. παμπρόσθη aperte vitioſum eſt, ac vel πάντως δή, vel παμπήδην, legendum. Et hoc quidem jam recepi. Suidas:

Παμπήδην, παντελῶς.

Heſychius:

Παμπήδην, ὁλοσχερῶς, παντελῶς.

Occurrit hoc vocabulum apud Sophocl. Ajac. v. 928. Bothius edidit πάμπροσθεν ex Heathii conjectura quod ille qui-

quidem ſic vertit, ut ad futurum tempus referatur *lacrymoſam omni poſthac tempore vitam propter miſeras civium caedes tolerans.* Παμπενθῆ, quod Stanlejus legi volebat, ante πολύθρηνον frigere videtur.

v. 723. Sequitur allegoria ſuaviſſimis coloribus expicta. *Sic vir aliquis nutriebat leunculum, uberum amantem, ſed lacte depulſum, aedibus exitialem; in vitae quidem primitiis cicurum, pueris carum, et ſenibus quoque gratum. Multum vero haerebat in hominum ulnis ſ. complexibus, pueri tenelli inſtar, hilaris ad manum*, i. e. hilarem ſe manibusque tractabilem praebens, *et in ventris neceſſitatibus*, h. e. ubi cibi potusque indigebat, *blandiens. Sed poſtea adultior ingenitam ſibi a parentibus naturam prodidit. Nam quaſi gratiam pro nutritione rependens miſerabilibus ovium caedibus* in gregem ſcil. irruens *injuſſus epulas paravit; ſanguine autem tota domus inficiebatur; infinitumque dolorem domeſticis exitiabilis illa multorum pecorum ſtrages peperit. Atque hunc in modum ille divino conſilio quaſi quidam Ates ſacerdos in aedibus nutritus eſt.*

οὕτως ἀνὴρ] Lectionem οὕτως, quam nuper Bothius recepit, jam Auratus teſte Spanhemio in ſchedis commendaverat: eaque ſine dubio veriſſima eſt. Nempe in Strophe et Antiſtrophe ſecunda non de ipſo Paride agitur, quod ſtatuendum eſſet; ſi legeretur οὗτος ἀνὴρ, ſed potius ſplendida comparatio cum homine, qui leunculum in aedibus educarat, inſtituitur.

φιλόμαστον tenellam aetatem leonis ſignificat; ἀγάλακτον, eum absque lacte educatum fuiſſe, a matris uberibus ſcilicet remotum.

v. 727. εὐφιλόπαιδα] Hujus verbi ſi ſtructuram ſpectes, notabit eum *qui pueros valde amat, einen groſsen Kinderfreund;* ut et φιλόπαις eſt *pueros amans.* Verum ſi, quid oppoſitio γεραροῖς ἐπίχαρτον poſtulet, cogites, aptius eſt reddere, *pueris valde carum*, ut pueros cum leunculo libenter colluſiſſe indicetur.

v. 729.

v. 729. πολέα δ' ἔσχ' ἐν ἀγκάλαις] Fruſtra Heathius obnititur Pauwio, iſta recte, *multum vera haeſit in ulnis*, interpretanti. Nam ſic etiam ἔχοντες κυμάτων ἐν ἀγκάλαις ap. Ariſtoph. Ran. v. 704.

v. 731. ποτὶ χεῖρα vel abſolute capere, vel cum Abreſchio admiſſa tmeſi ſic explicare licet q. d. φαιδρωπὸς καὶ προσαίνων τὴν χεῖρα, *adblandiens manum*.

v. 734. ἦθος τὸ πρὸς τοκῆων, *ingenium naturale*, ſcil. ad crudelitatem compoſitum.

v. 735. χάριν τροφᾶς i. q. alias τροφεῖα.

v. 736. μηλοφόνοις ἄταισιν Aeſchyleo more pro ἀτηροῖς μηλῶν φόνοις.

v. 739. ἄμαχον ἄλγος, dolor adeo magnus, ut opprimi et ſedari non poſſit.

v. 741 ſq. ἱερεύς τις Ἄτας poëtico ornatu pro *auctor magnae calamitatis*. Univerſae igitur comparationis, quod ſequentes verſiculi ſatis declarant, haec vis eſt: quemadmodum aliquis leonis catulum primum voluptatis cauſa educatum, ac domi ſervatum, poſtea exitialem expertus eſt, ac magnum ex eo detrimentum cepit, ita Paridi quoque Helenam, voluptatis cauſa raptam ac domi detentam, labentibus annis exitium attuliſſe, ac non eum ſolum, ſed totam quoque familiam, omnemque civitatem Trojanam prorſus perdidiſſe.

v. 743 ſqq. Παραυτὰ — ἐριννύς] *Similiter igitur ad urbem Trojam veniſſe dixerim* Helenam, *animo maris, cum placidum a ventis ſtat, tranquillitati ſimilem, molle divitiarum ornamentum, blandum oculorum telum, pectus urentem amoris florem; poſtea vero mutata nuptiarum acerbos exitus perfecit, infelix vicina, irruens in Priamidas, a Jove hoſpitali miſſa, virginibus lugenda furia.*

παραυτὰ] Heſych. παράυτα interp. παραχρῆμα, εὐθέως, παραυτίκα, quem quidem ſenſum ubi hic valere decreveris,

ris; παραυτὰ opponitur verbis παρακλίνουσ' ἐπέκρανεν δὲ v. 753. *initio quidem*, — — *postea vero.* Tum autem malim post ἀκασκαῖον particulam δὲ inseri, ut μὲν post Φρόνημα habeat, quo referatur:

Λέγοιμ' ἄν, Φρόνημα ΜῈΝ
Νηνέμου γαλάνας
Ἀκασκαῖον Δ' ἄγαλμα πλούτου.

Sed si παρ' αὐτὰ cum Heathio legendum censeas, particula ΜῈΝ post Φρόνημα referenda erit ad ΔῈ post ἐπέκρανεν.

v. 744 sq. Helena appellatur Φρόνημα νηνέμου γαλάνας, quod haberet animum placidum, et maris tranquillitati similem, unde nemo tot mala Trojanis exspectanda esse cogitabat

v. 746. ἄγαλμα πλούτου] Paris enim opum suarum summum ornamentum interpretabatur, uxorem omnium formosissimam duxisse. ἀκασκαῖον ad mollitiem Helenae spectat. Hesych. Ἀκάσκα, ἡσύχως, μαλακῶς, βραδέως.

v. 747. μαλθακὸν ὀμμάτων βέλος] quia Helena omnes, qui eam adspicerent, amore sui, quasi telo quodam, vulnerabat. ὀμμάτων igitur non de Helenae, sed de virorum et juvenum oculis accipiendum, qui forma ejus spectata amore urebantur. Quid? quod gelidi quoque senes ejus adspectu tepebant, et ad summam ejus admirationem convertebantur, ut in nobilissimis Homeri versibus Iliad. Γ. 156.

Simili autem metaphora supra v. 239. de Iphigenia: ἔβαλ' ἕκαστον θυτήρων ἀπ' ὄμματος βέλει φιλοίκτῳ.

v. 748. δηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος] Ut flores, suavi odore vehementius fragrantes, totum quasi odorandi sensum implent, nervosque ac cerebrum acrius movent, ita Helena quoque pulchritudine sua amorem sui omnibus instillasse, ideoque *flos amoris animum movens, ad animum usque penetrans*, fuisse dicitur; ut autem ὀάκνειν a sensu tangendi ad reliquorum sensuum affectiones traducitur, ita

ita h. l. δηξίθυμος, *animum mordens*, nihil aliud eſt, quam *animum afficiens, irritans*. Neque ei vocabulo, ut in ὀκνέθυμος, mera triſtitiae notio convenit; omnes potius animi perturbationes, quae in amore inſunt, ſignificantur.

v. 749. παρακλίνουσ' recte intp. Heathius, *ab iis quae primo adſpectu promittebat deflectens, et in pejus mutata.* Concumbendi certe ſignificatum non admittit activum, niſi forte corrigendum cenſeas παρακλινθεῖσ'. Sed illa lectio vera et verborum perpetuitati aptiſſima eſt.

v. 750. πικρὰς τελευτὰς non tam ad ipſam nuptiarum celebrationem, quam ad funeſtum earum exitum pertinere cenſeo.

v. 754. ἐρινύς.] Quamquam ſaepenumero exitialibus nuptiis furia interfuiſſe, facem praetuliſſe fingitur, h. l. tamen ipſa Helena *furiae* nomine notatur; quemadmodum in illis latini poëtae verſiculis, a Cicerone laudatis, in quibus Caſſandra (de divinatione lib. I., c. 50.) videtur loquens induci:

*Eheu, videte; judicavit inclytum judicium*
*Inter deas tres aliquis, quo judicio Lacedaemonia*
*Mulier*, furiarum una, *adveniet.*

Haec igitur Helena tamquam furia quaedam, multum a puellis mulieribusque, partim ob miſeras civium caedes, partim ob ſervitutem expugnata urbe ſibi impoſitam deſleta, a Jove hoſpitali (qui Paridem, in qua muliere peccaverat, eadem et ulciſci vellet) ducta vel miſſa dicitur, Priamidis autem δύσεδρος καὶ ὀυρόμιλος, quia id ipſum, quod ſedem Trojae cepiſſet, et in Trojanorum conſuetudinem veniſſet, exitium iis afferebat.

v. 755 ſqq. παλαίφατος — αἰεί] *Vetus autem et antiquum inter homines dictum* ſ. ſententia *obtinet, ſummam hominis et perfectam felicitatem parere quidem, nec ſine liberis occidere, ſed ex bona illa fortuna generi ingentem miſeriam progigni. Ego vero ab his, qui ita ſentiunt, ſecedo, propriamque ſententiam ſequor. Nam impium facinus qui-*

*dem plura deinceps facinora parit, ſuae ſtirpi ſimilia. Sed aedium juſtitiam colentium aeterna bonorum liberorum ſors eſt;* h. e. ubi juſtitia colitur, ibi nulla alia quam bona et honeſta facinora eduntur.

v. 757. ὄλβον] Stanlejus aliique commate hic diſtinxerunt, quaſi h. l. de felicitate conjugum ex prole ſuſcepta agatur, quod a Chori conſilio immane quantum abhorret.

v. 763. μετὰ h. l. ut recte animadvertit Heathius, abſolute poſitum, i. q. *poſtea.*

v. 767 ſqq. φιλεῖ — τοκεῦσιν] *At ſolet vetus injuria in malis mortalibus novam injuriam parere; ſerius ocius, cum hora fatalis advenerit, recentem pariens iram, et illam invincibilem, inexpugnabilem, impiam daemona, audaciam, atras aedibus noxas, parentibus ſimiles.*

ὕβρις παλαιὰ eſt *vetus injuria*, ſ. *inſolentis petulantiae primum facinus*, quo quis alium laeſit. Ita in Paride ὕβρις παλαιὰ erat Helenae raptus, et juris hoſpitii, quo eum Menelaus exceperat, violatio.

νεάζουσα ὕβρις, *nova injuria*, veteris quaſi filia ſ. ex illa erumpens; ut Paris injuriam alienae uxoris abactae, bello etiam injuſto ad raptum tuendum geſto, ideoque veterem injuriam nova injuria defendebat.

v. 769 ſq. τότ' ἢ τόθ' ὅταν τὸ κύριον μόλῃ] Deus nimirum inſolentiae hominum vindex inſtituit, ut ex ea majora et audaciora facinora erumpant, quae certo tempore, certam perniciem afferant. Diverſa haec vindictae divinae tempora pulchre notantur Choëph. v. 56 ſqq.

v. 770. νεαρὸν φάει σκότον] Hanc lectionem pro vulg. eaque corrupta νεαρὰ φάους κότον e conjectura ſubſtituimus. Olim putabam, νεαρὸν φύουσα κότον reponendum eſſe, hoc quidem ſenſu: *Vetus injuria*, ut Paridis Helenam rapientis, *novam injuriam*, bellum injuſtum parit, νεαρὸν φύουσα κότον, *propterea quod novam iram*

*iram gignit*, ejus nimirum, cui prior injuria molesta fuerat, ut h. l. Menelai, quem nisi Helenae raptus ad iram concitasset, Paris quoque bello injusti facinoris causa gerendo supersedere potuisset.

Nunc autem et scripturae vestigiis propius et universae horum verborum consecutioni aptius esse arbitror:

νεαρὸν Φάει σκότον,

quod quidem sic interpretor: *Solet autem vetus injuria in malis hominibus novam injuriam parere, suo tempore, cum hora fatalis ingruerit, novas luci tenebras*, h. e. quae pristinam felicitatem infortunio et clade obumbratura sit. Saepe enim apud nostrum φῶς de felicitate, σκότος de interitu, pernicie, usurpatur. Quod quidem bene responderet verticuli 780. sententiae, ubi nova illa ὕβρις et θράσος dicuntur μέλαιναι μελάθροισιν ἄται.

v. 772. θράσος h. l. est immanis illa facinorosorum hominum audacia et impudentia, quae eos ad quidlibet audendum promtos et paratos reddit. Haec altera est primae ὕβρεως filia. Δαίμονά τε enim conjungendum est cum νεάζουσαν ὕβριν. Sed omnino cum h. l. diligenter comparandi sunt vv. 222 — 228.

v. 773. μελαίνας μελάθροισιν Ἄτας ] h. e. *atram* aliquando domui, s. universae genti, *perniciem allaturae*.

v. 774. τοκεῦσιν pro singulari τοκεῖ. Intelligit nempe παλαιὰν illam ὕβριν, quam supra v. 232. παρακοπὰν πρωτοπήμονα appellaverat, e qua tanquam matre gignuntur νεάζουσα ὕβρις, et θράσος; utraque filia matris ingenium referente.

v. 775 sqq. δίκα λάμπει — ἐν δυσκάπνοις] Quamquam in justorum hominum aedibus, non aurea splendent lacunaria, sed potius parietes fumo nigrantur, justitia tamen

men dominorum decoro in iis lumine ſplendet, iisque veriorem ac durabiliorem laudem conciliat.

v. 777 ſqq. τὰ χρυσόπαστα δ' ἕδεθλα] *Juſtitia averſis oculis relinquit ſedilia* divitum injuſtorum *auro picta cum ſordibus manuum*, ſ. quae absque injuſtis ac ſordidis quaeſtibus non conſtant. Pollux memorat χρυσοπάστας στρωμνὰς lib. X. ſegm. 43. Quidni igitur bene quoque dicantur ἕδεθλα χρυσόπαστα, *ſedilia ſtragulis auro pictis ſtrata*, vel *ſedilia inaurata?* Elegantiſſimam vero hanc imaginem eſſe, quis neget? Vulg. τὰ χρυσόπαστα ἑδθλὰ male ſonat, quaſi latine diceres *res bonas auro variegatas.* Nec comparari poteſt, quod Eothius fecit, ἐν ποικίλοις κάλλεσιν. Aliud enim eſt ſubſtantivum cum adjectivo conſtructum; aliud adjectivum adjectivo oppoſitum.

v. 779. ὅσια προσέβα τοῦ * *] Si in του vocabulum τεμένη ſtatuamus, juſtitia dicetur *ſancta* et ab omni peccatorum labe immunis ad deorum *templa accedere*; quo quidem nihil dici poterat nobilius. Eadem ſententia illis Perſii verſibus divinitus profecto dictis ineſt:

*Compoſitum jus fasque animo*, ſanctosque *receſſus*
*Mentis et incoctum generoſo pectus honeſto*
*Haec cedo ut* admoveam templis *et farre litabo.*

v. 781 ſq. δύναμιν — αἴνῳ] *potentiam divitiarum vituperio notatam*, i. e. malis artibus quaeſitam, *minime colens.* Ita rectius vertas, quam cum Heathio: *laudibus celebrari ſolitam.*

v. 782. πᾶν — νωμᾷ] *omnia ad exitum dirigit, in omnibus finem reſpicit.*

## IN SCENAM IX.

*v.* 783—854.

v. 785 ſqq. Πῶς σε — χάριτος] *quomodo te honorem neque ultra id quod decet excurrens, neque intra decori limites*

*mites subsistens;* ducta similitudine ab iis qui in stadio currunt. Nempe Chorus nec invidere laudibus regis nec nimium assentari cupit.

v. 787 sqq. *Multi mortalium id quod justum est praetergressi, videri quam esse malunt;* simulata potius quam vera benevolentia utuntur. *Sic nemo non infelicibus adgemere paratus est, cum interim nullum* veri *doloris morsum animo accipiat; ac similiter cum gaudentibus gaudent, vultus minime ad risum compositos ridere cogentes.* Hic aperte Chorus Clytaemnestram figit, cujus fictam e reditu laetitiam jam cognoverat spectator, et paulo post magis etiam cogniturus erat.

v. 795. προβατογνώμων, quia rex cum pastore, subditi cum ovibus comparantur, est is qui *civium ingenia et mores bene internoscit.* Talem igitur negat Chorus fugere posse oculos hominis, qui videantur ex animi benevolentia lacrymis amorem significantibus blandiri. Nempe ὑδαρὴς φιλότης non est, quod Stanl. in versione reddidit, *falsa ac non sincera amicitia*, sed benevolentia humore ex oculis stillante prodita. Cf. v. 280 sq.

v. 799. Quae sequuntur bene Choricorum sincerum animum et ab omni assentandi studio remotissimum declarant. *Tu autem*, inquiunt, *illo tempore Helenae causa exercitum ducens (non enim celabo) admodum odiosis coloribus pictus ac deformatus eras*, magna rumoris invidia flagrabas, *utpote qui male animum gubernasses, cum hominibus ad mortem destinatis virtutem involuntariam* (nam ipsi certe bello mulierculae causa gesto libentius caruissent) *afferres*, i. e., eos fortiter bellare cogeres.

v. 805 sq. νῦν — τελέσασιν] Heathius vertit: *Nunc vero neque perfunctorie, neque parum amice, labor hic benevole vos salutandi ac deducendi vobis impeditus feliciter hoc incepto defunctis.* Ego vero πόνος de laboribus bellicis, quibus jam defuncti erant milites, capio; et hoc modo interpretor: Olim quidem, cum bellum suscipie-

bas, ingratum illud militibus, neque ideo inviſum iis fuiſſe meminimus; *nunc vero* militibus hoc bello *feliciter* et glorioſe *defunctis non leviter nec ſine benevolentia* in te, ducem ac regem ſuum, quem ut victorem amant ac reverentur, *gratus eſt* exhauſtus militiae *labor*.

v. 807 ſqq. γνώσει — πολιτῶν] *Jam vero tempori cognoſces, ubi inquirere volueris*, quis civium juſte, quis immoderate ſe geſſerit in civitate. οἰκουρεῖν πόλιν h. l. non eſt *adminiſtrare*, ſed tantum *verſari in civitate*. Callide tamen ambiguitate verbi utitur Chorus, ut et reginae et Aegiſthi mores notet, neque tamen eos aperte prodat.

v. 810 ſqq. Primum omnium Agamemnon ait, fas eſſe patriam deosque indigetes ſalutare, qui ſe in reditu et in poena de urbe Priami exigenda adjuverint. *Dii enim*, inquit, *quibus non opus erat, cauſam* Trojanorum *ab ore* cauſidicorum pendentes *cognoſcere*, ſed qui ipſi ſuapte ſponte fatis, quid meriti eſſent, intelligebant, *haud diviſa ſententia calculos, Trojae interitum cum multis caedibus conjunctum* decernentes, *in cruentam urnam conjecerunt; ad alterum autem vaſculum*, in quo abſolventium ſuffragia eſſe debebant, *ſpes manus*, calculos ſcil. educturae, *acceſſit*, ſed *ita, ut non impleretur, ut vacua recederet*, h. e., in altero vaſculo ne unus quidem calculus reperiebatur, quia omnes dii Trojam condemnaverant, nemo abſolvendam eſſe cenſuerat. Ita quidem imago pulcherrime inchoatur et perficitur, quam vulgata lectio πλημμυρούμενῳ deformat et obſcurat.

v. 818 ſqq. καπνῷ — πνοάς.] *Fumo autem etiamnum inſignis et locus, ubi Troja fuit. Vigent calamitatis procellae; et moriens cinis pinguem divitiarum nidorem exhalat, ſ. tanquam extremum halitum efflat.* Graviſſima ſententia, altique ſenſus plena! πλούτου πίονες πνοαὶ, quia in magnae urbis incendio, multum olei, multum vini, frumenti, pecoris abſumitur, quarum opum nidore flamma quaſi un-

ungitur. συνθνήσκουσα vel pro ſimplici θνήσκουσα, vel i. q. *ſimul moriens;* quo ſenſu cineris exſtinctio ad urbis interitum refertur.

v. 822. παγὰς ὑπερκότους] ſi lectio genuina ſit, *saevas inſidias;* ſin ὑπερκόπους legas, *dolos nimium prementes* ſ. *praegravantes.*

v. 823. καὶ — τυραννικοῦ] *et mulieris cauſa urbem vaſtavit Argivum monſtrum, equi* ſcil. Trojani ſ. Duratei *pullus, armatus miles, ſaltum edens,* ſaltu irruens *circa Plejadum occaſum, turrimque* ſ. muros *ſuperſiliens leo crudelis multum regalis ſanguinis linxit.* Hoc loco ſi nihil a librariis turbatum videatur, Ἀργεῖον ὄκκος cum Heathio de militibus equo Trojano incluſis accipiendum eſt; ut ab Eurip. Troad. v. 224. Ulyſſes dicitur παράνομον ὄκκος. Idem deinde explicari cenſendum eſt per ἀσπιδηστρόφος λεὼς, qui audaci figura appelletur ἵππου νεοσσὸς, *pullus equi* Trojani; ut in Ennianis verſibus a Macrobio laudatis (hosce verſiculos Heynius numeris ſuis reſtituit ad Aen. Virgil. VI. 515.):

*Nam maximo ſaltu ſuperavit*
*Gravidus armatis equus,*
*Qui ſuo* partu *ardua perdat Pergama.*

*Partum* quoque equi Duratei incluſos in eo Danaos vocat Lucretius I. 477. Attamen h. l. Ἀργεῖον ὄκκος ut apud Virgil. Aen. II. 245. *infelix monſtrum*, aptius de ipſa equi illius immani mole, quam de incluſis militibus dictum fuerit. Et ἵππου νεοσσὸς ita ut h. l. collocatum, neſcio quomodo frigidum dictionis tumorem prae ſe ferre videtur. Certe ſi legeretur:

Νεότητος ἵππος ἀσπιδηστρόφου πλέως,

elegantius verba decurreret, et verius ornaretur ſententia. Quid? quod hoc modo proxime ad illorum ſimilitudinem accederet Virgilii verſus:

*Quum fatalis equus saltu super ardua venit*
*Pergama et armatum peditem gravis attulit alvo.*
Aeneid. VI. 515. cf. II. 234.

Fortasse autem hic versiculus:

Ἵππου νεοσσὸς ἀσπιδηστρόφος λεώς

ex alia quadam Tragoedia primo a glossatore, qui vellet Ἀργεῖον δάκος explicare, ad marginem scriptus, deinde in textum illatus fuit. Saltem plena esset sententia, si hoc modo noster scripsisset:

καὶ γυναικὸς οὕνεκα
Πόλιν διημάθυνεν Ἀργεῖον δάκος·
Ὑπερθορὼν δὲ πύργον ὠμηστὴς λέων
Πήδημ' ὀρούσας ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν,
Ἄδην ἔλειξεν αἵματος τυραννικοῦ.

Quod si aliquis probaverit, totum illud carmen sic explicari velim, ut nulla prorsus insit fabulae de equo Trojano notatio; sed ut universe tantum expugnatio urbis poëtico colore adumbrata sit.

v. 829. *An diis quidem hoc prooemium praetendi*, s. *elocutus sum; quae vero sequuntur, ad ea, quae me ex te audire memini regeram.* Sed versus 830. ita potius videtur legendus:

τὰ δ' ἐς τὸ σὸν φρόνημ', ὃ μέμνημαι κλύων.

*Ista vero ad prudentem tuam animadversionem, quam me audire memini*, eloquar. Repetendum scil. ἐκτενῶ post τὰ δ' —

v. 832 — 837. Pulcherrime hos versiculos latino carmine reddidit Grotius:

*Paucis ab omni pectus invidia vacat,*
*Quoties secundas res amicorum vident;*
*Plerisque virus malevolae aegritudinis*
*Duplicem dolorem corde commoto ciet.*
*Namque et suis oneratus urgetur malis,*
*Nec absque gemitu spectat alienas opes.*

At

At in tribus proxime ſequentibus verba εὖ γὰρ ἐξεπιστα-μαι ὁμιλίας κάτοπτρον minus recte intellexit vir ſummus:

*Bene nota loquor expertus, impenſe mihi*
*Studere viſos, nil amicitiae niſi*
*Vanae fuiſſe ſpecula, et umbrae imagines.*

Imo hic verborum ſenſus eſt: *Expertus enim dico, quod in eorum conſuetudinem tanquam in ſpeculum inſpexi, eos qui mihi maxime benevoli viderentur, nil niſi umbrae quandam imaginem eſſe.* εἴδωλον σκιᾶς ſimiliter dictum Pindarico illi σκιᾶς ὄναρ.

v. 841 ſqq. μόνος — λέγω.] *Solus autem Ulyſſes, quamquam is invitus* ad bellum *navigabat, ſemel mihi conjunctus fideliſſimi et ad quaevis munera promti ſocii officium fecit;* (metaphora ab equo petita, quam Germani quoque imitantur dicendo: *er hat getreulich mit mir an Einem Strange gezogen;*) *ſive de mortuo, ſive de ſuperſtite loquar.* Haec adjiciendo ſinceritatem laudis Ulyſſi tributae confirmat, quam ei ne ſi mortuus quidem fuerit, denegaturum ſe eſſe oſtendit.

v. 844 ſqq. τὰ δ' ἄλλα — βουλευσόμεσθα] *De reliquis autem, quae ad civitatem et deos pertinent, facta in concilio disceptandi poteſtate conſultabimus.* Nimirum κοινὸν ἀγῶνα h. l. ad publicam in ſenatu vel populi concione deliberationum disceptationem contentionemque, refero; alii, ut Abreſchius, ad *ludos publicos* trahunt; hoc ſenſu: *quod ad reliqua, civitatem et deos, de iis inſtitutis communibus ludis in conventu publico conſultabimus.*

v. 846. καὶ — νόσον] *Et quod quidem bene in rep. ſe habet,* ſana reip. membra, *ut porro in eodem ſtatu maneant, providendum. Quae autem ſanantibus indigebunt remediis, ea benevole vel urentes, vel ſecantes, noxium conabimur morbum depellere.* Bene ac ſapienter regalem in caſtigandis civium vitiis animum exprimit.

v. 851. *Nunc autem palatium aedesque focis deorum inſtructas ingrediar, deosque primum ſalutabo, qui me procul ad* Trojam *miſſum reduxerunt. Victoria autem ut adhuc nos ſecuta eſt, ita perpetua nobis maneat.*

## IN SCENAM X.

*v.* 855 — 974.

Jam ſcenam ingreditur Clytaemneſtra, multisque verbis fictum mariti abſentis deſiderium, fallamque ex ejus reditu laetitiam prodit, inſidias ei ſtructas magna cum aſtutia celans.

v. 855 ſqq. ἄνδρες — δόμοις] *O cives, ſenectute inter Argivos venerabiles, me quidem non pudet animum meum viri amantiſſimum coram vobis declarare; longo enim tempore pudor hominibus evaneſcere ſolet. Non ab aliis edocta, ſed experta vitam meam, quamdiu ille vir meus ad Ilium fuit, intolerabilem narrabo. Nam primum quidem, mulierem ſeorſim a viro domi deſidere ſolam ac deſertam, terribile malum eſt; ubi multos ſaepe ſaevos rumores audiat, aliusque veniat calamitatem nuntians, alius malum malo majus narrando ſuperaddat.* Ultima verba καὶ τὸν μὲν, ἥκειν — δόμοις Heathius ita vertit: *Atque hunc quidem rumorem te venire, illum vero, te cladem calamitate praecedente pejorem aedibus inferre nunciantes.* Quam equidem rationem ob duriores ellipſes, et ſenſum parum idoneum amplecti non poſſum. Niſi quis transpoſitionem vocabuli πῆμα, quam in V. L. ſuaſimus, probet, certe poſt ἥκειν ſupplendum erit e ſequenti verſiculo πῆμα λάσκοντα δόμοις.

v. 866 ſqq. καὶ — λέγειν] *Atque hic quidem vir ſi tot vulnera accepiſſet, quot eum accepiſſe rumor domum allatus ferebat, profecto, naſſula, ut ita dicam, confoſſior eſſet.*

v. 869 ſqq. εἰ δ' ἦν — μορφώματι] *Sin autem toties occidiſſet, quoties occidiſſe eum fama percrebuerat, tum ille, tan-*

*tanquam alter Geryon tricorpor, multiplex ſibi ſupra terram (non enim inferum illum tergeminum dico*, ſcil. Geryonem ab Hercule occiſum,) *corpus contigiſſe, gloriari poſſet, adeo ut ſemel in unaquaque corporis forma moreretur.* Hac ratione hujus loci difficultas, prout eum in textu conſtituimus, optime expediri videtur. Nam illa quidem Heathii explicatio, ne Graecis obſcurior ſit, nimium vereor: *Si vero tot mortes obiiſſet, quot multiplicabant rumores, Geryon tricorpor revera ſecundus, multas a ſuperis, eam enim non dico, quae ſub terra eſt* (id eſt, ſepulcrum), *triparcas chlamydas accepiſſe ſe gloriatus eſſet.* Nec magis d'Orvillio largior, hic ad trinam apotheoſin, neſcio quam, ab Aeſchylo reſpici, quam nactus fuiſſet Agamemnon, toties ſi eſſet mortuus, quoties occubuiſſe fama fuerat. Etſi autem, ſi nihil magnopere in textu moveatur, noſtram interpretationem lectori ſatisfacturam puto, coepi tamen ſuſpicari, totum illum verſiculum

πολλὴν ἄνωθεν, τὴν κάτω γὰρ οὐ λέγω,

ab alienis manibus intruſum eſſe. Fortaſſe Grammaticus quidam in ora libri adſcripſerat: Ἀγαμέμνων: τὸν κάτω (nempe Geryonem) γὰρ οὐ λέγει; inde poſtrema verſiculi verba orta eſſe videntur. Priora autem πολλὴν ἄνωθεν fortaſſe librarii errori debentur, qui oculis in verſiculi 875. initium πολλὰς ἄνωθεν aberraverat. Ejecto igitur illo verſiculo, quicquid ſit, male ſaltem tornato, ſi ſic procedat oratio:

Εἰ δ' ἦν τηθνηκώς, ὡς ἐπλήθυνον λόγοι,
Τρισώματός γ' ἂν Γηρυὼν, ὁ δεύτερος
Χθονός, τριμοιρον χλαῖναν ἐξηύχει λαβών,
Ἅπαξ ἑκάστῳ κατθανὼν μορφώματι.

eleganter ſententia ſine offenſione procedet: *Sin autem toties mortuus eſſet, quoties fama ferebat, tanquam alter quidem terrae tricorpor Geryon, gloriari potuiſſet, triplex ſibi corporis indumentum contigiſſe, ſemel ſcilicet in unaquaque forma mortuus.* Germ. *Er müſste als ein zweyter Geryon*

*ryon der Erde drey Leiber gehabt haben, und in jeglichem Leibe einmal geſtorben ſeyn.* Bothius textum ſic refingere auſus eſt:

Πολλὴν (ἄνευθεν ἐγκότου γὰρ οὐ λέγω)
Χθονὸς τρίμοιρον χλαῖναν ἐξηύχει λαβών

ita ſcilicet interpretatur: *tum ille alter Geryon tricorpor, craſſum (non enim absque ira dico) terrae triplex indumentum contigiſſe ſibi gloriari poſſet.* Cur autem hic iraſceretur Clytaemneſtra? et quam inficete hic χλαῖνα pro ſepulcro poſitum eſſet?

v. 874 ſqq. τοιῶνδ' — λελημμένης] *Ac propter hujusmodi ſaevos rumores ſaepius alii ſuperne*, i. e. in ſuperiori aedium contignatione, ubi fere ſe ſuſpendere ſolebant vitae pertaeſi, *laqueos collo meo ſolverunt, invita cum deprehenderer.*

v. 877. ἐκ τῶνδέ τοι] Rectius fortaſſe legeretur ἐκ τῶν δέ τοι, *iisdem vero etiam ex cauſis.* Callide Oreſtis abſentiam excuſat regina.

v. 881 ſq. ἀμφίλεκτα — προσφωνῶν] *ancipitia mihi mala memorans* et ob oculos ponens, quae accidere poſſent, vitamque Oreſtis in ſummum discrimen adducere.

v. 884. βουλὴν καταῤῥίψειεν] male intp. Heathius: *auſum aliquid periclitaretur;* verius: *ſive popularis quaedam ſeditio ſenatum deturbaret.*

ὥστε — πλέον] *Sicut mos eſt mortalium, eum, qui cecidit, magis etiam conculcare.* Timendum nempe fuiſſe ait, ne, ſi Agamemnon rem male geſſiſſet, aut ipſe ante Trojam occidiſſet, plebs Argivorum ſeditione facta etiam filium ejus necaret.

v. 886. σκῆψις — φέρει] Falſo Stanlejus: *Equidem tale monitum non eſt fraudulentum.* Senſus eſt: *Et haec quidem excuſatio mea omni dolo vacat.*

v. 887 ſqq. ἔμοιγε — αἰέν.] *Ac mihi quidem* flendo *lacrymorum uberrimi fontes ita exaruerunt, ut ne ſtilla quidem inſit. Pervigilibus autem oculis morbum contraxi, ex-*

cu-

*cubias tui cauſa ad ſignum e facibus obſervandum deluſas* ſ. *fruſtra poſitas flendo.* Ultima vero verba Heathius hoc modo intp.: *Semper lamentans, quod ſigna de fortuna ac rebus tuis per faces miſſa ab excubitoribus neglecta putabam.* Parum commode. *Speculationes* ſ. excubiae dicuntur *inhonoratae* ſ. *neglectae*, propterea quod is, cujus cauſa poſitae erant, nimis diu exſpectationem deludebat.

v. 891 ſqq. ἐν δ' ὀνείρασιν — χρόνου] *In ſomniis verò a tenui culicis murmurantis ſtrepitu excitabar, plures* ſcil. per quietem, *quae tibi acciderent, calamitates videns, quam per tempus una dormiens fieri poſſent.* ξυνεύδων χρόνος poëtice dicitur *tempus quod inter dormiendum praeterlabitur.* Notum vero eſt, in ſomniis propter celeritatem imaginandi multa nobis viſa occurrere, quae, ſi vere accidiſſent, multo longius temporis ſpatium, quam paucae illae ſomni horae, dum ea gererentur, effluxiſſet.

v. 895. ἀπένθητος φρήν, *defaecatus animus, omni triſtitia liberatus;* idque adeo non ad τλᾶσα, ſed ad λέγοιμ' ἂν referendum.

v. 896 ſqq. ut laetitiam ſuam clarius declararet regina, aſtute multas caritatis ſimilitudines cumulat. *Dicere*, inquit, *licet, virum meum mihi idem eſſe*, quod *ſtabulis* ovium *canem*, *navi ſervantem funem* anchorarium, *altis aedibus fulcientem columnam*, *patri unicum filium*, *nautis tellurem inſperato viſam*, *diem* ſerenum et *adſpectu pulcherrimum e tempeſtate* exorientem, *viatori denique ſitienti fontis laticem.*

v. 907. πόδ' — Ἰλίου πρεσβήτορα] *pedem tuum*, qui Trojam tanquam ſtantem columnam *proruit;* generoſa imagine poëtaeque nobili ſpiritu digna.

v. 909. πετάσμασιν] „Mos antiquus, veſtibus ſtragulis viam honoris cauſa inſternere, cujus apud plures fit mentio. Plutarch. in Catone Utic. προεπέμφθη δάκρυσι καὶ περιβολαῖς ἁπλήστοις, ὑποτιθέντων ἱμάτια τοῖς ποσὶν ἢ βαδίζοι. Videſis 2 Reg. IX, 13. Matth. XXI, 18." *Stanl.*

v. 911.

v. 911. δίκη] „Verte: *ut jus fasque* (i. e. ut debiti honores) *eum in domum inſperatam deducant.* Palam de honoribus Agamemnoni pro dignitate tribuendis loquitur Clytaemneſtra, ſecretius autem Juſtitiam Iphigeniae caedem ulturam intelligit." *Heath.*

v. 912. 913. His verbis eadem, quam Heathius recte v. 911. obſervavit, ambiguitas ineſt, conſulto ab regina quaeſita.

v. 914. In ſequentibus poëta prudentiſſime effecit, ut Agamemnon, dum honores ab uxore ſibi oblatos anxie deprecatur, quaſi praeſagire impendentem ſibi mortem videatur.

v. 915 ſq. ἀπουσίᾳ — ἐξέτεινας] Cave ne in his garrulitatem uxoris carpi putes. Nihil enim aliud ſignificat Agamemnon, quam aequum et juſtum fuiſſe, multis verbis ab ea laetitiam exprimi, quam e mariti per tot annos abſentis reditu perceperit.

v. 916 ſq. ἀλλ' ἐνκισίμως — γέρας] Modeſtiae cauſa, non ad reprehenſionem uxoris dictum.

v. 918 ſq. μὴ — ἅβρυνε] *Noli me muliebri more*, h. e. quaſi mulier ſim, *molliter ac delicate tractare.*

v. 919 ſq. μηδὲ — ἐμοί] *Neque vero me tanquam barbarum regem proſtrata clamore incondito ſalutes.* q. d. χαμαιπετὴς βόαμα προσχάνῃς ἐμοί; epitheto quod perſonae conveniebat ad actionem translato, ut ſaepe.

v. 926 ſq. χωρὶς — αὐτεῖ] *Absque pedum ſubſtragulis pictisque tapetibus ſatis fama mea clamat.*

v. 934. τέλος ἐξέπειν ſignificare poteſt, *ultimam ſententiam dicere, in qua perſeverandi animus ſit.*

v. 937. ψόγον. . .] Iſtud Clytaemneſtrae dictum interpellat Agamemnon ſequentibus verbis: *Atqui rumor* malus *popularis multum* ad noxam *valet.*

v. 940. μάχης ut ut poſtea v. 951. de *altercatione* ſ. *disputandi concertatione.*

v. 944 ſq. ὑπαί τις — ποδός.] non ut lat. intp. *ſolvat aliquis calceos ocyus illiberum facientes inceſſum pedum;* ſed πρόδουλος ἔμβασις appoſitionis figura additur vocabulo ἀρβύλας, notatque *calceos pedibus inſervire, ut hi illis inſiſtant;* q. d. *ſerviens pedis indumentum.*

v. 946. σὺν ταῖσδε] Sic auctore Heathio reſcribendum fuit pro vulg. σὺν τοῖσδε. Ordo autem verborum hic eſt: μή τις θεῶν ὄμματος φθόνος πρόσωθεν με βάλοι ἐμβαίνοντα ἁλουργέσιν σὺν ταῖσδε, ſcil. ἀρβύλαις, *ne qua deorum oculi invidia e longinquo me feriat, ſi hisce cum calceis purpureis ſuper tapetibus ingrediar.* Male Heathius ἁλουργέσιν cum θεῶν conſtruendum eſſe cenſuit. Ut enim v. 961. de benevolo, ſic h. l. de malevolo deorum adſpectu agitur.

v. 948 ſq. πολλὴ — ὑφάς.] *Vehementer enim* mihi *verendum cavendumque eſt, ne,* ſc. odium deorum ex ejusmodi ſuperbia mihi contrahendo, *domum* univerſam meam *perdam, ſi hasce divitias,* pretioſa tapetia, *argentoque multo redemta textilia pedibus* calcando *perdiderim.*

v. 950 ſqq. Agamemnon Caſſandram, quam ſecum advexerat, uxoris benevolentiae commendat, atque, ut eam humaniter excipiat, petit.

v. 954. αὐτὴ] Verius forſan αὖτη.

v. 958. Ultima Agamemnonis verba, quibus ſe victum tandem ab uxore purpurea ſtragula pedibus calcare dixerat, callide Clytaemneſtra arripit, iis, quae ad Caſſandram pertinebant, omnino praeteritis. *Eſt,* inquit, *mare,* (*quis enim hoc* umquam *exſiccabit?*) *quod multae purpurae fucum, quamvis argenti inſtar pretioſum, tamen ſemper recentem emittit, quibus veſtes tingi poſſint.*

v. 959. ἰσάργυρον] Salmaſ. ad Solin. p. 593. purpuram eo pretio olim venditam fuiſſe, firmat verbis Theopom-

pompi apud Athen. lib. XII. *ἰσοστάσιος γὰρ ἦν ἡ πορφύρα πρὸς ἄργυρον ἐξεταζομένη.*

v. 960. *κηκίδα*] Salmaſ. ibid. interpretatur *στύμμα*, vel *βάμμα*, *fucum*, *quo lana tingi* poteſt. Harpocr. Κηκίς· βάμμα τι καὶ στύμμα, ἢ καρπὸς τῆς δρυὸς ἐπιτήδειος εἰς βαφήν. (galla qua lanae olim tingebantur.) Suſpicor tamen antiquiorem fuiſſe hujus vocabuli notionem, qua *quicquid propullulat*, πᾶν τὸ κηκίον, ſignificaret. Sic Choëph. v. 241. de *flamma* uſurpatur.

v. 961. *οἶκος*] *Aedibus noſtris deorum beneficio multa talia ſuppetunt; domusque divitias novit, egeſtatem nullo modo.*

v. 963 ſqq. *πολλῶν — μηχανωμένη*] *Sane, ſi mihi in oraculorum aedibus hoc edictum fuiſſet, multas equidem ſtragulas* pretioſas *voviſſem* in deorum templis *conculcandas*, hoc ſcilicet modo cariſſimae *hujus animae reditum effectura.* *προὐνεχθέντος* ſcil. *τοῦ χρησμοῦ τοιούτου.* *Δόμοι χρηστήριοι*, *aedes*, *ubi oracula eduntur.* Κόμιστρα h. l. dicuntur donaria et vota, quibus proſperum amici reditum impetrare aliquis ſtudet. Abreſchius μηχανωμένης ſervandum vel μηχανωμένῃ legendum eſſe putans, h. l. ita vertit: *Si mihi machinanti praemiis donisque ſcire, an ſalvus redituras eſſes, enuntiatum fuiſſet et reſponſum ab oraculo redditum, fore ut te reducem videam, plures voviſſem ſtragulas conculcandas.*

v. 966. *ἐς δόμους*] *Quousque enim viget arboris radix, folia proveniunt, quae ante aedes umbram adverſus caniculares ſideris aeſtum praetendunt.*

v. 969 ſqq. *καὶ σοῦ — ἐπιστροφωμένου*] *Similiter cum tu ad lares domeſticos reverteris, hiemali quidem tempore calorem aedibus affers; cum autem Jupiter ex immatura uva vinum parat, tum optimo patrefamilias domum redeunte domus tanquam frigidiore aura recreatur.* Pulcherrima comparatione hanc ſententiam expreſſit, mariti reditum nul-

nullo non tempore gratiſſimum aedibus utiliſſimumque eſſe. Deſcriptio illa ὅταν — οἶνον adultam aeſtatem, quo anni tempore ſervidiſſimi ſoles eſſe ſolent, apte deſignat.

v. 973 ſq. Ζεῦ — τελεῖν] Iterum Clytaemneſtra ambiguis verbis proſperum inſidiis marito ſtructis exitum precatur.

## IN SCENAM XI.

*v.* 975 — 1032.

Poſtquam Agamemnon cum perfida uxore aedes introiit, Chorus periculum, quod ei impendere putat, multo quam ante clarius eloquitur. Ac primum timorem ſuum ex illo Calchantis oraculo, quod ſupra narraverat v. 122 ſqq. vinci poſſe negat.

v. 975 ſqq. τίπτε — —] *Quid tandem illud eſt, quod continuo nobis timor ille* (de Agamemnonis ſortuna) *obverſans praecordia circum fatidica volitet, cantusque noſter nec poſtulatus, nec mercede honoratus vaticinetur, neque illum timorem, tamquam ſomnia quaedam explicatu difficilia averruncandi fidens audacia animi ſedem accedat;* h. e., neque illum ſomnii inſtar averruncare et abjicere fidenter audeamus! ἀοιδὰ olim cum aliis de oraculo illo Calchantis v. 112 accipiebam, nunc magis placet, hoc ipſum Chori canticum timoris et anxietatis plenum ſignificari. Cf. v. 989.

v. 978 ſq. μαντιπολεῖ ἀκέλευστος ἄμισθος ἀοιδὰ] Germani dicerent: *und warum weiſſagt mir wider meinen Dank und Willen mein Geſang!*

v. 979. οὐδ' ἀποπτύσας] Vel h. l. nominativus abſolutus, pro οὐδ' ἐμοῦ ἀποπτύσαντος ſcil. ὄειμα, vel legendum cum Pauwio ἀποπτίσαν, idque cum θάρσος conſtruendum.

v. 983 ſqq. χρόνος — στρατός.] Optime ſic interpr. Heathius: *diu autem eſt, ex quo rudentibus injectis naves in arena haerentes littori alligavit, quando ad Ilium appulit, navalis exercitus.*

v. 987 ſq. πεύθομαι — ὤν.] *Ego vero oculis regis exercitusque felicem reditum video, et ipſe mihi ejus rei teſtis ſum;* ut nihil amplius mali ex illo Calchantis oraculo metuendum videatur.

v. 989 ſq. τὸν — Ἐριννύς] Nihilo tamen ſecius hanc absque lyra naeniam mihi occinit furia; nempe metuo, ne ad illam Iphigeniae caedem ulciſcendam, furiae calamitatem aliquam regi importent. ἄνευ λύρας, *triſte*, lugubre, *funeſtum* carmen notat.

v. 990 ſqq. αὐτοδίδακτος — θράσος] *Se ipſum animus docet non prorſus admittere gratam ſpei fiduciam;* h. e., ſemper, etiamſi bene de regis ſalute ſperare cupiam, obſiſtit ſibi ipſe animus, ac certis argumentis commotus, negat hic certo ſperandum eſſe. Pro vulg. ἔχων legendum opinor ἔχειν, quod pendeat ab αὐτοδίδακτος.

v. 993. σπλάγχνα δ' οὔτι ματάζει, *nec ſane vana ſunt praecordia*, h. e. nec profecto fruſtra eſſe videtur, quod illo angore pectus afficiatur.

v. 994 ſq. πρὸς — κέαρ] *immo ut cor* vehementius pulſatum exſultet, et quaſi *vertiginibus circumagatur*, *hoc efficitur cogitationibus juſtis exitum habituris;* Φρένες ἔνδικοι τελέσφοροι eſt recordatio juſtitiae divinae ultionem perficientis. Nimirum Chorus ſemper animo ſuo obverſari ſignificat Iphigeniae vindictam divinitus paratam.

v. 996 ſqq. εὔχομαι — τελεσφόρον] *Opto tamen, ut* ſaltem *aliqua pars timoris falſa ſit, neve* omnino *perficiantur*, quae metuo.

v. 999 ſqq. μάλα — ἐρείδει,] *Profecto enim nimiae ſanitatis illaetabilis fere exitus eſt; morbus enim vicinus intergerinus urget.* Ut nimia corporis obeſitas ſaepe ſuffocationem aut hydropem affert, ſic e nimia hominum felicitate ſummae ſolent calamitates erumpere. Novum igitur argumentum profert Chorus, quo, ut male de Agamemnone metuat, adducatur. Ut autem recte intelligatur ejus ſententia, atque a repugnantiae ſpecie vindicetur,

cetur, conferenda ſunt cum h. l., quae ſupra dixerat v. 471 — 480. et v. 755 ſqq.

v. 1000 ſq. ἀκόρεστον τέρμα] Jam in notis ad V. L. profeſſus ſum, ἀκόρεστον mihi h. l. displicere. Itaque vel ἀχάριστον, ut dixi, vel quod propius etiam ad illius vocabuli ſcripturam accedit, ἀχόρευτον legendum eſſe ſtatuo. Facillime ΑΧΟΡΕΥΤΟΝ cum ΑΚΟΡΕΣΤΟΝ permutari potuit. Bothius recepit ἀχάριστον.

v. 1003 ſqq. καὶ — τέρμα] *Et ſaepe proſpera hominis felicitas rectumque curſum tenens ad occultum ſcopulum alliſa frangitur.* Eandem ſententiam alia metaphora, eaque haud minus decora, illuſtrat.

v. 1006 — 1022. καὶ πρὸ μὲν — ἔπαυσεν] Nemo adhuc interpretum pulcherrimi hujus carminis verum ſenſum ac nexum commonſtravit. Ne igitur alienis opinionum commentis decipi nos patiamur, tenendum eſt, Chorum ipſa illa comparatione, quam a nave ſcopulis alliſa repetierat, eo duci, ut cogitet, navem quidem ſaepe, e periculo naufragii, jactura ſervari poſſe; ubi magnam quidem facultatum partem perire, non tamen ideo totam domum multis divitiis abundantem corruere; quin potius priſtinorum annorum ubertatem facile illam jacturam reſarcire, et famis periculum avertere. Longe autem aliam ſanguinis humani rationem eſſe, quem, cum ſemel profuſus ſit, revocari non poſſe, nec ullum eſſe vitam ſemel amiſſam reſtituendi modum. His igitur poſitis preſſius poëtae verba reddemus: *Ac ſi quis* in naufragii *quidem* discrimine, nimium *partarum opum* v. c. frumenti *onus*, *modico*, quantum ad levandam navem ſufficit, *jactu* in mare *projecerit*, *non ideo* ſtatim *tota domus*, res familiaris, *ruit*, *quippe quae divitiis* alias *valde abundet; neque tamen navem fluctibus mergit;* ſ. ac tamen iſta jactura, navis quo minus mergatur, efficitur. *Magna enim et ampla cum* hoc anno *a Jove data* frumenti *copia*, *tum e ſuperioribus meſſibus ſervata jejunae famis calamitatem* faci-

le *propulsat. At vero atrum mortiferum hominis sanguinem ante pedes ejus semel in terram profusum, quis unquam ullis incantamentis revocet? Nonne vero* (Aesculapium) *illum qui artem mortuos resuscitandi pulchre callebat, postea Jupiter cohibuit?*

v. 1006 sq. καὶ πρὸ μὲν — βαλὼν, pro καὶ προβαλὼν μὲν. — Illud ΜΕ῾Ν autem refertur ad τὸ πεσὸν Δ᾽ v. 1016. προβαλὼν vel absolute pro προβαλόντος τινὸς, vel construendum cum sequenti δόμος. Ceterum in simili causa eadem hac imagine usus est poëta Sept. adv. Theb. v. 771.

v. 1008. σφενδόνας poëtice pro ἐκβολᾶς; instrumentum, quo res peragitur, rei ipsius loco.

v. 1010. πημονᾶς] Hanc lectionem ita explicant, q. d. καί τοι πημονᾶς γέμων ἄγαν. Multo aptius tamen est, legere πλησμονᾶς, ita his verbis δόμος πλησμονᾶς γέμων ἄγαν causa reddetur, cur magna jactura tamen ferri et superari possit. Sic fere Theb. v. 771. in eadem re ὄλβος ἄγαν παχυνθείς.

v. 1011. ἐπόντισε] *neque commisit ut mergeretur navis.*

v. 1014. ἀλόκων] *sulci* pro *messibus*, antecedens pro consequente.

v. 1015. ὤλεσεν ferri quidem et explicari potest. Fortasse tamen ab Aeschyli manu venit ἤλασεν.

v. 1020. ὀρθοδαῆ] Rectissime observat Scholiastes, Aesculapium hic tangi, quem Jupiter, cum Hippolytum ab inferis revocasset, fulmine occidisse dicebatur.

v. 1023 sqq. εἰ δὲ — Φρενός.] Legendum arbitror:

Προφθάσασα καρδίαν
Γλῶσσα πάντ᾽ ἂν ἐξέχει.

Lingua enim mentem, non mens linguam in loquela antevertere potest. *Nisi vero fatum divinitus constitutum hanc Parcam* (Clytaemnestram) *prohibuisset, quo minus plura*

*plura diceret, mentem lingua praevertens omnia effudiſſet. Nunc autem illa ſub tenebris*, in occulto fremit, *animo dolens, ac nihil ſe tempeſtivum perfecturam eſſe ſperans, ſi jam nunc nimis mentem inflammari patiatur.*

v. 1024. μοῖρα Μοῖραν] decorus hic luſus ex duplici vocabuli ſignificatione. Primo loco *fatum*, ſecundo *Parcam* notat. Parcae nomine quam apte inſigniatur Clytaemneſtra mariti vitae inſidians, nemo non videt.

v. 1032. ζωπυρουμένας bene opponitur illi ὑπὸ σκότῳ. Quemadmodum enim ignis diu ſub cinere gliſcens haud prius conſpicitur, quam in flammam eruperit, ita Clytaemneſtra ſtudioſe irae ardorem premebat, cavebatque ne citius quam opus eſſet inflammaretur. Abreſchius a vero verborum ſenſu aberravit, ſic interpretando: *niſi ita omnia deorum voluntate fierent, ut nihil praeter eam accidat, cor*, i. e. *mens praecurreret linguam ad enuncianda, quae metuit; nunc quia ſe nihil videt proficere, tacite premit dolorem, licet valde aeſtuet et inflammetur*; quaſi haec omnia Chorus de ſe ipſo, non de Clytaemneſtra, diceret.

## IN SCENAM XII.

*v.* 1033 — 1066.

Redit Clytaemneſtra in ſcenam, Caſſandramque curru deſcendere atque introire jubet.

v. 1034. ἀμηνίτοις] Si ἀμηνίτως legatur, ad Jovem referatur neceſſe eſt. Atqui quomodo is *absque ira* Caſſandram e libertate in ſervitutem dediſſe dicatur? Imo vero ἀμηνίτοις δόμοις deſignat heriles aedes ſervis ancillisque haud immites.

v. 1035. χερνίβων] „hoc eſt victus, διαίτας ſynecdochice. Virgil. Aen. I. cibum capeſſendi modum deſcribens:

*ſtratoque ſuper discumbitur oſtro*
*Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris*
*Expediunt.*" Stanl.

v. 1036. κτησίου βωμοῦ] *Juxta aram Jovis Cteſii*, quem ante promtuarias cellas, ταμεῖα, ſtatui ſolitum eſſe vel ex Harpocratione diſcitur in v. Κτησίου Διός. Tota autem haec periphraſis nihil aliud ſignificat, quam hoc: *Quandoquidem te Jupiter apud nos ancillam eſſe voluit.*

v. 1039. πραθέντα] Recte adverſus Stanlejum, qui venditum eſſe Herculem negabat, Heathius monet, Herculem Jovis juſſu ad expiandam Iphiti mortem Omphalae Lydiae reginae in ſervitutem annuam venditum eſſe, coll. Soph. Trachin. v. 252 — 284.

v. 1040 ſqq. εἰ — στάθμην] *Si cui igitur hujus fortunae*, ſervitutis *neceſſitas inciderit*, *valde optabile eſt*, *ut ei dominus contingat*, *qui dudum opulentus fuerit; qui vero praeter ſpem atque opinionem pulchram meſſem meſſuerunt*, repente divites facti ſunt, *hi fere immites* ac duri *erga ſervos*, *ultra id quod fas eſt*, *eſſe ſolent.*

v. 1041. ἀρχαιοπλούτων] „Poëtae ſententiam clariſſime proſequitur Philoſophus Rhetoric. II. 32. Διαφέρει δὲ τοῖς νεωστὶ κεκτημένοις, καὶ τοῖς πάλαι τὰ ἤθη· τῷ ἅπαντα μᾶλλον καὶ φαυλότερα τὰ κακὰ ἔχειν τοὺς νεοπλούτους, ὥςπερ γὰρ ἀπαιδευσία πλούτου ἐστί, τὸ νεόπλουτον εἶναι." *Stanl.*

v. 1043. παρὰ στάθμην] „Quid hoc ſit, eleganter docet Ariſtoteles Rhetor. lib. I. c. 2. οὐ γὰρ (inquit), δεῖ τὸν δικαστὴν διαστρέφειν, εἰς ὀργὴν προάγοντος, ἢ φθόνου, ἢ ἔλεου· ὅμοιον γὰρ κἂν εἴ τις ᾧ μέλλει χρῆσθαι κανόνι τοῦτον ποιήσει στρεβλόν. Notum ſatis proverbiale dictum πρὸς στάθμην πέτρον τίθεσθαι, μήτε πρὸς πέτρῳ στάθμην. Idem eſt ὠμὸς παρὰ στάθμην, quod Terentio Adelph. I. 1. *nimium durus praeter aequumque et bonum.*" *Stanl.*

v. 1044. ἔχεις] Si vera eſt lectio, regina haec dicit: *Habes a nobis*, *quae apud nos fieri ſolent*, h. e., haec tibi di-

dicenda habui, ut, quomodo in aedibus noſtris familia tractetur, intelligeres. Sin ἕξεις ab Aeſchylo ſcriptum fuerit, haec exſiſtet ſententia: *Habebis omnia, quae tibi convenient.*

v. 1048 ſqq. ἀλλ' — λόγῳ] „Mirifice haec interpretatur Pauwius. Φωνὴ hic ſecundum illum eſt vox inarticulata hirundinis. Ita igitur vertit: *Si ignotam illam vocem barbaram* (hirundinis ſcilicet) *non poſſideat; ſi ei ſit aliquis vocis humanae uſus, facile ſermo meus ad animum ejus perveniat, et perſuadeat.* Mirum ſcilicet, ni quacunque lingua uteretur Caſſandra, modo humana eſſet, ab ea ſe Graece loquentem intelligi putabat regina! Imo vero notum eſt, veteres Graecos barbaras omnes nationes χελιδόνας vocaſſe. Teſtes ſunt Ariſtoph. Ran. v. 690 — 694. et ibid. Schol. ut et Ran. v. qu. et Arib. v. 1680. Heſychius v. χελιδόσι et χελιδόνων μουσεῖον, denique Suidas v. χελιδόνων μουσεῖα. Verte igitur: *At ſiquidem non eſt, ſicut hirundo, linguam nacta barbaram et ignotam; intra ejus intellectum loquens* (i. e. ea quae intelligere poſſit loquens) *ſermone ei perſuadeam.*" Hactenus Heathius, cui quidem de reliquis aſſentior; at ἔσω Φρενῶν aliter interpretandum eſſe cenſeo. Omnino mihi, quod ſupra jam in V. L. profeſſus ſum, ultima verba ſic legenda videntur: βάρβαρον Φρενῶν ἔσω Κεκτημένη, λέγουσα πείθω νιν λέγειν; hoc ſenſu: *Verum niſi hirundinis inſtar barbaram et ignotam intus linguam poſſideat, equidem ſermone meo ei, ut ipſa quoque loquatur, perſuadeam.* Nempe ſperabat Clytaemneſtra, ſe pertinax Caſſandrae ſilentium, quod adhuc obtinuerat, expugnaturam. ἔσω Φρενῶν eſt *intra praecordia, in pectore* quod dicitur, pro faucibus et pulmonibus, quibus loquela fingitur.

εἴπερ ἐστὶ μὴ χελιδόνος δίκην] Ariſt. Av. v. 1681. ed. Brunck. εἰ μὴ τιττυβίζοι γ' ὥςπερ αἱ χελιδόνες, ubi doctiſſimum editorem haud fugit Aeſchyli locus, in quo verſamur.

v. 1053 ſq. οὗτοι — τρίβειν] Ordo verborum eſt: οὗτοι σχολὴ ἐμοὶ ἐστὶ παρὰ τήνδε θυραῖαν τρίβειν, *profecto mihi otium non eſt, hic ante fores circa eam morari.*

v. 1057 ſqq. σὺ — χερί.] *Tu vero ſi quid factura es imperatorum, noli tergiverſari; ſin autem ignara ſis linguae noſtrae, ideoque ea quae dixi haud capias, certe vocis loco barbara manu fare.* Iſta dicens regina ipſa nutu, vultu, geſtu ſermonem adjuvabat.

v. 1061. τρόπος] Antequam enim iſta dicerentur, Caſſandra in curru ſedens variis geſtibus, e. c. oculos diſtorquendo, manus jactando furorem expreſſerat. Unde Chorus mores ejus ferae recens captae ſimiles dicit.

v. 1062. κακῶν κλύει φρενῶν] *mentis laeſae cluit;* intp. Stanlejus. Enimvero κλύει parum hic aptum eſſe nobis videtur. Fortaſſe legendum θύει. *Sane inſanit illa quidem, malae quoque mentis furore.*

v. 1064 ſq. χαλινὸν — μένος.] *frena autem tolerare neſcit, antequam cum cruore furorem deſpumaverit.* Haud obſcure Clytaemneſtra inſtantem Caſſandrae caedem tangit; comparatione ab equo ferociori ſumta, qui lupatis frenis coërcendus eſt, ita ut cum ſpuma ſanguis etiam ex ore ſequatur.

v. 1066. οὐ μὴν . . .] Revocat ſe regina, ne plura quam opus ſit proloquatur; ut ſupra idem a Choro animadverſum vidimus v. 1023 ſqq. Quaeſita autem ineſt verbis ambiguitas. Nam et hunc admittunt ſenſum: *Non tamen plura verba faciens;* quaſi alienum id a dignitate ſua dicat; et vero etiam ſic reddi poſſunt: *non ego tamen plura eloquendo in reprehenſionem incurram,* quod ſcil. temere conſilia effutiendo me ipſam prodiderim.

## IN SCENAM XIII.

*v.* 1067—1341.

v. 1069. καίνισαν ζυγόν·] *Cedens huic neceſſitati novo jugo adſueſce.*

v. 1070.

v. 1070. Inconditus iſte clamor, et Apollinis invocatio repente et ex improviſo terrent auditoris animum, praeſertim cum eaedem voces mox repetantur.

v. 1072. ἀνωτότυξας] „Heſych. ὀτοτύζειν· θρηνεῖν. Caſſandrae exclamanti ὀτοτοῖ, regerit Chorus Τί ταῦτ ἀνωτότυξας; *Quorſum illud* ototoi *effers?* Pari modo v. 1309. Κασσ. Φεῦ, φεῦ. Χορ. Τί τοῦτ' ἔφευξας, *Quare Pheu exclamas?* ut ab ὀτοτοῖ ὀτοτύζω, ſic a Φεῦ verbum novum confinxit Aeſchylus; etenim ab imperfectis vocabulis vel exclamandi vel lugendi ſaepe ſunt verba; ſic ab ὠὴ ὠή, quod θαυμαστικὸν eſt, finxit Ariſtophanes verbum ὠΐζω. Ab αἰ αἰ, lugendi particula, fit αἰαίζω." *Stanl.*

v. 1073. ὥςτε θρήνητοῦ τυχεῖν] Nempe Apollinem jucundis tantum rebus intereſſe, nec aliis quam laetis carminibus celebrari, a luctu autem et lamentatione abhorrere credebant. Cf. Callimach. hymn. in Apoll. v. 20 ſqq.

v. 1080. οὐ μόλις, *propemodum, planiſſime.*

τὸ δεύτερον] Loquitur de imminente ſibi pernicie. Primo autem loco, ut afflicta fuerit ab Apolline, ipſa narratura eſt infra v. 1218 ſqq.

v. 1084. Paronomaſias h. l., ut ſaepius, captat Aeſchylus. Itaque Caſſandra Apollinem interpretatur τὸν ἀπολέσαντα αὐτήν, quemadmodum Euripides in fragm. Phaëthontis apud Macrob. Sat. I. 17.

Ὦ χρυσοφεγγὲς ἥλι', ὥς μ' ἀπώλεσας
Ὄθεν σ' Ἀπόλλων ἐμφανῶς κλήσει βροτός.

Eodem modo cognomen Ἀγυιεὺς transfert ad *deducendi* (ἄγειν) ſignificatum.

v. 1088. Poſtquam Chorus Caſſandrae exclamationem, πρὸς ποίαν στέγην, quam ei indignatio expreſſerat, ab ignorantia profectam eſſe opinatus, reſponderat: *Ad Atridarum domum veniſti*, Caſſandra ſtatim reponit: *Ad domum igitur veni diis inviſam, multarum ex mutuis caedi-*

*bus calamitatum, multorum suspendiorum sibi consciam, ad domum, inquam, viri* (sc. Agamemnonis) *macellum, ad domum, quae solum sanguine respergit.* Vulgatam lectionem πέδον ῥαντήριον Stanl. exp. sanguine respersum. Verum analogia adjectivis in ηριος definentibus activam vim tribuit. Quamobrem πέδου rescribendum esse duxi. Fortasse autem in πέδου latet aliud vocabulum, ut φόνου aut simile.

v. 1090. ἀνδρὸς σφαγεῖον] „Thyestes apud Senecam Agamemnonis caedem item praesagiens:

*Jam jam natabit sanguine alterno domus,*
*Enses, secures, tela, divisum gravi*
*Ictu bipennis regium video caput,*
*Jam scelera prope sunt, jam dolus, caedes, cruor.*

Enimvero ipse Agamemnon internecionem suam Ulysси exponens Odyss. lib. XI. inquit δάπεδον δ' ἅπαν αἵματι θῆεν." *Stanl.*

v. 1091 sq. ἔοικεν φόνον.] *Peregrina illa canis instar venaticae sagax esse videtur, et quorum caedem inveniet odorari.* Stanlejus vertit: *et praesagit eam quam inveniet caedem*, quasi legeretur ὃν ἂν ἐφευρήσει φόνον. Sed praestat lectio librorum ὧν ἐφευρήσει. Aeschylus enim, ut alias, consulto Chorum induxit ambiguis verbis utentem, ut, utrum de pristinis tantum caedibus, an etiam de instante Agamemnonis caede loqueretur, incertum esset.

v. 1093 sqq. Cassandra divino mentis instinctu afflata, quasi oculis videre videtur pueros Thyestis, quos Atreus necaverat, patrique epulandos praebuerat.

v. 1094. κλαιομένα] umbras nimirum puerorum querentes caedem suam. Sic in Raphaëlis nobilissimi pictoris tabula, in qua extremum judicium pinxit, martyres quoque surgunt, alius cutem sibi detractam ferens, alius cratem ferream, in qua a carnificibus tostus erat, ostentans etc.

v. 1096. ἴδμεν — πεπυσμένοι] vel: *novimus te artem vaticinandi bene callere, dudum enim id fama accepimus,*

ut,

ut, jam antequam Caſſandra adveniſſet, eam vatem eſſe ſenes audiverint; cui quidem interpretationi favere videtur v. 1082; vel: *Jam novimus te vatem eſſe, ipſa re experti*, quandoquidem te quae olim hic acciderint ſcire, et quae futura ſint profeſſa es. Utrum melius ſit, definire vix auſim. Prior tamen ratio preſſius poetae verba ſequitur.

v. 1098 ſqq. ἰὼ — ἀποστατεῖ] *Eheu, quid tandem* illa ſcil. Clytaemneſtra *molitur? Ecquod novum et magnum* doloris *onus, quam vero in ipſis aedibus calamitatem magnam, amicis intolerabilem, infanabilem molitur? Ille autem, qui propulſare poſſit*, ſcil. Oreſtes, *procul abeſt.*

v. 1103 ſq. Conſulto Chorus ſe Caſſandrae vaticinia intelligere diſſimulat. ἐκεῖνα pertinet ad ea, quae Caſſandra v. 1093 ſqq. de coena Thyeſtea dixerat.

v. 1105. Jam Caſſandra inſidias Agamemnoni paratas quaſi oculis videre videtur. *Heu*, inquit, mulier *infelix, iſtoccine igitur paras maritum tori ſocium lavacris recreatura? Quomodo tandem exitum* facinoris *eloquar? Mox enim patrabitur. Celeriter enim prae ſtudio manus alternas tendit.* Haec de celeritate, qua Clytaemneſtra in caedendo marito utebatur, accipio.

v. 1110. οὔπω ξυνῆκα· νῦν] νῦν h. l. haud ſatis aptum eſt; jam enim antea Chorus obſcura ſibi eſſe Caſſandrae dicta queſtus fuerat. Senſus poſtulat *dudum*, ut adeo θήν pro νῦν legendum eſſe nobis videatur. *Nondum*, inquit Chorus, *intelleximus; dudum enim oraculis propter aenigmata verborum caecatis incerti ſumus*, quem ſcil. iis ſenſum tribuamus.

v. 1112 ſqq. Notum eſt, Agamemnonem ab uxore ad balneum veſte inextricabili irretitum fuiſſe, ut facilius trucidari poſſet. Hanc veſtem Caſſandra divina mente concitata oculis cernere videtur. *Eheu, quid tandem illud eſt, quod video? Num everriculum quoddam Orci? Imo vero rete eſt*, veſtis *ſomni ſocia, ſocia caedis adminiſtra.*

*ſtra.* Vulgo ξύνευνος de Clytaemneſtra intelligitur; parum commode. Eam enim vix ξυναιτίαν φόνου appellaſſet Caſſandra, utpote quae primaria caedis cauſa eſſet. Itaque mihi quidem poſt ξύνευνος tacite ſupplendum videtur ἐσθῆς, veſte enim dormitoria irretiebatur Agamemnon. Haec igitur aptiſſime ξύνευνος, nec minus commode ξυναιτία φόνου dici poterat.

v. 1115 ſq. στάσις — λευσίμου] Stanlejus intp. *ſimultas inexplebilis erga hoc genus exulcet victimae morti deſtinatae ergo.* Verum στάσις h. l. *chorum* ſignificat, quod aperte colligitur e Chori reſponſo; nec lectio verſiculi ſatis integra eſt. Legendum enim:

στάσις ὁ' ἀκορέτῳ γένει
Κατολολυξάτω θύματος λευσίμου.

*Chorus autem huic generi* (ſaevae Pelopidarum genti) *mala precetur, inſatiabili caedium lapidatione dignarum.* Θῦμα λεύσιμον, quod Heathius intellexit, eſt ſacrificium dignum quod lapidatione puniatur. *Sacrificium* autem pro *caede* dicitur. Bothius edidit

Στάσις ὁ' ἀκόρετος γένει.
Κατολολύξατ', ὦ, θύματος λευσίμου.

et ſic vertit: *inſatiabilis vero huic generi diſcordia eſt. Ululate, o, propter ſacrificium lapidatione dignum.*

v. 1117 ſq. ποίαν — ἐπορθιάζειν;] *Qualem furiam,* furialem cantum, imprecationem, ſ. quales tandem diras *huic Pelopidarum domui me jubes exordiri,* ſ. *occinere?*

v. 1119 ſqq. His verbis ineſt ſummi timoris et anxietatis deſcriptio. *Praecordia autem noſtra invadit gutta croco tincta* (ex flavae bilis, ut tum putabant, in ſanguinem effuſione), *qualis etiam iis qui in praelio cadunt,* eorum ſcil. oculis offuſa, *occidentis vitae radios condit.* ξυνοντεῖν non ad αὐγὰς tantam, ſed etiam ſimul ad βίου δύντος referendum; q. d. mortem eorum comitari et quaſi adjuvare ſolet. Ut enim iis, qui λειποθυμίαν patiuntur, ſic moribundis fere accidit, ut oculis eorum varii colores

of-

offundantur. Noſtri dicunt: *Es wird ihm grün und gelb vor den Augen.* Ceterum Twinningius in Ariſtot. Poët. p. 443. ſic legendum arbitratur:

ἅτε καὶ δορὶ πτωσιμοὺς
ξυναυυτεῖ βίου δύντος αὐγαῖς

Bothius e conjectura pro ξυναυυτεῖ dedit ξυνανθεῖ — αὐγαῖς.

v. 1124 ſqq. *Heu, heu! ecce, ecce! amove, libera taurum a vacca,* (i. e. Agamemnonem ab uxore) *haec enim illum in velamine* irretitum *infeſto telo petit; cadit autem* ille *in aquali vaſe*; in *lavacro.* μελαγκέρῳ μηχανήματι accipio de *bipenni corneo manubrio inſtructa;* ut apud Polluc. X. μαχαίραι κεράτιναι occurrunt. Delectum vero eſſe epitheton et ad ambiguitatem allegoriae exquiſitum, facile intelligitur.

v. 1128. δολοφόνου — λέγω.] *Narro tibi lebetis inſidioſam* Agamemnoni *caedem afferentis caſum.*

v. 1131 ſq. ἀπὸ — στέλλεται;] Interrogationem latinus interpres hic non agnoſcens vertit: *Ex oraculis quidem bonus aliquando nuntius mortalibus advenit.* Verius autem eſt, ſic exponere Chori verba: *Haud equidem glorior optimus oraculorum interpres eſſe, veruntamen hic mali neſcio quid portendi videtur. Quis autem bonus ex oraculis nuntius mortalibus venit? Semper enim annoſae,* vetuſtae, *vatum artes afferunt* ſ. nuntiant nobis aliquid *unde timeamus,* mala ſemper nobis praenuntiant. Eccui h. l. non in mentem veniat Agamemnonis illa apud Homerum querela:

Μάντι κακῶν οὐ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας,
Αἰεί τοι τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι,
ἐσθλὸν δ' οὐδέ τι πω εἶπας ἔπος, οὐδ' ἐτέλεσσας.

v. 1135 ſqq. ἰὼ — τί γάρ;] *Hei, hei! o miſeram me! o infelices caſus meos! Meam enim jam queror cum lacrymis calamitatem! Cur enim me,* o Agamemnon, *infelicem huc abduxiſti! Nempe haud alio conſilio, quam ut una tecum morerer. Quid enim?*

v. 1140 ſqq. Φρενομανὴς — βίον.] *Sane furore percita es, et divino inſtinctu afflata, utpote quae de te ipſa infauſtam cantilenam canas, qualis arguta, nullum vociferationi modum ponens luſcinia, quae per totam vitam malis circumdatam Ityn flebiliter luget.* Notam, quae hic tangitur, fabulam fuſe perſequitur Ovidius Metamorph. VI. 420 ſqq.

v. 1142. ξουθὰ] „Interpres *delicata*; referam potius ad ſonum, idem ut ſit, quod λιγεῖα mox v. 1147. ſ. ὀξεῖα. Vid. Heſych. et Miſc. obſſ. Vol. IV. T. I. p. 10. Adde Eurip. Helen. v. 1117. De comparatione calamitatum a lugubri luſciniae cantu quae peti ſolet, vide Spanhem. ad Callim. H. Pallad. v. 94." *Abreſch.*

v. 1146 ſqq. *Hei hei vocalis philomelae ſortem mihi narras;* quae ad meam comparata nimis invidenda eſt; *etenim ei dii corpus plumis veſtitum circumdederunt, dulcemque vitam ſine luctu et gemitu conceſſerunt; me autem nihil aliud manet, quam ut ancipiti ferro trucider.*

v. 1156 ſqq. πόθεν — κακορρήμονας; *Unde tandem tibi veniunt vani iſti angores vehementer in te irruentes, divinitus afflati? Unde illud eſt, quod iſta, terroris plena infauſtaque voce, ſimul cum acutiſſima modulatione canis? quis tandem tibi male ominatam divinam viam definiit;* h. e. quis tibi male ominatorum carminum modos praecipit? ὅροι ὁδοῦ h. l. poëtice, quemadmodum apud Pindar. Ol. 8. 92. ἔγειρε ἐπέων οἶμον λιγύν.

v. 1163 ſqq. Poſtquam Caſſandra ſe mox circa Cocytum et Acherontis ripas vaticinaturam eſſe dixerat, Chorus tam claro vaticinio perculſus: *Quid ſibi velit*, inquit, *tam clarum quod protuliſti oraculum, vel puer aliquis intellexerit. Sed ego me ſub praecordiis cruento* terroris *morſu vulneratum ſentio, cum tu flebilia miſerandae calamitatis mala lamentaris, quae* quidem voces tuae *me audientem prorſus frangunt atque comminuunt.* Pro vulgato νεογνὸς ἀνθρώπων μάθοι neceſſario ſcribendum erat νεογνὸς ἂν

ἂν ἀνθρώπων μάθοι, quod in ed. minore receperam et nuper ascivit Bothius.

v. 1168 sqq. *Heu, heu labores civitatis funditus perditae! Heu patris sacrificia antemurana, quae tot pecudes pascuarias jugularunt, nullum autem omnino remedium attulerunt, quo minus urbs, ita ut nunc est, affecta esset. Ego vero quam mox calorem vitalem*, i. e. sanguinem, *in terram profundam!*

v. 1177. θανατοφόρα] Melius fuerit colon pro interrogandi signo hic substituere, nervosior enim sic fiat oratio. Sensus: *Consentanea superioribus haec addidisti: Etenim malevolus aliquis deus nimisque molestus in te irruit, teque luctuosas mortiferasque calamitates canere cogit; ecquis autem finis futurus sit, ignoro.*

v. 1179 sqq. Ut in his allegoricae dictionis veritas intelligatur, notandum est vaticinia cum vento comparari, qui modo nubilus est, ut Notus, modo serenus, ut Zephyrus. Vertendum igitur: *Jam vero oraculum meum*, s. sermo propheticus, *non amplius, recens nuptae instar, e velamine prospiciet, sed clarius effulgens* tanquam Zephyrus *versus solis ortum flans irruet, ut fluctus* decumani *ritu hac quae nunc est calamitate multo major adversus solem effervescat.* Scilicet hoc est κλύζειν πρὸς αὐγάς. Vulg. lectio κλύειν h. l. omnes interpretes a vero verborum sensu abduxit. Ineptum etiam fuerit, quod Heathio in mentem venit, πρὸς αὐγὰς cum τοῦδε πήματος construere. Imo haec est verborum junctura: ὥστε πῆμα τοῦδε πήματος πολὺ μεῖζον, κύματος οἵκην κλύζειν πρὸς αὐγὰς ἡλίου. Quemadmodum enim Zephyro vehementius irruente mare claro coelo versus orientem solem intumescit, ut undarum strepitus non audiri solum, sed oculis cerni possit, ita nunc ait Cassandra se clarius vaticinaturam, ut ingentes calamitatum fluctus, qui jam immineant, apertius a Choro intelligantur. Sed in imagine illa conformanda

manda respexisse videtur Aeschylus Homericam similitudinem, qua vix alia est nobilior:

Ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχεῖ κῦμα θαλάσσης
Ὄρνυτ' ἐπασσύτερον Ζεφύρου ὑποκινήσαντος,
Πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Χερσῷ ῥιγνύμενον, μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας
Κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἀχνην.

cf. etiam Sophocl. Antig. v. 587 sqq. et Brunck.

v. 1185 sq. καὶ — πεπραγμένων] Imago ducitur a cane venatica ferae vestigia naribus indagante. Postulat autem Cassandra, ut Chorus sibi testetur, se in memorandis pristinis Pelopidarum familiae calamitatibus haud falsam fuisse.

v. 1187 sqq. τὴν γὰρ — ὑγιεῖς] *Etenim aedes hasce nunquam relinquit Chorus* furiarum *inter se quidem concinens, haud suavem tamen sonum edens; non enim fausta vociferatur. Praeter istas vero cognatas furias, manet in aedibus Pelopidarum Comus infelici omine huc missus, et sanguine quidem humano, ut ad audendum promtior fit, inebriatus. Canunt autem furiae aedibus assidentes principem noxam* (Myrtili caedem), *vicissim vero abominatae sunt fratris* (Atrei) *torum conjugalem* conculcatum s. violatum *conculcanti* Thyestae, qui Aëropen Atrei uxorem vitiaverat, *infaustum* atque exitialem, propterea quod Atreus adulterum diris modis ulciscebatur, liberorum ejus a se mactatorum carnes ei comedendas praebens.

v. 1190. Κῶμος] hunc deum comessationum praesidem ideo socium adjungit furiis, quod ex coena illa Thyestea mortiferum inter Atrei et Thyestae genus odium vehementius incensum erat.

v. 1193. πρώταρχον ἄτην] Recte, ut opinor, Heathius hanc primam noxam interpretatur, Myrtili caedem a Pelope patratam; conferri jubens Sophocl. Elect. 506—527. Eurip. Orest. 992—999.

v. 1195.

v. 1195 ſqq. ἥμαρτον — δόμων.] *Num aberravi; an tanquam ſagittarius ſcopum attigi? Num falſa vates ſum, quaſi quaedam nugatrix januas pulſans*, ſtipem nempe, ut aniculae fatidicae ſolebant, pro vaticiniis petitura? *Quin tu potius jure jurando mihi teſtare, me antiqua harum aedium piacula fatis intelligere, ut vere eloqui poſſim.* Pro θυροκόπος Toupius ad Suid. T. IV. p. 102. emendat θυοσκόος.

v. 1199 ſq. καὶ — γένοιτο;] *Sed quidnam hic juramentum vel ſanctiſſime juratum profuerit?* Nihil enim ideo malis decedet, etiamſi nos te ea vere intellexiſſe juraverimus.

v. 1200 ſqq. Si nihil hic a librariis omiſſum eſſe ſtatuamus, ἀλλόθρουν πόλιν dictum erit pro κατ' ἀλλόθρουν πόλιν, hoc ſenſu: miramur autem, te ultra mare educatam, in urbe, peregrina lingua utente, ita jam apud nos loqui, quaſi iſtis rebus interfuiſſes. Sed opinor, inter ἀλλόθρουν et πόλιν quaedam intercidiſſe, ita ut Chorus dixerit: *Miramur te trans mare educatam, aliena lingua utentem*, tamen et Graece loqui, et de rebus in hac *urbe* geſtis *ita dicere, quaſi iis interfuiſſes.* Bothius tamen reſcripſit ἀλλοθρούπολιν.

v. 1203 ſq. μάντις — τάδε] *Vates Apollo me huic muneri praefecit. Antea quidem pudor erat haec dicere*, pudebat me amoris Apollinis erga me mentionem facere; nunc vero pudorem ſcil. exui, morti propinqua. Nimirum poſt λέγειν τάδε apoſiopeſis nobis eſſe videtur, ita ut fecimus ſupplenda.

v. 1205. μᾶν πεπληγμένος;] *Ain tu? an etiam* Apollo, *quamvis deus* eſſet, *tamen amore* mortalis puellae *ictus eſt?*

v. 1206. Ἀβρύνεται — πλέον] Hunc verſiculum Caſſandrae attribuendum cenſui. Cauſam nimirum affert, cur mirandum non ſit, Apollinem quoque amoribus obnoxium fuiſſe. *Nimirum unusquisque, qui fortunatus ac beatus*

*tus est, promtus est ad lasciviam. Sed ille luctator erat multum mea causa laborans (er war ein Kämpfer, der sich um mich viel Mühe gab).*

v. 1209. Quaerenti Choro, an etiam Apollini mariti jura concesserit, respondet Cassandra, se pollicitam quidem hoc esse deo, verum eum postea fraudatam. cf. Lycophr. v. 348.

v. 1212. πῶς δῆτ' — κότῳ; *Sed quid tandem? An impunis mansisti ab Apollinis ira?* Hoc negat Cassandra, ajens, hanc poenam sibi fuisse ab Apolline constitutam, ut nemini ea, quae praediceret, persuaderet. Res nota.

v. 1217. Iterum divino furore se corripi sentit Cassandra. στροβεῖ bene, *circumagit, agitat.* Sed cum ista pronuntiabantur in scena, gestus etiam furorem declarantes accedebant, quos graphice depingit Chorus apud Senecam Agam. v. 700 sqq.

*Silet repente Phoebas, et pallor genas*
*Creberque totum possidet corpus tremor.*
*Stetere vittae. Mollis horrescit coma,*
*Anhela corda murmure incluso fremunt.*
*Incerta nutant lumina, et versi retro*
*Torquentur oculi. Rursus immites rigent!*
*Nunc levat in auras altior solito caput*
*Graditurque celsa; nunc reluctantes parat*
*Referare fauces; verba nunc cluso male*
*Custodit ore, Maenas impatiens dei.*

φρσιμίοις ἐφημίοις, vel, ut equidem rectius legendum opinor, φρσιμίων εὐφημίαις, *praeludentibus querelis*, pertinet ad illas exclamationes ἰού, ἰού, etc. qui furoris impetum antecedebant. εὐφημίαις autem olim κατ' ἀντίφρασιν pro *querelis* s. *lamentationibus* positum fuisse, docet Hesychius: Εὐφήμοις, γόοις, δυσφήμοις κατὰ ἀντίφρασιν, Αἰσχύλος Γλαύκῳ ποτνιεῖ. Idem: Εὐφημοῦσι, στένουσι, κωκύουσι κατὰ ἀντίφρασιν. Recte addidit Abreschius Soph. Elect. v. 633., ubi εὔφημος βοὴ de *querulo et infausto clamore*; itemque nostri Agam. v. 1248., ubi εὔφημον στόμα eodem sensu dicitur.

v. 1218.

v. 1218. Caſſandrae offertur viſum, quod ei oſtendit juvenum umbras aedibus Atrei aſſidentes, Thyeſtae pueris ad ſpeciem ſimiles, ac viſcera carnesque a patre guſtatas oſtentantes. *Videte*, inquit, *hosce juvenes aedibus aſſidentes, ſomniorum ſpectris ſimiles; quaſi pueri illi mactati ab amicis* (ab Atreo) *implent manus carnium domeſtico cibo*, h. e., manibus tenent oſſa carnium, quas Atreus propinquis, οἰκείοις, parenti praeſertim comedendas praebuit; *cumque inteſtinis viſcera, miſerabile ferculum oſtentant, quae pater ipſorum deguſtavit.* Haud male horribilem illam imaginem expreſſit Francogallus interpres, alias nimium ſaepe hallucinatus: *Voyez-vous à la porte de ce palais ces enfans ſemblables à des phantômes nocturnes? Ceux qui devoient les chérir les ont maſſacrés! Ils portent dans leurs mains leurs entrailles et leurs propres chairs, mets effroyables, dont leur père s'eſt nourri.*

v. 1224. ἐκ τῶνδε] i. e., ex hoc piaculo illa calamitas oritur. Nempe diuae Thyeſteae, quibus fratris domum devoverat, Agamemnonem in illam Iphigeniae immolandae neceſſitatem adegerant; ob Iphigeniae caedem jam ultura erat maritum Clytaemneſtra. Cf. v. 1502. Senſus itaque hic eſt: Inde igitur fit, ut leo quidam imbellis in lecto (Agamemnonis) volutatus, domi deſidens, ultionem meditetur venienti domino meo. Pulchra mulieris caedem marito parantis deſcriptio, et aptis verborum involucris tecta.

v. 1228 ſqq. Admirabile eſt, quantum indignationis fervorem iſta ſpirent: *Navium vero dux, Trojae expugnator ignorat, qualia iſtius canis odio digniſſimae lingua, cum tam multa diceret et hilaritatis ſpecie blandiens exſequeretur, Ates cujusdam clandeſtinae ritu infeliciter paratura ſit. Talia inquam facinora mulier molitur, viri interfectrix! Quo igitur nomine inviſum illud monſtrum appellem? Amphisbaenamne, an Scyllam aliquam in ſcopulis habitantem, nautarum cladem? Utpote quae Orci matri ſacrificet, et*

*implacabiles diras amicis ſpiret. Quantum vero mulier illa projectae audaciae exſultabat, tanquam victoria potita! Atque interim ſpeciem laetitiae ob felicem mariti reditum prae ſe ferre non dubitabat.*

v. 1236. Θύουσαν ᾅδου μητέρ'] Potterus ad Lycophr. v. 1188. recte caſtigavit interpretem latinum, qui vertit iſta: *furentem Orci matrem*, cum debuiſſet reddere: *Orci matri ſacrificantem.* Significare videtur Caſſandra Clytaemneſtram illa ſacrificia non pro Agamemnonis ſalute, ſed ad eum morti devovendum, feciſſe; ideoque addit ἄσπονδον τ' ἀρὰν φίλοις πνέουσαν, diras et imprecationes libationis expertes amicis (ut h. l. Agamemnoni) *ſpirantem.* Ac fortaſſe Aeſchylus reſpexit illa Clytaemneſtrae verba v. 602 ſqq.

ὅμως δ' ἔθυον, καὶ γυναικείῳ νόμῳ
ὀλολυγμὸν ἄλλοι ἄλλοθεν κατὰ πτόλιν
ἔλασκον εὐφημοῦντες etc.

v. 1240. ὅμοιον] Abreſchius ſupplet ἐστὶ, q. d. *perinde eſt, ſi non perſuadeam.* Verius tamen fortaſſe ὅμοιον int. ὁμοίως, et apodoſin poſt πείθω reticeri dicas. *Et horum quidem ſi quid ſimiliter*, ut alias, *non perſuadeam*, ſc. nihil mea refert. *Quid enim? Venient futura. Tuque praeſens me cito cum miſeratione nimis veram vatem fuiſſe dices.* Adjecto οἰκτείρας pedetentim ad ſuam ipſius caedem praedicendam accedit.

v. 1243 ſqq. *Thyeſtae quidem epulas ex filiorum carnibus* cum te dicentem audiebam, ſatis *intellexi, et cohorrui, et metus me occupat, cum* te *vera* dicere, *haud* vanas *conjecturas* eloqui *audio. Sed reliquis*, quae de inſtante viri caede addidiſti, *auditis, prorſus e curſu devius erro;* h. e., de ſtatu mentis dejectus ſum, ut, quid cogitem, neſciam.

v. 1248. *Male ominata verba fundentem linguam o miſera coërce.*

v. 1249.

v. 1249. ἀλλ' οὔτι — λόγῳ] Quid coërceam? *Non enim eſt, qui iis, quae dico* eventura eſſe, *medelam afferat.*

v. 1250. ! οὐκ — πως] *Non quidem ſi futura ſint,* quae dicis, *verum ne eveniant precamur.*

v. 1251. σὺ — μέλει] *Tu quidem* illam calamitatem deprecaris; *ſed illis*, Clytaemneſtrae et Aegiſtho, *curae eſt, ut occidant* regem.

v. 1253. Quoniam Chorus quaeſiverat, quonam a *viro* tale ac tantum ſacinus patraretur, Caſſandra eum ait multum a vero oraculorum ſuorum ſenſu aberraſſe.

v. 1256. Chorus non negat Caſſandram oraculorum (haec enim ſunt πυθόχρανται) apprime peritam eſſe, nihilo tamen ſecius obſcura ſibi contendit ejus vaticinia.

v. 1257. Novo furoris acceſſu tentatur Caſſandra, quem *ignibus admotis* comparat.

v. 1259 ſqq. αὕτη — φόνον.] *Bipes illa leaena* Clytaemneſtra *cubans cum lupo* Aegiſtho, *generoſi leonis per abſentiam*, i. e., quo tempore maritum Troja detinebat, *me infelicem occidet; et quaſi medicamentum parans mei quoque mercedem*, i. e., meae quoque caedis fructum, *imponet irae inveteratae;* nimirum ſe placari non aliter poſſe exiſtimans, niſi me quoque morti dederit. *Gloriatur enim, dum in maritum gladium acuit, ſe ei, propterea quod me* pellicem *adduxerit, caedem retribuere.*

v. 1265. *Quid igitur illa mei ludibria ſervo, ſceptra iſta et fatidicas circa collum corollas? Haec potius ante obitum meum disperdam. Ite in malam rem, cadentia; bona enim*, qualia mihi attuliſtis ſcilicet, *referam; aliam jam* virginem aut *mulierem mei vice ditate*, i. e., damno afficite. Nempe hic eſt ſenſus emendatae ab Heathio lectionis.

v. 1270. Hic fingitur ſubito Apollinis impetu veſtem fatidicam Caſſandrae decidere. *Ecce autem adeſt*

*Apollo, qui me ipſe ſacra veſte exuit. Vidiſti autem me,* o Apollo: *in his ornamentis irriſam inter amicos, cum ab hoſtibus obſeſſi eſſent, quamquam haud ambiguum eſt, iſtum riſum fruſtra fuiſſe,* meque indignam, quae ab iis riderer.

v. 1274 ſq. κἀλωμένη — ἠνεσχόμην.] *Ego vero interim oberrans ſicut vagabunda circulatrix paupertatem, miſeriam, mortis a fame periculum ſuſtinebam.*

v. 1276 ſqq. καὶ νῦν — προσφάγματι.] *At nunc quidem vates* Apollo *vatem me ulciſcens in hanc mortiferam calamitatem me deduxit. Paternae autem arae loco truncus me culinarius manet,* qui *calidus* fiet *caeſae ſanguinaria caede.* Nempe truncum illum cruore reſperſum iri praeſagit. Hemſterhuſ. ad Luciani dial. mortuor. X. 9. p. 371. legit μ' ἄντ' ἐπιξηνον μένει. Sed με poteſt ex antecedentibus intelligi. Expreſſi autem lectionem θερμὸν, quam vulgata veriorem puto.

v. 1280 ſqq. οὐ μὴν — πατρὸς.] *Nec tamen inultae a diis moriemur. Alius enim viciſſim noſtrae caedis ultor veniet* (Oreſtes), *filius matricida, paternae caedis vindex; hic,* inquam, qui *nunc exſul procul ab hac terra hoſpes erat, accedet, hasce calamitates amicis finiturus, adducet autem eum jacentis patris reſupinatio;* h. e., caede patris audita domum properabit.

v. 1284. θριγκώσων] „Θρίγκοι ſunt domus vel muri pinnacula ſive pinnae; ita θριγκόω eſt coronam vel faſtigium aedificio imponere. Vid. Eurip. Iph. in Taur. v. 74. Troad. 489. Herc. Fur. 1280. Revera enim Oreſtes coronidem calamitatibus Pelopidarum impoſuit, facinusque ab eo patratum ultimum erat iſtius domus infortunium." *Heath.*

v. 1286. ἐκ θεῶν eſt *deorum juſſu;* ſive ex Apollinis oraculo, quod Oreſtem juſſit patris caedem occidenda matre ulciſci.

ὅρκος

ὅρκος] Sunt illa πιστὰ Oreſtis εὐορκώματα, quae Pylades ei in memoriam revocat Choëph. v. 892.

v. 1287. κάτοικος] *hic ante aedes*, ut ſupra θυραῖος v. 1053.

v. 1292. Ἅιδου πύλας] Gravi metaphora ſic appellat aedium Atridarum fores, utpote in quibus mortem obitura erat.

v. 1293. ἐπεύχομαι] „Imitatus eſt Sophocl. Ajac. v. 347.

καλῶ δ' ἅμα
Πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον εὖ με κοιμίσαι
Ξὺν ἀσφαδάστῳ καὶ ταχεῖ πηδήματι." *Abreſch.*

v. 1298 ſq. θεηλάτου βοὸς δίκην] Videtur potiſſimum ad buculam illam reſpici, quae Cadmo viam ad locum, ubi Thebae ab eo condendae erant, monſtraverat, ac deinde ab eo immolabatur.

v. 1300. οὐκ ἔστ' — πλέων.] *Non magis eſt auxilii ac ſalutis, quam temporis* ad elabendum *copia.*

v. 1301. πρεσβεύεται] *Attamen, qui poſtremus eſt, aliquid certe a tempore lucratur. Der Letzte hat's in ſolchen Fällen immer am beſten.*

v. 1304. 1305. Caſſandra: *Veruntamen gratum eſt mortali*, ſi moriendum ſit, *decore mori.* Chorus: *Felicium vero nemo haec audit*: h. e., qui beati et fortunati ſunt, valde hoc decoris genus deprecantur, eoque ſe libenter carere fatentur.

v. 1307. ἀποστρέφει] Nempe cum iſta ἰὼ — τέκνων pronuntiaret Caſſandra, geſtu ſimul timorem exprimebat, ac ſe trepida huc illuc vertebat.

v. 1309. στύγος] *niſi ſit aliquid, quod averſeris, quod tibi nauſeam faciat.*

v. 1311. καὶ — ἐφεστίων] Vel ſic interpungendum:
καὶ πῶς; τόδ' ὄζει θυμάτων ἐφεστίων;

*Et quomodo tandem? Num forte hic odor afflatur ex hoſtiis ad focum caeſis*; vel ſic:

καί πως τόδ' ὄζει θυμάτων ἐφεστίων,

*ac neſcio, quomodo hoc olet victimas ad focum caeſas.*

v. 1313. οὐ — λέγεις] *Peſſimum odorem narras, haud ſimilem unguento Syrio.*

v. 1317. ἀλλ' ὡς —] *Verum mihi hoc, ut jam jam moriturae, teſtamini*, me ſcilicet intrepide ad mortem ſubeundam domum hanc intraſſe, *quando mulier* (Clytaemneſtra) *pro* (me) *muliere mortua fuerit, et vir* (Aegiſthus) *pro viro* (Agamemnone) *infauſtum conjugium adepto ceciderit.* Et iſte quidem verborum ſenſus exſtitit e vulgata lectione. Sed vide, quae mox dicentur ad v. 1320.

v. 1320. δυσδάμαρτος] Sunt, qui hoc pro nominativo accipiant et ad Aegiſthum referant. Verius autem genitivus habetur a forma δυσδάμαρ, ut Agamemnonis epitheton ſit.

v. 1321. ἐπιξενοῦμαι ταῦτα δ' ὡς θανουμένη] Hunc verſum nemo adhuc explicavit. Lat. interp. vertit: *haec dona hoſpitalia vobis relinquam, ut jam moritura.* At ἐπιξενοῦμαι ſic transitive poni non ſolet. ἐπιξενοῦσθαι eſt *hoſpitaliter accipi, hoſpitalibus donis honorari.* ἐπιξενοῦμαι ταῦτα igitur vertendum potius erat: *haec dona hoſpitalia aufero.* Sed locus ſane difficilis optime explanabitur, ſi v. 1318. pro θανούσῃ legamus μαθούσῃ, Caſſandramque id a Choro petere ſtatuamus, ut ſe futuram Clytaemneſtrae Aegiſthique ſortem recte praevidiſſe ſibi olim teſtentur. Qua quidem ratione ſic procedet ſententia: *Non tamen ego, tanquam avicula circa virgultum*, (in quo *ſcil.* aucupis inſidias metuit) *timida trepido: quin potius vos me illud bene intellexiſſe ac praevidiſſe teſtamini, quando mulier pro me muliere*, ad mortem meam ulciſcendam, *occiderit, virque pro viro, quem uxor perdidit, occubuerit. Et haec equidem* (hasce, quae inimicis meis impendent,

poe-

poenas) *tanquam dona hoſpitalia accipio moritura;* aeque mihi haec morituraе grata ſunt, ac hoſpiti munera, quae ei offeruntur. Recordentur lectores dona hoſpitalia data fuiſſe hoſpitibus diſceſſum parantibus; ita magis elucebſcet imaginis veritas. Cf. v. 1280 ſqq. Et ut h. l. Caſſandra rogat Chorum, ut ſibi teſtetur, ſe praevidiſſe caedem Clytaemneſtrae et Aegiſthi futuram, ſic ſupra ab eo poſtulabat, ut ſibi jurato teſtaretur, ſe praeterita hujus domus ſcelera intelligere

Ἐκμαρτύρησον προυμόσας τὸ μ' εἰδέναι
Λόγῳ παλαιὰς τῶν δ' ἁμαρτίας δόμων.

v. 1324 ſqq. Vulgatam lectionem:

Ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ὁμοῦ

Heathius ita conſtruendum cenſet: ἐπεύχομαι δὲ ἡλίῳ πρὸς ὕστατον φῶς, τούτους, vel ἐκείνους τοὺς ἐμοὺς φονέας, τίνειν (ſcil. ποινὴν) τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις ἐχθροῖς οὖσιν τούτοις τοῖς ἐμοῖς φονεῦσι, ὁμοῦ ποινὴν ἐμοῦ δούλης θανούσης etc. Si quis igitur ſit, cui tortuoſa haec interpretandi ratio placeat, non impedio, quo minus in ea acquieſcat. Erunt tamen, ut ſpero, qui nobiscum ſic, ut edidimus, legere malint:

Ἐχθροὺς φονεῖς τ' ἐμοὺς δίκην τίνειν ἐμοῦ,

*ſolem autem, dum ultimam ejus lucem adſpicio, ſupplex invoco, ut inimici mei et percuſſores ultoribus meis poenas luant mei, hoc eſt, ancillae facili negotio interemtae.*

v. 1328 ſqq. ἰὼ — πολύ.] *Eheu res mortalium! triſtem hominum conditionem! Proſperitatem enim, ſi fuerit, vel umbra quaelibet everterit; ſin adverſae fuerint, madida, quae injecta fuerit, ſpongia ſcripturam delet;* h. e., adverſitatis adeo facile obliviſci ſolent homines, ut ejus memoria, tanquam ſcriptura ſpongia deleta, prorſus evaneſcat. *Atque haec equidem multo magis quam illa miſereor;* nempe quia, altior ſi eſſet infortuniorum memoria, melius iis ad ſapientiam animis informandam homines uterentur; nunc ne damnis quidem ſapere diſcunt,

ſcunt, quae tam celeriter oblivifcuntur. Miſerabilior igitur Caſſandrae videtur in hominibus cita malorum oblivio, quam bonae fortunae fragilitas; qua quidem ſententia nihil gravius ac ſublimius eſſe poteſt, nec fatidica virgine ad mortem abeunte dignius.

## IN SCENAM XIV.

*v.* 1332—1372.

v. 1332 ſqq. Caſſandram aedes ingreſſam hisce verbis proſequitur Chorus, quorum quidem occaſionem ex ultima ejus oratione capit. Repoſui autem Stanlejo auctore δακτυλόδεικτον pro vulg. δακτυλοδεικτῶν. Vulgatae hic ſenſus eſſet: *Bene quidem vivendi nulla ſatietas hominibus eſt; ab aedibus vero, quae* ob felicitatem *digitis* praetereuntium *monſtrantur, nemo te* facile *repellit et arcet*, nimirum quod divites fere hoſpitales eſſe ſolent; aptius tamen δακτυλόδεικτον· *hominem enim bona fortuna et divitiis inſignem nemo facile ab aedibus arcebit.*

v. 1335. μηκέτι — φωνῶν] haec non per enallagen generis ad Caſſandram, ut nonnulli volunt, ſed univerſe dicuntur: *attamen auctor ſum, ne talia vociferans intres.*

v. 1336 ſqq. καὶ τῷδε — ἀκούων;] *Et huic quidem* Agamemnoni *immortales urbes Priami ut expugnaret, dedere; et a diis honoratus*, rebus bene geſtis et laude bellica florens, *domum venit. Nunc autem ſi ei fatale fuerit, priorum*, eorum, qui olim in hac familia caeſi ſunt, *ſanguinem expiare, et ſi mortuis mortuus aliarum caedium poenas graviſſimas pendet, quis tandem mortalium, his auditis ſe ea conditione natum eſſe ſperaverit, ut vitam ſine calamitate transigat?*

v. 1342. Repente auditur Agamemnonis intus vulnerati ejulatio. Prudenter Aeſchylus inſtituit, ut caedes poſt ſcenam perageretur.

v. 1346.

v. 1346. In ſequenti Choricorum in duas partes discedentium diverbio ſenum quidem in regem benevolentia facile agnoſcitur, at promtus ad res gerendas et ſtrenuus animus valde deſideratur. Senilis autem eſt iſta trepidatio garrulitasque, nec ab hujus aetatis moribus abhorret.

v. 1347. τοῦργον] *res ipſa*, quam Caſſandra praedixerat, regis caedes.

v. 1350. πρὸς — βοὴν.] *clamore cives evocare, ut ad regiam concurrant.*

v. 1352. καὶ — ξίφει] *Et facinoris* auctores *convincere gladio recenti caede cruentato.* Suidas: Νεόρρυτος, νεωστὶ ῥέων.

v. 1354. τὸ μὴ μέλλειν δ' ἀκμή.] Recte Heathius interpretatur: *Nunc vero adeſt id temporis punctum, quando minime cunctari licet.*

v. 1355 ſq. ὁρᾷν πάρεστι] *Imo vero tempus inſtat videndi;* ſcil. rem geſtam gerendamve cognoſcendi. Fortaſſe tamen verius: τὸ ὁρᾷν πάρεστι.

Φροιμιάζονται — πόλει.] *Ita enim praeludere videntur ii, qui in eo ſunt, ut tyrannidis ſigna in civitate edant.* Nempe ὡς, ut opinor, cum acuto ſcribendum eſt, i. q. οὕτως. Vulgatam vero ſcripturam ſic exponit Latinus interpres: *exordiuntur enim quaſi tyrannidis ſigna molientes urbi.*

v. 1357 ſq. χρονίζομεν γὰρ — χερί.] Quid mirum? *Nos enim cunctamur? Illi autem qui ad futurae* ſcil. tyrannidis *honorem viam affectant, non dormiunt manu*, h. e., ſtrenue rem manibus gerunt. μελλούσης ad τυραννίδος referendum, niſi cum Pauwio malis μέλλοντος κλέους reponere, quod ſane duram, ut nunc eſt, verborum conſtructionem molliret. Heathius recte quidem judicavit, πέδον πατεῖν quaſi pro uno vocabulo accipiendum, ſed male vertit *proculcare*, i. e., contemnere. πέδον πατεῖν, ut apud Latinos *viam calcare*, eſt *in aliqua re verſari, ad aliquam rem*

*rem accedere.* Sic Petron. 118. *Caeteri aut non viderunt viam, qua itur ad carmen, aut viſam timuerunt calcare.*

v. 1359, 1360. οὐκ — πέρα] *Haud video, quid mihi verba ad conſilium capiendum proſint,* ſ. *cujus conſilii compos fiam loquendo. Agentis potius eſt, porro quid opus ſit deliberare.*

v. 1361 ſq. κἀγὼ — πάλιν.] *Et nos quoque eodem modo animati ſumus, quandoquidem verbis mortuum reſuscitare haud valemus.*

v. 1363 ſq. Ἦ — ἡγουμένοις;] *Num vitam hac lege trahentes cedemus domum inceſtantibus hisce principibus;* Aegiſtho ſcil. Clytaemneſtrae adultero.

v. 1365 ſq. ἀλλ' οὐκ ἀνεκτὸν — τυραννίδος.] *Enimvero ferendum hoc non eſt; ſed mori potius praeſtat. Mors enim tyrannide mitior et mollior eſt.*

v. 1367 ſq. ἦ γάρ — ὀλωλότος; *Quid autem? Num ex iſtis,* quod audivimus, *ejulatibus viri,* i. e., regis, *periiſſe eum conjiciemus?*

v. 1369 ſq. σάφ' εἰδότας — δίχα.] *Hisce de rebus loqui decet, cum eas liquido cognoverimus. Aliud enim eſt conjicere, aliud certo ſcire.*

v. 1371 ſq. ταύτην — ὅπως.] *Hanc ſententiam ut laudem,* ſomnia *mihi animum exaugent, nimirum ut certo exploremus, quomodo ſe Agamemnon habeat.*

## IN SCENAM XV.

*v.* 1373 — 1577.

Egreditur Clytaemneſtra, et impudentiſſime ſe ob mariti caedem jactat.

v. 1373 ſqq. πολλῶν — ἐκπηδήματος;] *Poſt multa dudum ita ut tempus poſtulabat dicta, jam me contraria proloqui non pudebit. Quomodo enim* aliter *quis hoſtibus amicos ſe eſſe ſimulantibus hoſtilia parans, calamitatis retibus*

*bus eos circumſepire poſſit, ea quidem altitudine, ut nullo eam ſaltu exſuperare liceat?*

v. 1378 ſqq. ἐμοὶ — ἐξειργασμένοις] *Mihi autem hoc veteris ſimultatis certamen longo quidem poſt tempore, attamen haud improviſum obtigit; egoque ibi, ubi percuſſi, ſuper* hoſtibus *meis perditis,* ſ. *ſuper Agamemnone caeſo ſteti.* Poſt ἐξειργασμένοις ex antecedentibus intelligendum ἐχθροῖς.

v. 1381 ſqq. οὕτω — χάριν] *Ita autem rem geſſi, non enim infitiabor, ut neque effugere neque mortem propulſare poſſet. Inextricabile enim everriculum, tanquam quo piſces capiuntur, ei circumdo, veſtem, pretioſam quidem, at ei funeſtam. Bis autem eum gladio ferio; et inter duplicem ejulationem ſolvuntur ei membra; tum ei* in terram prolapſo *tertiam* plagam *ſuperaddo ſubterranei Plutonis, mortuos ſervantis, exoptatum oblectamentum.*

v. 1383. ἄπειρον ἀμφίβληστρον] „Eurip. Oreſt. 25.

ἢ πόσιν ἀπείρῳ περιβαλοῦσ' ὑφάσματι
ἔκτεινεν.

Induſium, quo ſcil. induendo occupatus Agamemnon occidebatur, rete vocat inextricabile; utpote quod foramina nulla habuerit ad exſerendum caput vel brachia. Schol. Eurip. in Hecubam: Φοβουμένη ἡ Κλυταιμνήστρα αὐτόν, μὴ τὴν πρὸς Αἴγισθον μοιχείαν αὐτῆς καταμαθὼν αὐτὴν μετ' Αἰγίσθου τιμωρήσηται, τοιόνδε βουλεύει; ἱμάτιον κατεσκεύασε μὴ ἔχον διεξόδους μήτε κεφαλῆς μήτε χειρῶν· ἐν ᾧ περιβαλοῦσα αὐτὸν λελουμένον ἀπέκτεινε. Schol. Homer. in Iliad. 1. κατὰ δὲ τοὺς τραγικοὺς αὕτη ἡ Κλυταιμνήστρα ἀνεῖλεν αὐτὸν χιτῶνι μὴ ἔχοντι ἔνδυσιν τραχήλου. Tragicos, imo noſtrum, ſecutus Lycophron:

ὁ μὲν γὰρ ἀμφὶ κύτλα τὰς δυσεξόδους
Ζητῶν κελεύθους αὐχενιστῆρος βρόχου
Ἐν ἀμφιβλήστρῳ συντεταργανωμένος
Τυφλαῖς ματεύσει χερσὶ κροσσωτοὺς ῥαφάς·
Θερμὴν δ' ὑπαὶ λουτρῶνος ἀρνεύων στέγην

Ty-

Τιβῆνα καὶ κύπελλον ἐγκάρῳ ῥανεῖ,
Τυπεὶς σκεπάρνῳ κόγχον εὐθήκτῳ μέσον.

Lycophr. Caſſandr. v. 1099 ſqq. *Stanl.*

v. 1387 ſq. τοῦ — χάριν.] poëtica deſcriptio eſt mortiferi vulneris, quo quia augetur Plutonis regnum, ideo ei optabile dicitur. Acerbo autem ſarcasmo alludit Clytaemneſtra ad tertium illud poculum, quod Διὶ Σωτῆρι offerri ſolebat, τέλειον quoque dictum, cf. Suid. in v. Τρίτου κρατῆρος.

v. 1389 ſqq. οὕτω — λοχεύμασιν.] Atque ita quidem cadens animam ille effiat, et celeri caede effuſum ſanguinem ebulliens atra me cruenti roris gutta reſpergit, haud minus ea re gaudentem, quam Jovis pluvia terram, *cum ſatis calycum partitudo appetit*, i. e., cum herbae in eo ſunt, ut flores aperiant. (Germ. *Wenn die Knoſpen beginnen, aufzubrechen.*) Fortaſſe tamen Aeſchylus ſcripſerat:

ἢ Διὸς νότῳ
Γᾶν εὐσπόρητον, κάλυκος ἐν λοχεύμασιν.

v. 1394 ſq. ὡς — ἐπεύχομαι.] *Quae cum ita ſint, o vos, Argivorum, qui adeſtis, principes, gaudete, ſi placet, ego vero facto glorior, ſ. exſulto.* Stanlejus notat, πρέσβος Ἀργείων τόδε poſſe etiam de Agamemnone exponi, hoc ſenſu: *valeat, ſi valere poteſt, ego quidem ut valeat opto*, coll. Perſ. 625., ubi Atoſſa πρέσβος Πέρσαις dicitur. Veruntamen haec ab ordine verborum longius abſunt. Et jam ſupra verbis his Chorum allocuta erat regina.

v. 1396 ſqq. εἰ — μολών.] „Verte: *Et ſi adeſſet rerum convenientium copia, adeo ut diis ſuper mortuo libare poſſemus, hoc etiam juſte fieret. Optimo quippe jure cum tantorum cratera in aedibus malorum exſecrandorum impleſſet, ipſe reverſus ebibit.* Ad πρεπόντων ſubauditur ἀφθονία, παρουσία, vel ſimile quiddam. Mos ſcilicet obtinebat apud veteres Graecos poſt fuſos fugatosque hoſtes liberationis ac victoriae gratias effuſis libationibus diis libe-

berationis ac victoriae gratias effusis libationibus diis liberatoribus pendendi. Cf. Homer. Iliad. Z. 527 sqq. Ad hunc igitur morem, caeso Agamemnone, respicit Clytaemnestra." *Heath.* Melius tamen videtur sic interpretari: *Ac si moris esset super mortuo libare, hoc sane jure hic fieret.* τἀδ' ἂν δικαίως ἦν, pro τόδ' ἂν δ. ἦν, plur. pro sing., ut hoc rescribi, quod Heathio placebat, minime necesse sit.

v. 1397. ὑπερδίκως, si cum πλήσας junxeris, significabit: *ultra jus et fas;* si cum ἐκπίνει; notabit: *summo jure*; quod h. l. aptius videtur.

v. 1398 sq. Κρατῆρα κακῶν ἀραίων πλήσας, vel unice ad Iphigeniae mactationem refertur, vel simul ad priora domus Pelopidarum piacula, velut ad coenam Thyesteam respicitur; cf. v. 1417 sqq.

v. 1400 sq. Θαυμάζομεν — λόγον ] *Miramur te ob linguae tuae audaciam et procacitatem, ut quae talia adversus maritum jactare non erubescis.*

v. 1402 sqq. πειρᾶσθε — ἔχει.] *Vos me tanquam imprudentem et ignaram mulierem tentatis. Ego vero intrepido animo, vobiscum, qui me nostis, loquor. Vos seu me laudare, seu vituperare velitis, mea nihil refert. Hicce est Agamemnon, maritus meus, hac ipsa dextra occisus. Opus probae artificis! Et ita quidem haec se habent!*

v. 1407. ἔργον δικαίας τέκτονος] Non justitiam his verbis, sed calliditatem et sollertiam facinoris praedicat.

v. 1408 sqq. τί — ἀστοῖς.] *Ecquod tandem malum* venenum, *o mulier, vel esculentum terra nutritum, vel potulentum crispo maris ex aequore ortum gustasti, ut hunc tibi furorem et populares diras contraheres.*

v. 1409. ἑδανὸν] Hesychius: Ἑδανά, ἐδώδιμα, βρώσιμα. Ἑδανοῖς, βρωσίμοις Αἴσχυλος.

v. 1410. θύος vulgo interpretantur *sacrificium*, s. *hostiam*; ut ἐπέθου θύος sit i. q. *qua hostiam parasti*, vel ut Aber-

Abreſchius exp. *impoſuiſti* ſc. *altari*. At vero tum activum verbi ἐπιτίθημι requireretur: et quae antecedunt, ſatis produnt θύος h. l. de furore accipiendum eſſe.

v. 1411. ἀπέδικες, ἀπέταμες, *proſtraviſti*, *jugulaſti*, ſcil. maritum; metaphoris a pecudum mactatione petitis. Sic infra v. 1553 κάππεσε, κάτθανε.

v. 1412. ἄπολις — ἀστοῖς.] *Urbe igitur ejicieris*, *et ingens te odium civium proſequetur.*

v. 1413 ſqq. νῦν μὲν — τραχὺς εἶ.] *Tu quidem mihi jam exilium ab urbe decernis*, *odiumque civium popularesque diras* denuntias; *nihil interim hunc virum accuſans*, *qui nihili aeſtimans* vitam filiae, *tanquam ſi de pecoris morte ageretur*, *cum magna in lanigeris gregibus ovium multitudo eſſet*, *ſuam ipſius natam*, *cariſſimum mihi partum*, *ſacrificavit*, *hoc tanquam incantamento ventos Theïcios placaturus. Nonne hunc te virum ex hac terra expellere oportebat*, *ad expianda* et punienda ejus *piacula? Nunc poſtquam meum facinus audiſti*, *ſeverum agis judicem.*

v. 1416. ὃς — μόρον] Conſtructio haec eſt: ὃς οὐ προτιμῶν μόρον, ſcil. θυγατρός, ὡςπερεὶ βοτοῦ.

v. 1422 ſq.

— — — λέγω δέ σοι,
Τοιαῦτ' ἀπειλεῖν, ὡς παρεσκευασμένῃ
Σ' ἐκ τῶν ὁμοίων χειρὶ νικήσαντ' ἐμοῦ
Ἄρχειν.

Vulg. παρασκευασμένης ἐκ τῶν ὁμοίων. Leviſſima autem duarum literarum distractione multo rotundior efficitur curſus verborum. *Dico autem tibi*, i. e., volo tibi perſuadeas, *te talia* cum minaris ſic mihi *minari*, *ut parata ſim*, et exſpectem, te ſi ſimiliter manu viceris, *mihi* imperaturum: *ſin autem contraria perfecerit deus*, ut vos a me vincamini, *ſero tandem* damno *edoctus ſapere* teque continere *diſces*. Ceterum vulgatam lectionem ejusque conſtructionem ſupplendis ellipſibus ita ſublevat Abreſchius: λέγω δέ σοι, τοιαῦτά σε ἀπειλεῖν ἐμοὶ νικήσαντα χειρὶ ἐκ τῶν ὁμοίων

ὁμοίων (ἐμέ, ὡς ἐγὼ ἐνίκησα τὸν πόσιν μου), ὡς παρεσκευασμένης σε ἄρχειν ἐμοῦ. Quae quidem ratio fane non displicet; nisi quod illa νικήσαντα — ὁμοίων multo melius poſt ὡς παρεσκευασμένης σε ἄρχειν ἐμοῦ collocanti r.

v. 1427 ſq. μεγαλόφρητις — ἔλακες] *Animo elato es*, altioris quam pro muliebri natura ſpiritus, *et ſuperba locuta.*

v. 1428. ὥςπερ] Haec particula perſpicue prodit in τύχᾳ latere vocabulum, quod metaphoram contineat. Ac mihi quidem, quo magis cogito, eo verius videtur φονολιβεῖ τεύχει. Nota jam olim fuit illa ſuperſtitio, ut, qui humanum ſanguinem bibiſſent, eos furioſa quadam audacia incendi crederent. φονολιβὲς τεῦχος eſt *patera* vel *poculum ſanguine redundans.* Φόνος ταύρειος Sept adv. Theb. v. 44. erat *taurinus ſanguis.* ὥςπερ οὖν φονολιβεῖ τεύχει φρὴν ἐπιμαίνεται, Germanice hic vertas: *Du raſeſt nicht anders, als ob du dich in einem Blutbecher berauſcht hätteſt.*

v. 1429. ἐπ' ὀμμάτων non eſt *in oculis*, ut Lat. interp. reddidit, ſed *ſuper oculis*, i. e., *in fronte.* Chorus, *At illa*, inquit, *ſanguinis gutta ſuper oculis tuis*, qua te reſperſam e mariti caede gloriabaris, cf. v. 1401.) *haud inulta manet.*

v. 1430 ſq. ἔτι — τίσαι.] Quin potius *te olim oportet ab amicis defertam plagam plaga*, i. e., mariti tui caedem propria caede, *luere.*

v. 1432 ſq. καὶ — ῥέξους.] *Quin tu viciſſim audi ſanctiſſimum hocce meum juramentum: Per Juſtitiam, filiae meae vindicem, per Aten, et Furiam, quibus ego hunc virum meum mactavi, nunquam verebor, ne mihi umquam ingrediendum ſit Timoris templum, quousque in foco meo ignem accenderit Aegiſthus, ſicut antea mihi benevolus. Hic enim fiduciae meae haud exiguus eſt clypeus.*

v. 1435. Φόβου] Hujus lectionis veritatem praeter contextum illud quoque confirmat, quod jam apud Homerum Φόβος ac Δεῖμος in Martis filiis numerantur. Ei igitur templum tribui conſentaneum eſt. Φόβου μέλαθρον ἐμπατεῖν poëtice pro *timere*.

v. 1439. γυναικὸς τῆσδε λυμαντήριος, *mulieris illius* Caſſandrae ſcil. *corruptor*.

v. 1440. χρυσηΐδων μείλιγμα] Amare marito Chryſeidis amores exprobrat; de quibus jam olim audiverat.

v. 1444. ἱστοτρίβης ita defenditur ab Heathio, ut pro nautico convicio habeatur, q. d. ἡ πρὸς τὸν ἱστὸν τριβομένη. At convicia prorſus, ſi quid video, ab hujus orationis dignitate abhorrent. Nihil aliud quam conſuetudo cum Agamemnone Caſſandrae probro datur; adeoque ναυτιλῶν σελμάτων ἱστοτριβὴς unice verum exiſtimo, quod *itineris maritimi ſociam* deſignat.

ἄτιμα — ἐπραξάτην] Bene Heathius: *Poena vero eorum facinoribus haud defuit; ſ. impunia vero facinora haud tulerunt.*

v. 1445. οὕτως] ſcil. ἔπραξε, *ita, ut dixi, poenas luit.*

v. 1447 ſq. κεῖται — χλιδῆς.] Heathius hoc modo explicat: *Jacet hujus amaſia; mihi vero ſuperinduxit cupedias clam ſibi paratas praeter delicias meas*, id eſt, *quamquam adhuc forma integra et praeſtanti gaudeam.* Verum Clytaemneſtra his verbis eam non amplius accuſat pellicatus nomine, quod jam antea fecerat; ſed potius ſe de pellice triumphaſſe, eamque interfeciſſe gloriatur. Quamobrem ἐπήγαγεν cum κεῖται continuandum cenſeo: *Jacet hujus amaſia*, et morte ſua, *lecto meo*, i. e., conſuetudini cum Aegiſtho, *cumulum voluptatis addidit*. Niſi autem velimus, παροψώνημα duplicem genitivum regere, εὐνῆς et τῆς ἐμῆς χλιδῆς, utique cum Pauwio εὐνῇ reponere praeſtat. Haud ſcio tamen, an, ſi εὐνῇ legamus, paulo aliter

aliter accipere Clytaemneſtrae ſententiam magis conveniat. Nimirum quia κεῖται de *mortua* dicitur, εὐνῇ ſimiliter de *mortuae conditione* dici poſſit; hoc ſenſu: *Jacet hujus amaſia, mihique morte ſua cumulum voluptatis meae attulit.* (Εὐνὴν olim εὐφήμως de *ſepulcro* uſurpatum fuiſſe, teſtis eſt Euſtathius ad Iliad. B. v. 783. p. 261. ed. baſ. Eodem modo infra poſt κεῖσαι ſequitur κοίτη v. 1505.) Sic certe minus impudenter loqueretur adultera, nec tam aperte turpia illa et impermiſſa gaudia, quae cum Aegiſtho captabat, fateretur.

v. 1449 ſqq. φεῦ — βίου.] *Utinam eheu Parca quaedam celeriter, nec dolores multos afferens, nec diu nos lecto affigens veniat aeternum nobis ſomnum allatura, poſtquam occidit cuſtos*, i. e. rex, *mitiſſimus*, qui multa bello *paſſus eſt propter mulierem* (Helenam) *et jam mulieris manu* (Clytaemneſtrae) *vitam perdidit.*

v. 1456 ſqq. ἰὼ — ὀϊζύς.] Nemo interpretum veram hujus carminis mentem perſpexit. *Heu iniquam Helenam*, i. e., perfidam, adulteram, matrimonii jus violantem, *una quae multas, admodum multas ante Trojam animas perdidiſti, nunc vero jam nobilem et claram* (Agamemnonis animam) *ob inexpiabilem ſanguinem* (ſcil. mactatae Iphigeniae, cujus caede, absque te fuiſſet, pater omnino ſuperſediſſet,) *defloraſti* (h. e., caedi uxoris filiam ulciſcentis objeciſti). *Sane tum* (cum Iphigeniae ſacrificium parabatur) *Eris* (rixa inter Agamemnonem et Clytaemneſtram) *in domibus erat domitrix viri calamitas*, (nempe quia ex iſta rixa ortum eſt implacabile Clytaemneſtrae odium, quod nunc tandem Agamemnonem vita privavit). Veritatem hujus interpretationis, ut de proximo verborum contextu nihil dicam, optime adſtruunt illa, quae ſupra in Calchantis vaticinio dicta audivimus v. 151 ſqq.:

Ἰήϊον δὲ καλέω Παιᾶνα
Μὴ τινας ἀντιπνόους

Δαναοῖς χρονίας ἐχενηΐδας
Ἀπλοίας τεύξῃ
Σπευδομένα θυσίαν
Ἑτέραν, ἄνομόν τιν', ἄδαιτον
Νεικέων τέκτονα σύμ-
φυτον, οὐ δεισήνορα, Μίμνει
Γὰρ φοβερὰ παλίνορσος οἰκονόμος δολία
Μνάμων μῆνις τεκνοποινος.

v. 1463 ſqq. μηδὲν — ἔπραξεν.] *Noli hisce rebus afflictus mortis fatum tibi optare* (cf. v. 1450.), *neque iram in Helenam converte, ac ſi illa virorum perditrix, una multorum Graecorum animas perdiderit, eoque dolorem*, calamitatem, *haud ſuperabilem effecerit.*

v. 1468. ἀξύστατον ἄλγος, *dolorem, qui haud facile ſiſti poteſt, inſanabile malum.*

v. 1469 ſq. διφυεῖσι Ταντα λίδαισιν rectius de Atreo et Thyeſta, quam de Agamemnone et Menelao accipias. Semper enim Choro obverſantur illorum piacula, quae etiam in poſteris puniuntur.

v. 1471 ſq. κράτος — κρατύνεις.] Heathius interpr. *Victoria quidem mulierum opera* (Helenae et Clytaemneſtrae) *pari ambarum animo reportata, quae cor mihi mordet, potiris.* Ego vero de ſola Clytaemneſtra hic loqui Chorum arbitror, ἐκ γυναικῶν poſito pro ἐκ γυναικός. *Adeo tu mulieri victoriam praebes, aequam ejus ferociae, quae quidem victoria mihi animum mordet ac lacerat.* κράτος eſt felix facinorum Clytaemneſtrae ſucceſſus, et quod inde oriebatur muliebre imperium. καρδιόδηκτον, quod Abreſchio placebat, nos quoque probamus, i. q. καρδιαλγές.

v. 1473. ἐπὶ δὲ σώματος] Nempe Agamemnonis cadaver, cum v. 1415. pronuntiaretur, in ſcenam illatum erat, ſuper quo Clytaemneſtra ſtabat exſultans. Itaque concinnius eſt στάθεῖσ' legere, ut ſupra in V. L. diximus. *Super cadavere autem illa inſtar infeſti corvi ſtans praeter fas,*

*fas, etiam hymnum se cantaturam ob caedem, gloriatur.* Succurrit nimirum Choro illud Clytaemneſtrae dictum: v. 1404 ſq.

Ὡς ὦδ' ἐχόντων πρέσβος Ἀργείων τόδε
Χαίροιτ' ἄν, εἰ χαίροιτ', ἐγὼ δ' ἐπεύχομαι.

Egregie autem ſceleſtiſſima mulier comparatur cum corvis; hi enim ſaepe dum cadaveribus paſcuntur, alis clangunt, et rauca voce crocitant.

v. 1476 ſqq. νῦν ἰχώρ.] *Nunc tandem correxiſti oris ſententiam*, rectius quam antea locutus es, *ingentem illum* et immanem hujus *gentis genium* (nempe ἀλάστορα, ſ. malum genium) *incuſando.* Eo enim auctore fit, ut ſanguinem lambendi dira libido in viſceribus eorum, qui ex hac gente orti ſunt, ſ. poſterorum Tantali, alatur, ita ut *priusquam antiquus dolor ceſſaverit, novus crunr manet.* Peſſime Heathius ἐκ τοῦ quaſi de tempore, et νείᾳ de Genio dictum ſumſit, hoc modo interpretatus: *Ex illo enim tempore, quo cupido ſanguinem lambendi in viſceribus genii illius alitur, priusquam ceſſarit vetus calamitas, novus denuo profunditur ſanguis.*

v. 1482 ſqq. Ἦ — ἐστιν; *Sane magnum hisce aedibus genium et graviter iratum commemoras. Eheu funeſtam commemorationem perniciosae et inſatiabilis calamitatis, a Jove proh dolor paratae, horum omnium auctore, omnium effectore! Quid enim mortalibus absque Jove peragitur? Quid horum accidit, quod non fit a Deo perfectum?*

v. 1483. αἰνεῖς noli cum Heathio exponere: *esse aſſentiris;* nihil aliud eſt, quam *narras, commemoras.*

v. 1490 ſqq. ἰὼ — βελέμνῳ] *Hei hei, rex rex, quomodo te defleam? Quid tandem amico ex animo dicam? Jaces in iſto araneae texto*, a nefanda muliere ſic veſte captus, quemadmodum aranea beſtiolam caſſibus ſuis irretire ſolet, *impia caede animam exſpirans. Heu quam ignobiliter jaces, inſidioſa clade peremtus, manus ancipiti telo!*

ἀνελεύθερος κοίτα est mors, quae indigna est heroë et rege, quippe qui non in acie ceciderit, sed clandestinis mulieris dolis interemtus sit. Magnum est hujus apostrophes pondus; magna quoque cum gravitate paulo post repetitur.

v. 1495. κοίταν ex antecedente κεῖσαι explicandum est, non de *vase balneatorio*, ut Heathius opinatur, intelligendum.

v. 1498 sqq. αὐχεῖς — ἐπιθύσας.] *Recte tu quidem hoc meum opus esse dicis. Noli vero addere, me Agamemnonis conjugem esse. Sed mortui hujus uxori asfimilatus vetus ille acerbusque Alastor Atrei, qui diro convivio fratrem exceperat, hunc punivit, adultumque virum adolescentulis illis* Thyestae filiis ab Atreo mactatis *immolavit.*

v. 1506 sqq. ὡς — παρέξει.] *Te quidem ab hujus caedis culpa immunem esse quis affirmare ausit? Ubi, ubi,* scil. reperiatur, qui talia dicere audeat? *Fieri tamen potuit, ut daemon aliquis paternorum scelerum vindex te adjuverit. Mutuis autem consanguineorum cruentis caedibus ater,* h. e., horribilis, *Mars adigitur* ad caedem caede ulciscendam; *donec eo processerit, ut vel illi puerorum epuloni Thyestae terroris frigus incutiat.* — Ceterum recte Heathius intellexit in verbis ὅποι καὶ προβαίνων Chorum quasi vatem Orestis matricidium praesagire. Gravis inest sensus, vindictam hanc adeo horribilem esse, ut ipsius Thyestae, qui eam optare deberet, animum horrorem esset perstrictura.

v. 1522 sqq. οὐκ — ἦρξεν.] *Haud indignam huic mortem censeo contigisse. Nonne enim ille ipse infidiosam Aten aedibus inunxit,* Iphigenia per fraudem mihi erepta et ad mortem detrusa? *Enim vero cum ille progeniem meam ex eo susceptam, multum defletam Iphigeniam, indignis modis affecerit, digna perpessus profecto non habet, quod apud inferos glorietur,* h. e., magna se injuria affectum queratur,

tur, *cum potius ferro necatus hoc mortis genere poenas facinorum luerit, quae prior perpetraverat.*

v. 1524. δολίαν ἄτην h. l. potius proprium Ates, quam appellativum nomen esse videtur. Sensus quidem, utrumvis eligas, idem est; sed si proprium nomen sit, elegantiorem habet e translatione elocutionem.

v. 1532. εὐπάλαμνος μέριμνα, *agilis cura*, h. e., *intentissima.* Hoc nimirum innuunt senes, se frustra, quamvis omnem curam cogitationemque intendant, praesidium quaerere, quo intereuntis Atridarum domus ruina sulciri possit.

v. 1534 sq. δέδοικα — λήγει.] *Ac jam vereor imbris cruenti domum evertentis sonitum; guttatim enim* sanguine *pluere desiit.* ὄμβρου κτύπον δομοσφαλῆ τὸν αἱματηρὸν, pro ὄμβρου κτύπον δομοσφαλοῦς τοῦ αἱματηροῦ. Caedium in hac familia multitudinem in dies augescentem cum sanguinis pluvia comparat, quae primum guttatim labitur, deinde in imbrem versa quasi continuum sanguinis torrentem maximo cum sonitu effundit.

v. 1536 sq. Pulcherrima, si recte intelligatur, allegoria: *Fatum s. Parca vindictam jam adversus aliud crimen aliis cotibus acuit*, h. e., novo Clytaemnestrae facinori novus jam ultor paratur. Δίκη cum ferro, quod acuitur, Orestes autem cum cote, qua ferrum acutum redditur, comparatur; quia μοῖρα eum tanquam vindictae instrumentum adhibitura erat.

v. 1538 sqq. ἰὼ — πονήσει;] *Utinam o terra me* in sinum tuum, *recepisses, antequam istum argentei hujus alvei cubile occupantem viderem? Quis cum sepeliet? quis lesso prosequetur! An tu, quae tuum ipsius maritum occidisti, hoc facere justinebis, ut animam ejus lugeas, adeoque pro ingenti scelere ingratam ei gratiam, quod minime fas est, retribuas? Quis denique divo huic viro sepulcrale elogium cum lacrymis pronuntians sincero animo pangel?*

ὀροίτη, non loculus, sed alveus balneatorius, super quo mactatus erat Agamemnon, et in quo cadaver ejus jacebat. Hoc aptius est, quam si de *loculo* exponatur.

v. 1545 sq. ἄχαριν χάριν] cf. Choëph. v. 40 sqq.

v. 1555. κλαυθμὸς τῶν ἐξ οἴκων, i. q. κλαυθμοὶ οἰκείων; *domesticorum* s. *familiae fletus.*

v. 1556. ἀλλ' Ἰφιγένεια] acerbissimus in maritum sarcasmus.

v. 1558 sq. ὠκύπορον πόρθμευμ' ἀχέων, descriptio Acherontis, habita simul nominis ratione, quod significare volunt, i. q. ὁ τὰ ἀχέα φέων, cf. Etym. M. h. v. et Eust. ad Iliad p. 157. Apollodor. in fragm. ap. Stob. (p. 1047. edit. Heynii) ἐκ τῶν γὰρ τοιούτων ὁρμώμενοι πιθανῶν καὶ τοὺς ἐν ᾅδου νομιζομένους ποταμοὺς κατωνομάκασιν· Ἀχέροντα μὲν διὰ τὰ ἄχη, ὡς καὶ Μελανιππίδης ἐν Περσεφόνῃ· καλεῖται δὲ ἐν κόλποισι γαίας ἀχέεσσι προῤῥέων (sic optime Heynius em. vulg. προχέων.) Ἀχέρων. Ἔτι καὶ Λικύμνιός φησι·

μυρίαις παγαῖς δακρύων ἀχέων τε βρύει.

Καὶ πάλιν·

Ἀχέρων ἄχεα πορθμεύει βροτοῖσιν.

v. 1560. περὶ χεῖρα βαλοῦσα] tmesi pro περιβαλοῦσα χεῖρα.

v. 1561 sqq. ὄνειδος — ἐρέξαντα.] *Hocce probrum* scil. in Agamemnonem *reponitur* a Clytaemnestra, *pro* illo quod nos (scil. v. 1542 sqq.) in *eam conjeceramus*; s. tantum abest, ut regina exprobratione nostra moveatur, ut potius aliud probrum reponat. *Difficilia vero haec sunt judicatu*, quorsum evasura sint. *Auferentem* (Iphigeniae interfectorem, Agamemnonem) *aufert* (Clytaemnestra et Aegisthus), *poenam vero luit idem, qui interfecerat*, scil. regem. *Semper autem, dum Jovis imperium manebit, lex quoque illa manebit, ut, qui fecit, patiatur*; h. e., ut, per quod quis peccavit, eodem et puniatur.

v. 1565.

v. 1565 ſq. Θέσμιον — δόμων;] Hoc de Oreſte, quem Clytaemneſtra quaſi relegaverat, intelligi volunt ſenes, ſed ambigue tamen loquuntur; ut etiam ad Iphigeniam quodammodo trahi poſſit. Atque ſic regina videtur verba accipere.

v. 1567. κεκόλληται γένος προξάψαι.] Heathius intp. *Animis noſtris fixum et ratum ſedet, quaſi glutine junctum Atridarum ſtirpi adhaerere;* quae ſententia magnopere vereor ne hic prorſus aliena ſit. Levi correctione opus eſſe nobis videtur:

κεκόλληται γένους προξάψει.

Quis legitimam, inquit Chorus, ſoboleſ domo exturbet? *Agglutinatur enim communi generis* vel ſanguinis *vinculo!*

v. 1568 ſq. ἐς — χρησμός.] *In hunc maritum meum vere cecidit oraculum.* Calchantis nimirum illud ſupra memoratum v. 155 ſqq. Si lectionem χρησμὸν ſervandam putas, neceſſario ἐνέβης legendum eſt, hoc ſenſu: *In hanc vere incidiſti ſententiam.* Sed illa explicatio multo convenientior, quia Clytaemneſtra, quae Chorus proxime dixerat, non de Oreſte patris caedem exacturo, ſed de Agamemnone ob Iphigeniae caedem punito intelligebat.

v. 1569 ſqq. ἐγὼ — αὐθέντaισιν.] *Ego vera jam, genio Plifthenidarum juramento pollicita, haec ferre volo, quamvis difficilia toleratu ſint, modo is jam diſcedat ex his aedibus et aliam potius familiam mutuis propinquorum caedibus atterat.* τάδε μὲν στέργειν referendam ad Chori contumelias et convicia, quae in reginam licentioſiſſime conjecerat. Haec ſe negat ulturam, ſed patienter potius laturam eſſe, ne plus etiam ſorte ſanguinis profundatur. Quam verborum interpretationem liquido confirmant ea, quae infra dicuntur a Clytaemneſtra v. 1655 ſqq. Sed in alia omnia Heathius abit; qui primum ἐνέβης — χρησμόν legendum cenſet, deinde hanc affert interpretatio-

nem. „Injecta ſcilicet, inquit, a Choro ſucceſſionis mentione, quae ad Oreſtem jure pertinebat, hanc ſtatim arripit occaſionem Clytaemneſtra, conditionem proponendi, qua rata habita omnia denuo conciliari, et ſibi Aegiſthoque facinoris peracti impunitatem praeſtari poſſe ſperabat. Profitetur igitur, juramento etiam interpoſito, ſe in hac deciſione Chori de regni ſucceſſione, quamquam non admodum, ut fatetur, grata, acquieturam, et propriis facultatibus quamquam oppido modicis fore contentam, modo Genius ille ſiniſter Pliſthenidarum familiae infenſus aedibus tandem exturbetur, neque in poſterum ſuperſtites mutuis inter ſe caedibus committere permittatur; id eſt, ea lege, ut ſceleris, quo ſe modo contaminaverat, concedatur impunitas, et omnia praeterita ſub oblivione perpetua ſepeliantur." Verum haec explicatio prorſus discrepat ab iis, quae in fine hujus fabulae ab ipſa Clytaemneſtra dicuntur; quae tantum abeſt ut Oreſti regnum concedere velit, ut potius ſe cum Aegiſtho Argivis imperaturam denuntiet. v. ult. Neque vero, quod Heathius fingit, vel verbo ſibi impunitatem ſceleris paciſcitur; utpote quae ſibi jure Agamemnonem occidiſſe videatur, adeoque poenas ne metuebat quidem.

v. 1575 ſqq. κτεάνων — ἀφελούσῃ.] *Bonorum vero etiamſi vel parvam portionem poſſideam, omnia mihi tamen ſufficient, quantacunque ſint, modo mihi contigerit inſanias mutuarum caedium aedibus expellere.* In his Clytaemneſtra nihil aliud profitetur, niſi ſeriam animi voluntatem, qua ut in poſterum Pelopidarum domus tranquilla ſit, et ab ejusmodi calamitatibus immunis, precatur. Quam quidem tranquillitatem ſe vel cum aliqua bonorum jactura redimere velle oſtendit. Non autem ideo ſe Oreſti imperium cedere velle pollicetur, quod fruſtra Heathius ex hac ſermonis clauſula elicere conatur.

tur. Quod reliquum eſt, haud ſcio, an pro κτεάνων τε melius legatur: κτεάνων δέ.

## IN SCENAM ULTIMAM.

*v.* 1578 — *ult.*

Venit Aegiſthus, ſuper Agamemnonis caede exſultans, et piacula, quarum ille ultionem expertus ſit, enarrans.

v. 1580. γῆς ἄχη eſſet *terrae calamitates.* Sed Aegiſthi animo obverſabantur *Atrei piacula*, ἄγη, quae nunc jam a diis reſpici dicit.

v. 1581. ὑφαντοῖς πέπλοις Ἐριννύων, veſte illa qua irretitus erat Agamemnon. Cf. v. 1393. 1123.

v. 1583. χερὸς πατρῴας ἐκτινόντα μηχανάς, *cum poenas dederit pro* ſceleſtiſſimo *patris* Atrei *facinore*, qui fratri Thyeſtae liberos comedendos praebuerat, ut ipſe mox narraturus eſt.

v. 1586. ἀμφίλεκτος ὢν κράτει. Aliter atque alii poëta Thyeſtis Atreique fabulam informat. Fingit enim diſſenſum inter utrumque fratrem de imperio, quemadmodum inter Eteoclem et Polynicem, fuiſſe, deinde Thyeſtem, ab Atreo in exſilium actum, paulo poſt rediiſſe et ſalutis cauſa ad aram confugiſſe. Tum Atreum eum horrendis illis et ſceleratis epulis excepiſſe. Verum ſerior fabula, quam Seneca quoque in Thyeſte ſequitur, Atreum ac Thyeſtem alternis annis regnandi vices pepigiſſe tradit. Thyeſtem vero ab Aërope fratris uxore, quam in adulterium pellexerit, adjutam, aurei velleris arietem, cujus poſſeſſori regnum fatis deſtinatum erat, abſtuliſſe, tum in exilium abiiſſe, paulo

lo poſt ab Atreo per ſpeciem reconciliatae voluntatis revocatum.

v. 1588. καὶ προστρόπαιος ἑστίας μολὼν πάλιν] Nempe Thyeſtes, ex Aeſchyli quidem narratione, ſponte redire auſus ad aram ſupplex confugit, idque ei ſaluti fuit. Niſi enim hoc modo ſibi proſpexiſſet, ſanguine ſuo paternum ſolum cruentaſſet, a fratre ſcil. occiſus. Itaque προστρόπαιος ἑστίας μολὼν πάλιν non tantum ſignificat *ſupplex domum rediens*, ſed ita domum reverſus, ut ſtatim ſupplex ad aram domeſticam confugeret; et in his quidem verbis, προστρόπαιος ἑστίας, cauſa latet, cur μοῖραν εὕρετ' ἀσφαλῆ.

v. 1590 ſqq. Non vereor, ne quis nimis audacter in his verſiculis quaedam a me deleta eſſe criminetur. Certe quae expunxi, ab Aeſchylo profecta eſſe nemo mihi perſuadebit. Nonne enim πατρῷον πέδον v. 1590. ſatis inſignitum erat, niſi v. 1591. adderetur αὐτοῦ? Sed gloſſemati hoc ſimillimum eſt. Quis eſſet Agamemnonis pater, jam paulo ante dictum erat v. 1584. Cur hic iterum poſt τοῦδε δύσθεος πατὴρ putide repeteretur nomen Ατρεύς? Nempe ſcholiaſtae diligentiam agnoſcimus. προθύμως μᾶλλον ἢ φίλως Aeſchylus h. l. dixerit? cum ſtatim de mactatis Thyeſtae liberis mentio injiciatur! Mihi potius, haec ex gloſſa vocabuli εὐθύμως irrepſiſſe videntur. Hoc ſcholiaſtes aliquis exponere aggreſſus, adſcripſerat: προθύμως μᾶλλον ἢ φίλως. Senſus autem ejectis illis pleniſſimus: *Impius vero hujusce pater patri meo, ſimulans ſe diem feſtum viſceratione hilariter celebraturum, xeniorum ſ. donorum hoſpitalium loco carnes filiorum ejus ei comedendas appoſuit.*

v. 1595. χερῶν ἄκρους κτένας periphraſis eſt manuum. Manus enim et pedes puerorum, quibus humanae carnes agnoſci potuiſſent, Atreus iis, qui ſuperiori menſae lateri viritim aſſidebant, h. e., Thyeſtae ejusque comitibus

tibus tantisper abſcondebat, donec ſe carnibus ingurgitaſſent. cf. Herod. I. 119.

v. 1596. ἄσημα δ' αὐτῶν, carnium partes, quae internoſci haud facile poterant, cujus generis eſſent, in quibus certe humanas eſſe nulla ſuboriri poterat ſuſpicio.

v. 1597. ἔσθει βορὰν — γένει] *Atque ſic devoravit* Thyeſtes filiorum carnes, *cibum* Atrei *generi ut vides exitialem.* Sed confer, ſi placet, Senecam, Thyeſt. v. 971 — 1069. Senties, quantum interſit inter Aeſchylum et Senecam. h. e., inter ſobrium ſapientemque poëtam et inter tumidum ac φορτικόν.

v. 1598. κἄπειτ' — καταίσιον] *Deinde vero, poſtquam immane fratris ac ſceleſtiſſimum facinus cognovit.* Proferebat enim Atreus puerorum capita et extremos artus. Sic Thyeſtes apud Senecam: v. 1037 ſqq.

*quas miſer voces dabo*
*Queſtusque quos? quae verba ſufficient mihi?*
*Abſciſſa cerno capita, et avulſas manus*
*Et rupta fractis cruribus veſtigia.*

v. 1599. Incredibile eſt, quam paucis verbis hic quam multa dicantur: *ſuſpiravit*, *recidit*, carnes, quas comederat, *evomuit.* Tribus verbis pinguntur atrociſſimus dolor, terror exanimans paene, nauſea, qualis ex cognito humanarum carnium eſu conſequi debebat. Equidem uno hoc verſiculo multo magis afficior, quam tota illa Senecae, quam ſupra memoravi, ſcena.

v. 1600. Πελοπίδαις] Exceſſum intelligis doloris, quo permotus Thyeſtes non Atridas ſolum, ſed univerſum Pelopis domum, adeoque ſe ipſum quoque ſuamque progeniem exſecratur.

v. 1601.

v. 1601. λάκτισμα δείπνου pertinet ad contemtam et violatam immani crimine convivii ſanctitatem. Sic Lycophron de Paride jus hoſpitii violante v. 137.

Ἔτλης θεῶν ἀλοιτὸς ἐκβῆναι δίκην
λάξας τράπεζαν.

v. 1602. οὕτως — γένος] Vulgata οὕτως ὀλέσθη ſine dubio corrupta eſt. Nondum enim Pliſthenis genus perierat. Heathii vero correctionem οὕτως ὀλέσθω aliis quibusdam incommodis premi, jam ſupra monuimus. Itaque ὀλέσθαι corrigendum erat hoc ſenſu: *ut ſic omne Pliſthenidarum genus periret.* Niſi forte totus hic verſiculus interpolatori tribuendus eſt. Satis enim erat, quod v. 1600. univerſe dictum erat: μόρον δ' ἄφερτον Πελοπίδαις ἐπεύχεται.

v. 1606 ſq. τρίτον — σπαργάνοις] Quia Atreus perpetrato illo ſcelere decimum tertium Thyeſtae filium, infantem adhuc, una cum miſero patre expulerit, ideo ſe jure hanc Atrei filio caedem machinatum eſſe declarat.

v. 1609 ſq. καὶ — δυσβουλίας.] Et quamvis extra domum eſſem, tamen in perimendo Agamemnone haud otioſa fuit opera mea, quippe qui omnem pernicioſi conſilii rationem a me inventam Clytaemneſtrae ſubdiderim.

v. 1612. δίκης ἐν ἕρκεσιν.] Iterum tangi videtur veſtis illa regi pernicioſa. cf. v. 1591.

v. 1616. Lapidationis poena denuntiatur Aegiſtho a populi concilio ei infligenda.

v. 1617. *Miror*, inquit Aegiſthus, *te*, *qui inferiori remo aſſideas*, *talia* tam licentioſe *adverſus eos vociferari*, *qui in tranſtro ſedentes rerum potiuntur.* Metaphoram ſumſit a triplici remigum ordine. Vilioris ordi-

dinis homines, plebejos, cum θαλαμίταις, qui infimi remigabant, ἐν θαλάμαις; optimates autem ſ. principes cum ζυγίταις, qui illis quidem ſuperiores in medio ordine ſ. ἐν ζυγοῖς remigabant, comparat. κρατούντων δορὸς, vel qui *haſta*, h. e., poteſtate bellica, armis, potiuntur, vel qui *navem regunt*, ita ut δορὸς pro *nave* dictum ſit, quod Stanlejo placet. Prius tamen nobis magis probatur.

v. 1619 ſq. γνώσει — εἰρημένον.] Latinus interpres vertit: *Scies ſenex cum ſis*, [*quod admoneri grave adultae aetatis viro, cum, ut modeſte te geras, ante dictum ſit.* Parum apte, ſi quid video. Senſus potius hic eſt: *Profecto vos ut ſenes ſentietis, quam vere dicatur homini ejus aetatis difficilimum eſſe ſapere diſcere*, niſi ſcilicet juvenis didicerit.

v. 1621 ſqq. *Attamen vel ſenectutem* alias parum docilem *vincula et fames optime docere poſſint, veriſſimae mentis medicae.* καὶ τὸ γῆρας accuſativus eſt, non, ut lat. interpres accepit, nominativus. Conſtructionem recte explicavit Abreſchius: δεσμὸς δὲ αἵ τε νήστιδες δύαι ἰατρομάντεις Φρενῶν ἐξοχώταταί εἰσι καὶ τὸ γῆρας διδάσκειν, Φρενῶν ἰατρομάντεις.

v. 1623. *Haec cum videas, nonne vides?* ſcil. quid tibi proſit.

v. 1625 ſqq. γύναι — μόρον;] *O mulier tune hujus ex bello modo redeuntis conjux domum ſervans, polluto interim viri toro, viro inquam imperatori auſa es hanc caedem decernere?*

v. 1628 ſqq. καὶ ταῦτα — Φανῇ.] *Haec quoque verba tibi cauſae malorum erunt. Lingua autem tua prorſus ab Orphei lingua discrepat; Ille enim cantu ſuo propter ſuavitatem omnia ſecum traxiſſe fertur; tu vero irritans* nos *ſtultis latratibus* ad vincula *traheris; cohibitus vero* vinculis *manſuetior fies.*

v. 1636.

v. 1636. Ignaviam Chorus Aegiſtho exprobraverat, quod non ſuapte manu, ſed Clytaemneſtrae miniſterio Agamemnonem occidiſſet. Reſpondet ille: *Nam doli quidem partes aperte mulieri conveniebant*, melius quam mihi. *Ego vero ut antiquus hoſtis ſuſpectus eram.*

v. 1638 ſqq. Pulcherrimus et a morum adumbratione et ab elocutione locus. *Ego vero hujus opibus uſus, regere cives aggrediar; immorigerum vero et refractarium tanquam equum frenis aſperum et pabulo nimio ferocientem, catenis vinciam; tum vero fames inviſarum tenebrarum ſocia*, inediae poena in carcere tenebricoſo, *manſuetum eum videbit;* h. e., ut manſueſcat, efficiet.

v. 1643. Iterum Chorus Aegiſtho imbellis animi levitatem exprobrat, quod Agamemnonem ne ſua quidem ipſius manu occidere auſus fuerit, ac deinde indignationis fervore eo procedit, ut diſertis verbis Oreſtis reditum exoptet, cujus manu adulter cum adultera trucidetur.

v. 1649. Aſſentior fere Stanlejo perſonae nomina in ſequentibus hoc modo permutanda eſſe cenſenti:

ΑΙΓΙΣΘΟΣ.

Ἀλλ' ἐπεὶ δοκεῖς τάδ' ἐρδειν καὶ λέγειν, γνώσει τάχα.
Εἶα δή, φίλοι λοχῖται, τοῦργον οὐχ' ἑκὰς τόδε·
Εἶα δή, ξίφος πρόκωπον πᾶς τις εὐτρεπιζέτω.

ΧΟΡΟΣ.

Ἀλλὰ κἀγὼ μὴν πρόκωπος οὐκ ἀναίνομαι θανεῖν.

ΑΙΓΙΣΘΟΣ.

Λεχομένοις λέγεις θανεῖν σε· τὴν τύχην δ' ἐρούμεθα.

Sic rotundius fit colloquium, et ob ſequentem Clytaemneſtrae ſermonem aptius; quam Aegiſthi potius quam Chori orationem interpellaſſe credibile eſt. Ac fortaſſe vulgata perſonarum distributio librario debetur, qui non intelligebat, quomodo Chorus κἀγὼ ſingulariter, Aegiſthus vero δεχομένοις pluraliter de ſe dicere poſſet. Hanc rationem jam olim a nobis propoſitam nuper Bothius in textu conſtituendo ſecutus eſt. Vulgata tamen ratio hoc ma-

maxime argumento confirmari videtur, quod Aegisthus, cum v. 1663. ait, senes licentiose loqui, δαίμονος πειρωμένους, respicere videtur ad illa verba τὴν τύχην δ' ἐρούμεθα, quae idcirco saltem rectius Choro tribuuntur.

v. 1652. πρόκωπος i. q. πρόκωπον ξίφος ἔχων.

v. 1653. δεχομένοις λέγεις] *Accipimus omen, quod dicis te moriturum.*

τὴν τύχην ἐρούμεθα, *fortunam interrogemus*, h. e. *periculum faciamus*; nec enim opus est, ut Cantero auctore reponamus αἱρούμεθα. Bothius rescripsit τὴν δίκην ἐρέῳμεθα.

v. 1655. τάδ' ἐξαμῆσαι πολλὰ δύστηνον θέρος] Emendationis nostrae veritas afferitur loco simili Pers. 824. ὅθεν ἐξαμᾶ πάγκλαυτον θέρος.

v. 1657. δόμους πετρωμένους, *ad proprias domos.*

v. 1658. εἴξαντε — ἐπρ.] *Tempori cedentes* nos *haec* ita facere *oportebat ut fecimus.*

v. 1662. μάταιαν γλῶσσαν ὧδ' ἀπανθίσαι] Quemadmodum vocabula ἄνθος et ἀνθεῖν saepe de multitudine dicuntur, ita etiam audacter et contumeliose dicta in procacium hominum linguis quasi ἀνθεῖν, *efflorescere*, videri possunt; ut, qui talia temere effutiunt, recte dicantur γλῶσσαν ἀπανθίζειν, *linguae florem decerpere.*

v. 1668. Exsules spe petsci, (nunquam non scilicet se in patriam aliquando redituros esse sperantes,) paene in proverbium abierat. Hoc ergo utitur Aegisthus, ut Chorum Orestis reditum exspectantem irrideat.

v. 1669. ἐπεὶ πάρα, *quoniam licet*; nempe ut nunc sunt tempora.

v. 1671. Acerbissimum Chori sarcasmum quivis etiam non admonitus facile sentiet. Vanam enim Aegistho jactantiam pariter ac mulierositatem objicit.

v. 1672. μὴ προτιμήσῃς, *ne cures, sed nihili potius aestimes, vanos hosce latratus.*

v. 1673. post θήσομεν intelligendum πάντα vel e sequentibus anticipandum δώματα.

# AD AGAMEMNONEM EXCURSUS I.

## DE HUJUS TRAGOEDIAE CONSILIO ET ADORNATIONE.

Aptiſſimum ad metus, terroris, miſericordiae ſenſus excitandos hujus tragoediae argumentum eſſe, nemo ibit inficias. Rex victoriae gloria bellicisque virtutibus clarus feliciter domum redux a perfida uxore, adulterii rea, per inſidias trucidatur. Quo quid poteſt eſſe miſerabilius? Quid vero magis hominum animos terrere poterat, quam tantam regis fortunam atque potentiam uno aut altero mulierculae ictu repente concidiſſe? Itaque tota tragoediae pericula potentium, humanae fortunae fragilitatem, divinam in exigendis facinorum poenis juſtitiam praedicat.

Chorum poëta in hac tragoedia ſic adornavit, ut probabilius inveniri ex hoc genere nihil poſſit. Primum enim, quod ſenibus ἐν Ἄργει praeſidio relictis has partes demandavit, id cum per ſe aptum et appoſitum erat argumento fabulae, tum praeſertim hanc ob cauſſam huic loco et tempori valde accommodatum, quod, cum hi ſenes per vices excubias in urbe agerent, nocturna eorum apparitio neminem ſpectatorum offendere poſſet; eos potius, ut ante portas urbis, ſic circa regiam noctu praeſto futuros exſpectandum erat. Atque adeo chorum Aeſchylus non mori magis tragoedorum, quam artis neceſſitati dedit.

dit. Quamquam Graeculus ille, qui argumentum tragoediae conſcripſit, ſignificat, Chorum ſenum a Clytaemneſtra, nuncio de face audito, advocatum eſſe; αὐτὴ (Κλυταιμνήστρα) τὸν τῶν πρεσβυτῶν ὄχλον μεταπέμπεται, περὶ τοῦ πυρσοῦ ἐρομένη. At ſi Aeſchylus rem ita inſtituiſſet, vacuum intervallum inter prologi extremum ſermonem et Chori εἴσβασιν reliquiſſet, quod et vitioſum eſt, et ab Aeſchyli more plane alienum. Sed nihil in tragoedia usquam apparet, quo illud ſcholiaſtae commentum aliquo modo comprobetur. Neque Chorus ſe arceſſitum eſſe dicit, quod certe, ſi hoc poëta voluiſſet, v. 82 ſqq., ubi primum Clytaemneſtram alloquitur, facere debuiſſet; neque regina ſignificat, ſe illos ad regiam adeſſe juſſiſſe; lectori potius, illa Graeculi opinione nondum occupato, nihil clarius eſt, (quod ſpectatoribus magis etiam in ſcena intelligi neceſſe erat) quam illis ſenibus in via ſtantibus, tempusque feniliter confabulando fallentibus praeter opinionem accidere ſpectaculum ignium ex omnibus aris repente collucentium, reginaeque ſacrificia per totam urbem obeuntis. Id porro admirabile eſt, quomodo Aeſchylus in Chori partibus elaborandis, non ſolum, quae ab eo dicenda eſſent, ad argumentum fabulae diligenter accommodaverit, (in quo interdum lapſum eſſe ſcimus Euripidem, ut qui ea ſaepe Chorum decantare juſſerit, quae ab interlocutorum ſermone alieniſſima eſſent;) ſed etiam quomodo eum ſenſum et affectum, quo ſenum illorum chorus hoc tempore maxime impletus eſſet, metum ſcilicet et curam de Agamemnonis, quae in poſterum futura eſſet, fortuna, callide per totam fabulam, h. e., per omnes Chori partes, ita attemperaverit, ut is metus initio levis et incertus, deinde paullatim vires ſumeret, tum, auditis Graecorum revertentium naufragio ceterisque calamitatibus, confirmaretur, poſt Agamemnone viſo, in ancipitem animi ſuſpenſionem abiret; donec tandem Caſſandrae vaticiniis au-

ditis horror in timoris locum succedat, paulloque post ipsa caedes Agamemnonis in aedibus perpetrata in stuporem eos ac desperationem adducat. In Clytaemnestrae, in Talthybii praeconis, in Agamemnonis partibus nihil facile quod supervacuum sit, aut praeter rem arcessitum invenias; Cassandrae autem oratio jam olim habita est callidissimum artis tragicae et perfectissimum opus. Neque vero in exitu fabulae Aeschylum peccasse, jure aliquis dixerit; haud dubie enim ad summam fabulae pertinebat, ut spectatores, quid de Clytaemnestra et Aegistho futurum esset, scirent, cum Chorus intellecta regis caede ad seditionem spectare videretur. In hanc tamen reprehensionem tragoediae nostrae οἰκονομίᾳ incurrit, quod postridie ejus noctis, qua Troja capta fuerat, Agamemnon ad Argos redire fingitur, eamque ob caussam jam olim Aeschylum a quibusdam criticis notatum fuisse discimus e schol. ad v. 513. (Τινὲς μέμφονται τῷ ποιητῇ, ὅτι αὐθημερον ποιεῖ τοὺς Ἕλληνας ἥκοντας.) Atque minus ea res offensionis haberet, si veteris tragoediae ea fuisset constitutio, quae apud nostros invaluit, ut finito quolibet actu intervallum quoddam temporis relinquatur, quod sublato aulaeo quamvis magnum sibi fingere spectator possit. Nunc quum chorus in Agamemnone pariter ac in reliquis Graecorum tragoediis de scena non recedat, unaque sit actionis perpetuitas, ita ut ubi desierint interlocutores, continuo chorus partes eorum suscipiat, fieri non potest, quin omnibus ineptum absurdumque videatur, eventus plurium non dicam dierum, sed mensium intervallo sejunctos, unius ejusdemque diei spatio concludi. Neque vero technam aliquam excogitavit Aeschylus, qua illud vitium tegeret, aut animadversioni spectatorum subduceret; sed ita potius omnia instituit, ut apertius etiam esset, nec quemquam e populo vel mediocriter tantum spectaculo intentum subterfugere posset. Eadem nocte, qua Troja capta est, speculator id ex signo

fa-

ſacum ab excubitoribus per montium intervalla dispoſitis accenſarum comperit, reginaeque nuntiat. Id repetit Clytaemneſtra v. 287.; hac nocte, inquit, capta eſt Troja, quae hunc diem peperit; ſuſpicatur etiam (hoc ipſo die magnum in urbe tumultum fore (v. 329.), quin imo milites Graecorum ſecure tandem in aedibus Trojanorum dormituros eſſe dicit (v. 345.). Chorus in extrema parte cantus Clytaemneſtrae verbis ſubjecti, in dubitationem incidit, an recenti huic ſigno fidendum ſit, metuitque ne regina mulierum ritu nimis forte credula fuerit. Hunc ſcrupulum ſenibus eximit regina praeconem Achivorum a littore appropinquantem conſpicata; qui appuliſſe regem cum ſuis, ipſumque brevi adfuturum nuntiat; nec tamen diffitetur illos procellis vexatos, ac tempeſtate disjectos fuiſſe. Atque adeo, quae in rerum natura aliquot menſium ſpatio vix abſolvi poterant, ea Aeſchylus in ſcena unius diei ſpatio fieri juſſit. Ceterum ſi Aeſchyli Agamemnon cum tragoediae cognomine, quae ſub Senecae nomine fertur, comparaveris, hujus inanem faſtum cum illius ſublimitate, hujus frigida acumina cum veris illius magnificisque ſententiis nec unquam niſi ſuo loco poſitis, hujus affectatum dicendi genus cum decora illius elocutione, hujus partes inter ſe et cum Choricis male cohaerentes cum apta illius disposſitione; ſi denique falſus doloris apud Senecam voculas cum veris naturae vocibus, quae in Aeſchyli fabula audiuntur, contenderis, facile quantum inter poëtam ſummis ingenii viribus animatum, ac declamatorem aliquem invita Minerva muſicas artes tractantem, interſit intelliges.

## EXCURSUS II.

*ad v. 291 ſqq.*

Faces iſtas in ſpeculis per intervalla montium diſpoſitas, quibus Clytaemneſtrae Trojae expugnatio nuntiata fuiſſe dicitur, Aeſchyli potius ingenio, quam rerum geſtarum memoriae tribuendas eſſe cenſeo. Idem vero Voſſio (Obſ. ad Melam, pag. 119.) concedo, etiamſi fabuloſae ſint, veras tamen eſſe potuiſſe, dum faces in Ida accenſae facile potuerint videri ab iis, qui in ſummo Athone verſarentur, ac quivis nuntius ſimiliter per faces traduces ex uno monte in alium propagari potuerit. Qua quidem in rē poëtae artem ac diligentiam merito agnoſcimus. Sed ipſam ſpeculatorum diſpoſitionem, quod ad ſitum locorum attinet, jam breviter cognoſcemus.

Prima igitur ſtatio eſt in Ida, ſecunda in Hermaeo inſulae Lemni promontorio, tertia in Athone. Verba enim ὑπερθ' Ἑλλης γε πόντου de primis ignibus in Ida accenſis capienda: *ita ut deſuper vis flammae ad locum, ubi excipiebatur progredientis Hellespontum lumine ſuo tegeret, et colluſtraret; piceae nimirum*, ſcil. in monte Atho, *incenſae aureum lumen ſolis inſtar denuntians Maciſti ſpeculatoribus.* Rarior vocabuli νωτίζειν uſus, ut *terga tegendi*, ſ. ſimpliciter *tegendi* vim obtineat. Idem tamen occurrit apud Eurip. Phoeniſſ. v. 667., quem ad locum pertinere videtur gloſſa Heſychii Ἐνώτισεν· τὰ νῶτα περιεσκέπασεν. Quarta igitur ſpecula in monte Maciſto erat; cujus etſi locus accurate definiri non poteſt, nomen tamen montis haud inauditum et pluribus commune ferit. Nam Lesbo Maciſtus mons fuit, cujus mentio fit apud Plinium H. N. lib. V. Hujus igitur excubitores ignibus ibi accenſis lumen longe propagarunt usque ad Euripum, ubi quinta erat vigilum ſtatio in monte Meſſapio. Pauſan. lib. IX. c. 22. Τῆς δὲ Βοιωτίας τὰ ἐν ἀριστερᾷ τοῦ Εὐρίπου Μεσσάπιον ὄρος καλούμενον. cf. Strab. lib. IX. p. 405. ed. Caſaub.

Inde

Inde flammae ſplendor transmiſſus fuit ad ſextam ſpeculam in monte *Cithaerone* conſtitutam. Ibi denuo cuſtodes accenderunt ignes, quorum ſplendor ſuperato lacu Gorgopi usque ad *Aegiplanctum*, qui mons erat in Megaricis, propagaretur. Heſychius: Γοργῶπις· Κρατῖνος ἐν Πυλαίᾳ. Λίμνην φασὶ εἶναι ἐν Κορίνθῳ. Εἰληφέναι δὲ τοῦνομα διὰ τὸ Γόργην (ſ. Γόργω) ἐμπεσεῖν εἰς αὐτήν.

Ab Aegiplancto ſeptima ſtatione ſignum ignibus datum ad Arachnaeum collem Argis vicinum, in quo octava erat excubiarum ſtatio, cujus accenſas faces obſervabat ſpeculator in arce regia conſtitutus v. 1 ſqq.

Ignis autem in Aegiplancto accenſus dicitur etiam *Saronicum ſinum*, ejusque longe conſpicuum promontorium colluſtraſſe. Recte enim Heathius adverſus Iſaacum Voſſium monuit, Σαρωνίκου πόρθμου nomine deſignari non poſſe, quod ille opinabatur, portum Troezeniorum; nec πρῶνα eſſe montem Hermionae vicinum, ſed potius montem, cujus in vertice Hermione ſita erat. Ac fortaſſe Aeſchylus κάτοπτον πρῶνα Sunium promontorium intellexit. Arachnaeus mons in Argolide memoratur Pauſan. II. 25.

Landesbibliothek
Amt für Denkmalpflege
Salzburg

PA
3825
A2
1809
v.2

Aeschylus
Tragoediae

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY